B. BASSI
LEGATORIA
V. PANISPERNA 222-A

220.13
B497

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

DE

INSPIRATIONE SACRAE SCRIPTURAE

THEOLOGICA DISQUISITIO

AUCTORE

LUDOVICO BILLOT S. I.

EDITIO QUARTA

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
220.15
LIBRARY
B497
Alma, California

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
MCMXXIX

PRINTED IN ITALY

613

Property of
CLGA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

PROOEMIUM

Monet nos Augustinus ne scientiam Scripturarum accipiamus ab expositoribus earum inimicis. « Nihil est, « inquit, temeritatis plenius quam quorumque librorum « expositores deserere, qui eos se tenere ac discipulis « tradere posse profitentur, et eorum sententiam requi- « rere ab his qui conditoribus illorum atque auctoribus « acerbissimum, nescio qua cogente causa, bellum indi- « xerunt. Quis enim sibi unquam libros Aristotelis re- « conditos et obscuros ab eius inimico exponendos pu- « tavit, ut de his loquar disciplinis in quibus lector « fortasse sine sacrilegio labi potest? » (1). Id profecto,

(1) August. de utilitate credendi, n. 13. — Idem quoque monebat Tertullianus, l. de Praescript. c. 12: « Nobis et si quaerendum esset « adhuc et semper, ubi tamen quaeri oportet? Apud haereticos ubi « omnia extranea et adversaria nostrae veritati, ad quos vetamur acce- « dere? Quis servus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini « sui sperat? Quis miles ab infoederatis, ne dicam ab hostibus regibus, « donativum et stipendium captat, nisi plane desertor, et transfuga, et « rebellis?... Nemo inde instrui potest, unde destruitur; nemo ab eo « illuminatur, a quo contenebratur. Quaeramus ergo in nostro, et a no- « stris, et de nostro; idque dumtaxat, quod salva regula fidei, potest in « quaestionem venire ».

etiam in profanis, absonum temerariumque nemo prudens non aestimabit. At quanto magis in sacris illis Scripturis quae cum Spiritu Sancto dictante conscriptae sint, ab humano sensu, humano iudicio, humana cogitatione et factura longe longeque distant; quae altissimis undequaque refertae mysteriis, *libro signato* rectissime comparantur (1), et idcirco Ecclesiae catholicae ab auctore earum fuerunt concreditae, ut eo spiritu interpretationem accipiant, a quo et descenderunt. « Nos quidem « inopes, aiebat orans Deum Hilarius in exordio libro- « rum de Trinitate (2), ea quibus egemus precabimur, « et in scrutandis prophetarum tuorum apostolorumque « dictis studium pervicax afferemus, et omnes obseratae « intelligentiae aditus pulsabimus. Sed tuum est et ora- « tum tribuere, et quaesitum adesse, et patere pulsatum... « Expectamus ergo ut... ad consortium vel prophetalis « vel apostolici spiritus voces, ut dicta eorum non alio « quam ipsi locuti sunt sensu apprehendamus ».

Quod tamen vetat prudentia in humanis, quod vetat vel maxime spiritus catholicus in divinis, id passim diebus nostris factitatum videmus. Sane vero, fuerunt ab antiquo qui sacrorum librorum auctoribus acerbissimum, ea quam scimus causa, bellum indixerunt. Sed duobus abhinc saeculis bellum istud a Celso, Porphyrio, Manichaeo, Iuliano apostata, olim inchoatum, nova atque incredibili violentia recruduit. Nihil intentatum relictum ut authenticae illae Dei ad homines litterae mendacii seu falsitatis convincerentur. Non apex, non iota

(1) Isai. XXIX-11.
(2) Hilar. l. 1 de Trinit. n. 37-38.

praetermissum. Non verbum, non nomen, non locutio quae in cribro criticae non fuerit excussa. Nulla item disciplina, seu physica, seu philologica, seu historica, in adiutorium demolitionis non advocata. Nulla demum opinio, nulla coniectura, nulla levitas, velut solidissima scientiae conclusio contra eloquia veritatis impudenter non allegata. Quamquam ipse semper renascens impetus ac in dies recrudescens destructionis furor, praecisione etiam facta a babelica confusione colluctantium systematum, luculenter ostendit quam firma semper arx permaneat. Nam contra deiectam et iacentem ruinam quis conaretur? aut cui in mentem unquam veniret adversus fabulosas gentium cosmogonias vel quoslibet sacros earumdem libros disputare? Hic autem nostrismet oculis continuo videmus adimpletum illud Davidicum: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis, turbati sunt omnes insipientes corde.*

Ast non ita visum est quibusdam viris catholico nomine adhuc gloriantibus. Persuasum enim eis fuit, scientiam Scripturarum, sin minus ex toto, at certe magna ex parte accipiendam esse a supramemoratis earum osoribus atque inimicis. Et speciminis quidem gratia, persuasum eis fuit, recte sentire magnos illos rationalismi magistros, cum traducunt velut infantilia et puerilibus mythis similia, pleraque ea quae in initio Geneseos leguntur: Deum creasse sex diebus coelum et terram, plasmasse hominem e limo terrae, plantasse paradisum ad Orientem, et in medio eius posuisse arborem scientiae boni et mali, adduxisse animalia ad Adam ut videret quid vocaret ea. Rursus, infantilem mythum sonare Evam fabricatam e costa Adami, ser-

pentem qui cum muliere colloquitur, Iehovah deambulantem in paradiso ad auram post meridiem, et proto parentes induentem tunicis pelliceis. Mythus est Cain timens ne occidatur cum nondum habitaretur terra, obtinensque signum ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum. Mythus connubium filiorum Dei cum filiabus hominum, unde nascuntur gigantes. Mythus diluvium et arca Noe in qua pauci, id est, octo animae salvae factae sunt. Mythus quoque confusio linguarum et divisio gentium in aedificatione turris. De posteriorum autem patriarcharum gestis haud absimiliter sentiendum iam nunc erit, nec tam in eis quaerere oportebit veram ac proprie dictam historiam, quam traditiones populares sub forma legendaria. Peregrinationes Abrahae sunt immigrationes populorum. Matrimonium Ismaelis cum muliere Aegyptia symbolum est originis mixtae Ismaelitarum, qui ex Abrahamitis et Aegyptiis ortum ducunt. Isaac filius est Abrahae pro quanto caput fuit rami qui remansit in terra Chanaan, a quo postmodum sese separavit ramus novus Idumaeorum per legendam Esau-Edom significatus. Sed et alia legenda Esau-Iacob tibi monstrabit sub allegoria factorum personalium, vicissitudines et fata et indolem duorum populorum. Esau quippe simplex et cordatus, sed asper et rudis; Iacob vero astutus, ambitiosus, et astutia sua maiorem natu supplantaturus. Qui dum exhibetur revertens in terram Chanaam post fugam in Mesopotamiam, nihil aliud cogitabis nisi legendariam quamdam memoriam novae immigrationis stirpis chaldaicae, e qua, post fusionem cum reliquiis invasionis primae, ortum habuit populus Ismaeliticus. Atque ita demum efficitur

ut fundamentum historicum narrationis Abraham-Iacob-Ioseph, in nullo alio sit reponendum quam in magno quodam et lento motu populorum a septentrionalibus partibus Mesopotamiae in Arabiam, Chanaitidem, et Aegyptum. Haec, inquam, omnia rationalisticae crisis placita catholicis etiam viris placere potuerunt, et pene ab eisdem pro irreformabilibus scientiae conclusionibus iam nunc circumferuntur (1).

Porro a Genesi ad reliquas Hexateuchi partes, hoc est ad Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, et librum Iosue, eumdem transferunt interpretandi mo-

(1) Scribebat Renan, octoginta iam abhinc annis : « Ces souvenirs « particuliers de la race sémitique qui comprennent à peu près les onze « premiers chapitres de la Genèse, se divisent en deux parties bien di- « stinctes. Dans la phase antédiluvienne, c'est une géographie fabu- « leuse, à laquelle il est fort difficile de trouver un sens positif; ce sont « des généalogies fictives, dont les degrés sont remplis, soit par des « noms d'anciens héros et peut-être de divinités qu'on retrouve chez « les autres peuples sémitiques, soit par des mots exprimant des idées, « et dont la signification n'était plus aperçue. Ce sont des fragments « de souvenirs confondus, où le rêve se mêle à la réalité, à peu près « comme dans les souvenirs de la première enfance... A partir du dé- « luge les traditions ont un caractère beaucoup plus réel. Les généalo- « gies se composent en général de noms de villes, de pays, de monta- « gnes... Des mouvements de la race sémitique avant son entrée dans « la terre où depuis les temps historiques nous la voyons établie, il « n'en est qu'un seul sur lequel nous ayons des données précises : c'est « celui de Térach ou Tharé, Gen. XI-31. Ici nous entrons réellement « dans l'histoire .. On sent évidemment qu'on a affaire à un évènement « capital, à celui qui transporta d'Our-Kasdim en Chanaan une nom- « breuse famille de tribus sémitiques... Les noms de Ragho, Sarug, Na- « chor, Harran, qui figurent dans la généalogie d'Arphaxad, paraissent « représenter des villes échelonnées du Nord au Sud depuis la source « du Tigre jusqu'à l'endroit où les Térachites passèrent l'Euphrate, « et peuvent ainsi désigner les principales stations de l'émigration ». *Histoire générale et système comparé des langues sémitiques*, (4ème édit. 1863), l. 1, c. 2, § 1. — Cuique suum.

dum. Autumant enim, eas inveniri in dictis libris contradictiones vel indicia artificialis et systematicae compositionis, quae prohibent ne eisdem valor absolute historicus attribuatur. Plagae aegyptiacae, transitus maris rubri, pluvia coturnicum et manna de coelo, non videntur posse esse nuda et simplex realitatis descriptio, sed omnia potius sonant phaenomena naturalia solito intensiora, quae in suos fines direxit divina Providentia, quaeque postmodum imaginatio popularis, longe a locis et eventibus, liberaliter ornavit adiunctis miris et poeticis. Eiusdem quoque popularis imaginationis procreatio erit sol stans ad imperium Iosue. Item, pro narratione vere historica recipi non debebit occupatio terrae promissae. Obstant enim irreductibiles antilogiae cum aliis narrationibus biblicis eiusdem facti, dum in Hexateucho exhibetur Iosue cum omni Israel subiugans integram regionem Chanaan, alibi vero exhibentur singulae tribus per longum temporis decursum separatim decertantes, ad consummandum id quod sub Iosue vix ac ne vix quidem fuerat principiatum. Et ideo, etsi non oporteat abire in placita eorum criticorum qui librum Iosue volunt omni prorsus historico fundamento esse destitutum, aequum saltem atque necessarium erit agnoscere ibi *historiam sui generis*, id est historiam idealizatam.

Et quoniam appetitus crescit eundo, absit sane ut ab eadem exegesis ratione aliae quaelibet partes tam veteris quam novi testamenti, tam evangelicae quam apostolicae scripturae, excipiantur. Appellabunt ergo docti viri ad litterarium quod vocant vestimentum, ad citationes implicitas, ad compilationes documentorum diversi valoris diversaeque auctoritatis, quorum auctores

sacri sese non sponsores, sed puros relatores faciunt. Atque inde fundamentum sument, ut inerrantiam bibliorum simul cum erroribus seu historicis seu scientificis in eisdem contentis compossibilem asseverantes, ad sequentes demum conclusiones veniant: ***Conclusio prima:*** Veram quidem esse in suis lineis generalibus biblicam narrationem, sed nihil impedire quin historia praesertim primitiva, narrata fuerit, sicut fert indoles eius, sub veste illa plus minusve legendaria quam acceperat in traditione populari. Imo vero, id de facto ita contigisse, omnia criticae dictamina apprime nunc persuadere. ***Conclusio secunda:*** Veraces sane in omnibus ipsos auctores sacros necessario esse agnoscendos, quanquam nihil prohibeat quominus secundum conventiones litterarias per quas pro temporum diversitate regebatur historiographia, maxime apud Orientales, retulerint facta et circumstantias iuxta solam auctoritatem documentorum quae in manus eorum devenerant, minime caeteroquin solliciti an documenta ista veritati obiectivae plene responderent, vel secus. ***Conclusio tertia:*** Nullum quoque fore inconveniens si dicamus eosdem auctores sacros ex proprio etiam marte expressisse sub fictione factorum historicorum veritates religiosas vel morales, ad eas melius inculcandas, et identidem accommodasse circumstantias realium eventuum eo artificiali modo, qui intento eorum scopo magis congruebat. ***Conclusio quarta:*** Pertinere ergo tum ad Criticam tum ad Ecclesiam, discerniculum nuclei vere historici a formis imaginariis quibus nucleus ille tegitur. Ad Criticam quidem ope examinis scientifici. Ad Ecclesiam vero, iudicio authentico et infallibili, ubi-

cumque de iis agitur quae cum fide et moribus necessariam habent connexionem (1).

Caeterum non diffitentur conclusiones istas esse novas. Orthodoxas tamen eas esse volunt, quia earum novitas non consistit in aliqua conceptione peregrina de inspiratione et effectibus eius, sed solum in notione accuratiori legum quae antiquis praesertim temporibus regebant varia genera litteraria ab hagiographis usurpata pro singulorum fine et ingenio, cum nulla sit forma libri apud homines recepta, quam respuat inspiratio Spiritus Sancti. Unde manent immota principia dogmatica hactenus in doctrina catholica admissa, et solae applicationes, praelucente profundiori studio in campo critico et litterario, plus minusve modificatae inveniuntur. Atqui in hoc praecise stat progressus theologiae. Aliunde vero non est cur scandalum quispiam accipiat ex hoc quod intelligentia Scripturarum futura sit in posterum apud nos adeo diversa ab ea quam habebant Sancti Patres. Nam etsi verissimum sit quod nos comparamur ad eos sicut nani ad gigantes, adhuc tamen nihil omnino mirum si nanus stans supra humeros gigantis, et longius prospiciat quam ipse gigas, et in altiori contemplationis specula dicatur constitutus (2).

(1) Huc venit comparatio quae ab uno e novellae scholae scriptoribus alio dirigebatur: « Comme un fruit avarié qu'il faut peler pour « arriver jusqu'au noyau incorruptible. Et Harnack enlève la pelure avec « tant de persévérance, qu'on peut se demander s'il restera quelque « chose à la fin ».

(2) « Dicebat Bernardus Carnotensis nos esse quasi nanos gigan« tium humeris insidentes, ut possimus plura eis et remotiora videre, « non utique proprii visus acumine, aut eminentia corporis, sed quia « in altum subvehimur et extollimur magnitudine gigantea ». Ioannes Saresberiensis, Metalogicus l. 3, c. 4.

His tamen non obstantibus, vereor plane ne Augustinus, si forte garrientem audiret nanum qui supra eius humeros esse supponitur, lassae tandem patientiae signum ederet haud aequivocum. Vereor, inquam, ne sursum attollens caput, in eamdem prorumperet exclamationem qua olim Iulianum interpellabat: *Mira sunt quae dicitis, nova sunt quae dicitis, falsa sunt quae dicitis* (1). Certe, quod sint mira, res ipsa clamat. Quod nova, ipsorum auctorum confessio est. Unum ergo superest videndum, utrum similiter et falsa. Et ad hoc dirigitur praesens disquisitio, in qua dicetur primo de inspiratione Scripturae sacrae, deinde vero de his quae ad inspirationem consequuntur.

(1) August. l. 3 contra Iulianum Pelagianum, c. 3.

PARS PRIMA

DE INSPIRATIONE SCRIPTURAE SACRAE

Quosdam esse libros sacros ac divinos, quorum sit suprema atque irrefragabilis auctoritas, semper a Iudaeis pariter et Christianis creditum est. Iudaeorum fidem attestatur Iosephus l. I contra Appionem n. 8, his verbis : « Apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multi- « tudo dissidentium et inter se pugnantium , sed duo dun- « taxat et viginti libri sunt, totius temporis descriptionem « continentes, *qui merito creduntur divini* ». Et post pauca : « Re ipsa manifestum est, quanta nos veneratione libros « nostros prosequamur. Cum enim tot iam saecula effluxe- « rint, nemo nec adiicere quidquam, nec ab eis demere aut « mutare ausus est. Sed omnibus Iudaeis statim a prima « nativitate congenitum est, *ut haec scripta credant Dei dogmata*, « et eis inhaereant, ac pro eis si opus sit, libenter mortem « subeant ». Hanc porro Iudaici populi fidem sua auctoritate apertissime confirmat Christus in Evangelio, passim appellans ad Iudaeorum libros sicut ad scripturas quae sunt in culmine auctoritatis, quae solvi omnino non possunt (1), quae infallibiliter debent impleri. (2), a quibus habebat ipsemet, non tanquam ab homine, sed a Deo testimonium (3). Apostoli

(1) Matth. V-17.
(2) Matth. XXVI 54.
(3) Ioan, V-39.

quoque in suis scriptis libros eosdem eodem plane modo, ipso usu et crebra citatione commendant : *Scriptum est, dicit Scriptura, dictum est per prophetam* , et eo ipso indeclinabilis adducitur auctoritas. Denique : *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*, inquit Paulus 2 Tim. III-16. Et Petrus in secunda epistola, I-20 : *Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

Nunc autem libris illis quos Iudaei venerabantur ut sacros, plures alios, praesertim de N. T., in aequali auctoritatis gradu esse reponendos, non est aliquatenus ambigendum. Certe Petrus ubi supra, III-16, epistolas Pauli cum caeteris Scripturis connumerat dicens : *Sicut et charissimus frater noster Paulus scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant sicut et caeteras Scripturas.* Sed quod caput est, non solum de epistolis Pauli, verum etiam de evangeliis, de Actibus, de septem canonicis, et de Apocalypsi Ioannis, universalis et constans et authentica Ecclesiae traditio certiores nos facit. Quos omnes libros, tanquam totidem sacerdotales tubas ad quarum clangorem muri Iericho, id est robur et munimenta gentilitatis corruerunt, et evertuntur usque nunc altitudines saeculares, una recensione unoque catalogo elegantissime colligebat Origenes : « Firmitas namque et munimenta quibus « velut muris mundus iste nitebatur, idolorum cultus erat, « divinationum fallacia arte daemonum ministrata, augurum « atque aruspicum magorumque commenta, quibus omnibus « velut muris validissimis ambiebatur hic mundus. Insuper « etiam diversis philosophorum dogmatibus et eminentissimis « assertionibus ac disputationibus, velut proceris quibusdam « et robustis turribus firmabatur. Veniens vero Dominus « noster I. C., cuius ille prior filius Nave designabat adventum, « mittit sacerdotes apostolos suos portantes tubas ductiles, « praedicationis magnificam caelestemque doctrinam. Sacer-

« dotali tuba primus in evangelio suo Matthaeus increpuit. « Marcus quoque, Lucas et Ioannes suis singulis tubis sacer- « dotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus epistolarum sua- « rum personat tubis. Iacobus quoque et Iudas. Addit nihilo- « minus adhuc et Ioannes tuba canere per epistolas suas et « Apocalypsim, et Lucas apostolorum gesta describens. No- « vissime autem veniens (Paulus), in quatuordecim episto- « larum suarum fulminans tubis, muros Iericho, et omnes « idololatriae machinas, et philosophorum dogmata usque « ad fundamenta deiecit » (1).

Caeterum, propositum intentionis in praesenti non est de sacrarum scripturarum exsistentia, aut de earum canone, aut de modo quo perficitur utriusque rei demonstratio, multoque minus de deuterocanonicis V. T., vel de iis N. T. libris de quibus subortum est aliquando dubium, quamlibet instituere demonstrationem. Haec enim alibi examinata, discussa, et comprobata supponuntur. Supponuntur quoque demonstrati loci theologici omnes, tum in se, tum in harmonica habitudine qua inter se constant. Supponuntur in summa, et quidem de integro, conclusiones theologiae quam fundamentalem vocant, ac per hoc fontes, regulae, et praesidia universa quae theologicae disciplinae sunt propria. Iisque sic praeacceptis ac praestabilitis tanquam principiis totius disputationis, iam quaeritur qua praecisa ratione libri in canone Tridentino recensiti pro sacris et divinis habendi sint, et quatenus ratione inspirationis per quam Deus exstitit horum librorum auctor : quaenam sit praedictae inspirationis notio, natura, quidditas et modus. In quo quidem, ut ordine debito procedamus, incipiendum est a notione inspirationis secundum quod elucet in authenticis Ecclesiae documentis, et ad huius rei investigationem sequens praemittitur capitulum.

(1) Origen. Hom. 7 in Iosue, 1.

CAPITULUM PRIMUM

UBI DOGMATICA INSPIRATIONIS NOTIO DECLARATUR

Credo,.. in Spiritum Sanctum... qui locutus est per prophetas.

In hac notione declaranda regulam processus accipimus ex definitione Vaticana, Const. *Dei Filius*, cap. 2, et a generalioribus ad magis determinata gradatim descendentes, sequentes statuimus propositiones.

§ 1.

Quod libri Scripturae omnes et singuli pro sacris et canonicis habendi sunt, non ratione acceptae ab infallibili Ecclesiae magisterio approbationis, nec etiam ratione solius materiae seu veritatis revelatae sine erroris admixtione in eisdem contentae, sed omnino ratione originis, in quantum Spiritu Sancto inspirante conscripti, habent auctorem Deum.

I. – Iacobus Bonfrerius in suis praeloquiis in Scripturam Sacram, tres recensuerat modos quibus potest concipi Spiritum Sanctum sese cum sacris scriptoribus habere : antecedenter scilicet, concomitanter, et consequenter. De ultimo autem ex his tribus modis sic statuerat ipse : « Con- « sequenter se habere posset Spiritus Sanctus, si quid humano « spiritu absque Spiritus Sancti ope, directione, assistentia, « a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen « Spiritus Sanctus testaretur omnia quae in eo scripta essent, « vera esse. Certum enim est, tunc totum hoc scriptum fore

« Dei verbum, et eamdem infallibilem veritatem habiturum, « quam habent caetera quae inspiratione vel directione eiusdem « Spirtus Sancti conscripta essent. Quemadmodum tam est « regis verbum, et paris auctoritatis, cum quis a secretis vel « notarius proprio marte mandatum aliquod regium vel « instrumentum publicum concipit, quod postea rex lectum « probat, et sigillo suo impresso munit, cum eo quod rex « ipse concipit, scribit, dictat. Hoc tertio modo etsi non « existimem Spiritum Sanctum aliquando usum in iis quos « habemus sacrae scripturae libris, absolute tamen nihil « vetat uti, vel etiam aliquando usum,forte in iis libris non- « nullis ac scriptis quos supra diximus fuisse scripturam « sacram, et postea tamen intercidisse » (1). Hucusque Bonfrerius, qui solum considerans quid sufficere posset ad rationem scripturae sacrae *in abstracto*, opinatur quidem modum mox descriptum esse admissibilem, sed simul considerans quod in eo nequaquam verificarentur ea quae *de Scripturis nostris* docet nos revelatio, protestatur etiam se nulli Bibliorum nostrorum libro hanc suam theoriam velle applicari. Ratio est quia in hac opinione sua simplicem exhibet hypothesim quae aut numquam habuit locum, aut si forte habuit, nonnisi in scriptura iam nunc deperdita, eaque non eiusdem rationis cum illis scripturis sacris quae de facto per apostolorum manus Ecclesiae sunt traditae. At recentiores quidam ante Concilium Vaticanum hanc ipsam hypothesim in thesim vertere voluerunt, diminuendo adhuc de conditionibus a Bonfrerio appositis, et loco attestationis Spiritus Sancti substituendo simplicem approbationem ecclesiastici magisterii per insertionem in canone. Dixerunt itaque, plures seu libros seu librorum textus, maxime historicos, reipsa exstare in Bibliis nostris, qui humana tantum industria conscripti, postmodum auctoritate et approbatione Ecclesiae inter sacros et canonicos fuerunt accensiti. Hunc porro errorem reprobavit Vaticana Synodus docens : « Eos

(1) Bonfrerius, Praeloq. c. 8, Sect. 7.

« vero (libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non « ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde « auctoritate sint approbati ».

Et re quidem vera, vel primo intuitu apparet opinionis falsitas, et absoluta eius oppositio ad regulam revelationis. Certe in 2 Tim. III-16 dicitur : *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.* Nec refert an ponatur ibi vox Θεόπνευστος, *divinitus inspirata*, per modum praedicati vel per modum adiectivi, quia si per modum praedicati, sensus erit quod omnis scriptura est divinitus inspirata et ad docendum utilis ; si autem per modum adiectivi, quod omnis scriptura est utilis, utpote divinitus inspirata. Et utroque modo inspiratio ad omnem scripturam extenditur, ita ut in stylo Pauli idem plane sit γραφὴ Θεόπνευστος, ac τὰ ἱερὰ γράμματα. seu sacrae litterae de quibus locutus fuerat in versiculo immediate praecedenti. Propterea etiam, pro synonymis semper habita sunt in Ecclesiae doctrina, scriptura sacra, scriptura canonica, scriptura divinitus inspirata, nec in re adeo nota opus est diutius insistere. Nunc vero, quidquid de inspiratione sentias, id saltem omnino evidenter elucebit : inspirationis nempe nomine significari actionem Dei in hagiographum per quam movetur ille ad scribendum. Unde statim efficitur, librum inspiratum nonnisi eum esse, qui sub speciali Dei motione et influxu scriptus sit. Sed in libro sola humana industria concinnato, quantumcumque superveniat Ecclesiae approbatio, imo vero, quantumvis accedere supponatur ipsius Dei revelatio in attestationem veritatis omnium et singularum sententiarum, nihil tale habetur, ut in terminis perspicuum est. Ergo, praescindendo etiam ab aliis quam plurimis rationibus quae brevitatis gratia hic omittuntur, certissime concludendum est, nullum exsistere Scripturae librum qui pro sacro et canonico habendus sit, ratione acceptae ab infallibili Ecclesiae magisterio approbationis (1), imo nec

(1) Propositio Ecclesiae certiores nos reddit de canonicitate librorum, ac per hoc, de propria canonicitatis ratione, sed non facit eam.

ratione consequentis testificationis Spiritus Sancti de rerum in eo scriptarum veritate.

Bene itaque Bonfrerius tutos esse volebat ab omni applicatione tertii illius modi a se excogitati, omnes et singulos libros Scripturae sacrae quae nunc est. Videbat enim eos omnes diserte revelari ut inspiratos, et nullum inspirationi remanere locum in modo praedicto. Unde apud ipsum nusquam occurrit inepta illa locutio «*inspiratio subsequens*», qua utuntur auctores mox refutati, (et dico ineptam, quia imaginari inspirationem quae scripto iam libro posterior sit, nihil aliud est quam contradictoria iungere simul). Sed quod rectissime iudicabat satis non esse ad rationem *scripturae inspiratae*, sufficiens nihilominus reputabat ad communissimam rationem *scripturae sacrae*, id est scripturae quae esset verbum Dei. In quo quidem minime sequendus videtur Bonfrerius, quoniam ibi latet quaedam aequivocatio, quam statim ad claritatem totius disputationis oportet removere.

Duplici enim sensu dici potest scriptura aliqua verbum Dei : sensu solum obiectivo, et sensu formali. Sensu, inquam, obiectivo, quatenus scriptura illa solum exprimeret et referret id quod alias est dictum seu revelatum a Deo. Qua quidem ratione verbum Dei sunt symbola fidei, vel divinae traditionis monumenta ; et ideo, cum ex eis proferimus testimonia, dicimur argumentum sumere ex verbo Dei tradito. Sensu vero formali, quatenus obiectum seu sententia seu veritas quam scriptura illa exprimit, non modo res esset a Deo revelata seu dicta, verum etiam esset ab eo dicta per scripturam illammet per quam exprimitur : quod sane nequaquam esse potest nisi a Deo sit ipsa scriptura significans, et non sola sententia per scripturam significata. Haec est distinctio vere fundamentalis in praesenti materia, eaque prae oculis necessario habenda, nisi velimus ad arbitrarios detorquere sensus hoc nomen *scripturae sacrae*. Certo enim certius pro scriptura sacra nusquam habita sunt scripta symbola fidei vel monumenta traditionis, praecise propter

defectum alterius conditionis mox assignatae, idque recte admodum et rationabiliter. Aliud quippe est quod sacra sit doctrina, sacra sententia, sacra historia quae in scripto est contenta, aliud vero quod sacrum sit, id est a Deo descendens, scriptum ipsum in quo continetur. Nunc autem si quis bene consideret, facile perspiciet quod consequens illa Spiritus Sancti testificatio de veritate sententiarum contentarum in aliquo libro sola humana industria concinnato, id tantum efficeret: ut nimirum res quae ab homine scriptae et dictae prius fuissent, essent iam dictae etiam a Spiritu Santo et idcirco fide divina credibiles et credendae. Proinde praefatus liber aliquo iam modo dici forsitan posset effectum verbum Dei sensu obiectivo, at certe non sensu formali, prout oporteret ad rationem scripturae sacrae. Plane enim evidens est quod simplex consequens Dei attestatio nequaquam valeret efficere ut veritates enuntiatae in libro illo, attestatae iam forent et dictae a Spiritu Sancto per eam ipsam scripturam quam marte proprio supponitur homo edidisse.

Aliter autem esset iudicandum si loco purae et simplicis attestationis de veritate sententiarum quam in medium adducit Bonfrerius, supponeres inspirationem Spiritus Sancti ad hoc, ut nomine suo, suaque auctoritate, idem ille liber denuo ederetur. Quo solo in casu vera adesset paritas cum schemate legis vel bullae, quod prius a iurisconsulto vel theologo elaboratum, postea publicatur a legislatore vel pontifice, fitque verbum eius tam vere et tam proprie ac si ipse concepisset, ipse scripsisset, ipse dictasset. Verumtamen etiam atque etiam animadvertes quod in allato exemplo, textus legis seu bullae non est verbum principis ratione primae scriptionis, sed secundae, quae tunc aequivalenter habetur, cum princeps subscribit, et ipsum textum facit suum. Idem enim per eiusmodi subscriptionem agitur, ac si assumptum schema verbaliter dictaretur a principe, et sic ab eo dictatum prodiret in publicum. Vere ergo reperitur ibi aequivalens scriptio secunda, quae sola in causa est cur scriptura edicti sit sensu etiam formali verbum legislatoris vel Papae. At simile quid

imaginari de Spiritu Sancto, pene ludicra res esse videtur. In omni autem modo, iam versaremur extra praesentem hypothesim quae ponit solum consequentem testificationem Dei, quaeque idcircio, non tantum ad rationem *scripturae inspiratae*, ut ipse Bonfrerius concedebat, verum etiam ad qualemcumque rationem *scripturae sacrae* plane insufficiens esse ostenditur.

Haec igitur dicta sint de primo errore a Vaticana Synodo reprobato, necnon et de opinione Bonfrerii quae huic errori occasionem dedit. Sequitur iam error alter ex eiusdem Bonfrerii doctrina pariter occasionatus.

II. – Hic error iam non ex approbatione Ecclesiae repetit id quo formaliter libri nostri pro sacris et canonicis sunt habendi, sed ex horum librorum argumento seu materia, videlicet ex hoc dumtaxat, *quod revelationem sine errore contineant* (1).

Dixerat Bonfrerius explicans modum quo iam non consequenter, sed concomitanter Spiritus Sanctus ad hagiographos se habere potest : « Concomitanter sese habet Spi« ritus Sanctus, cum non ad modum dictantis et spirantis « se habet, sed ad eum modum quo quis alterum scribentem « oculo dirigeret ne in re quapiam erraret. Hoc enim modo « potest Spiritus Sanctus scriptorem hagiographum dirigere, « ut in nullo eum errare fallive permittat. Cum enim prae« sciat quid ille scripturus sit, ita ei adstat ut sicubi videret « eum erraturum, inspiratione sua illi esset adfuturus. Hic « modus videtur a Spiritu Sancto servatus in historiis, dictis « aliorum factisque referendis, quae vel visu cognita, vel « auditu ab hominibus fide dignis accepta fuerant. Ita evan« gelia, ita acta apostolorum, ita caeteri libri historici a pro« phetis aliisve conscripti ». Haec iterum Bonfrerius, Praeloq. in Script. c. 8, sect. 3, ubi non iam sicut prius, hypotheticum et mere possibilem modum intendit proponere, sed modum de facto usurpatum quoad plures nostri canonis libros. Quan-

(1) Vatic. Const. *Dei Filius*, cap. 2.

quam nondum plene eius mens eluceat. Completur enim ex iis quae addit, sect. 6 : « Notanda, inquit, in hoc secundo « modo duo. Unum, licet in hoc modo non se habeat antece- « denter divina inspiratio qua singula demonstrentur et in- « spirentur, *non deesse tamen scriptori initio inspirationem « quamdam generalem scribendi talem historiam*, vel pulchras « gnomas ad vitam moresque bene componendos, vel quid « aliud.... Alterum est, licet in hoc secundo modo Spiritus « Sanctus hominem sibi relinquat, *subinde tamen inspirationem « aliquam accedere*, ut si quid visorum auditorumque scriptor « esset oblitus, vel si qua in re esset scriptor erraturus nisi « a Spiritu Sancto doceretur, etc. ». Ubi vides, aliqualiter adhuc salvari positivum Spiritus Sancti influxum in hagiographum ; cuius influxus ratione scriptura seu liber aliquo adhuc pacto ad Spiritum Sanctum referretur auctorem. Propterea, in sententia Bonfrerii (aliunde minime recipienda, ut in sequentibus apparebit), non ideo *dumtaxat* liber aliquis pro sacro et canonico haberi debebit, quod revelationem sine errore contineat. Sed rursus, theologi quidam ante Vaticanum, opinionem Bonfrerii amplexi sunt, exspoliando illam ab omni addito quo adhuc positiva Spiritus Sancti suggestio quadantenus retineretur. Posuerunt enim nudam assistentiam *in negativo* consistentem (1), et ita quidem ut ratio canonicitatis librorum Scripturae nullo iam modo ex parte auctoris repeti posset. Reliquum igitur fuit ut ex parte solius materiae seu veritatis revelatae sine admixtione erroris in eis contentae quaereretur, et hic est secundus error a Vaticano confixus ubi supra.

(1) Ita Ioannes Iahn, Introd. ad V. T., apud Franzelin de divin. Script. Thes. 4: « Divinam assistentiam ad praecavendos errores « appellamus suggestionem seu inspirationem, quae appellatio usu « loquendi consecrata est, quamvis non valde apta sit. Exprimit enim « aliquid positivum, *cum tamen notio ei subiecta sit negativa*. In hoc « ipso quippe haec divina praemunitio ab erroribus differt a revela- « tione, quod scriptori nullas novas cognitiones suppeditat, sed tan- « tummodo impedit immixtionem errorum in iis quae iam novit, etc. ».

Porro ad huius erroris confutationem eadem fere argumenta valent, quae pro refutatione praecedentis. – Et primo quidem, quidquid commune esse potest scripturae inspiratae et non inspiratae, nequaquam exhibet propriam rationem propter quam scripturae nostrae pro sacris et canonicis habendae sunt. Ipsa enim inspiratio in causa est cur sacrae dicantur et sint, iuxta doctrinam Pauli, in qua idem sunt sacrae litterae et scriptura divinitus inspirata, ut supra notatum est. Atqui in scriptura etiam non inspirata contineri potest revelatio sine errore, ut apparet in symbolis fidei et definitionibus pontificum vel conciliorum. Et ratio facile constat, quia ad hoc quod liber aliquis revelationem sine errore contineat, non est necessarius positivus ille Spiritus Sancti afflatus qui omnino de ratione inspirationis est, sicut satis superque indicat vel ipsum inspirationis nomen, et confirmat etiam Petrus in secunda epistola, I-21, dicens: *Spiritu Sancto inspirati*, (ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, moti, acti), *locuti sunt sancti Dei homines*. – Praeterea, ex hoc quod liber aliquis contineat revelationem sine errore, sequitur ad summum quod sit verbum Dei sensu obiectivo, iuxta superius praemissa. Hoc autem non satis est ad scripturam sacram, quae est verbum Dei sensu etiam formali. – Denique clausus est canon Scripturarum simul cum deposito fidei catholicae, ut fert constans et perpetuus Ecclesiae sensus. Sed in dies augeretur aut augeri posset, si ratio constituens scripturam in esse scripturae sacrae, ea esset quae nunc assignatur. Omnibus itaque modis reiicienda erronea opinio (1).

(1) In hac eadem opinione alius error omnino latere videtur. Auctores enim illi aperte supponunt quod non erant aliunde a Deo revelatae omnes et singulae veritates in libris sacris consignatae. Et assistentia quam hagiographis tribuunt, ad hoc tandem dirigebatur, ut sine errore omnia scriberent, sive quae divinitus revelata acceperant, sive quae de visu vel de auditu vel per documenta historica, humana scientia cognoscebant. Atqui simplex assistentia non id praestat, ut eo ipso fiant a Deo dicta vel testificata, ea quae dicit vel scribit homo cui assistit Deus. Sequeretur ergo, multas esse veri-

Nunc igitur, si neque ex superveniente approbatione, neque ex materia contenta repeti potest ratio canonicitatis librorum Scripturae, nihil aliud restat nisi ut repetatur ex eorum scriptione, pro quanto scilicet libri illi scripti a Deo sunt, ac per hoc, *Deum habent auctorem*. Et in hoc est veritas quae a Vaticana Synodo definita, ex fontibus revelationis accurate diligenterque iam est demonstranda.

III. – Primum porro argumentum sumitur e Scriptura ipsa, quae utique si de seipsa testimonium ponit, nonnisi veridicum perhibet testimonium, de Dei revelatione descendens. Scriptura autem seipsam testatur *divinitus inspiratam*, idque profecto, secundum quod scripta est, Spiritu Sancto inspirante. – Quo posito, sic: Libri conscripti Spiritu Sancto inspirante, a Deo sunt tanquam a causa efficiente principali, ab hominibus vero nonnisi ut ab instrumentis. Sed liber qui a Deo est ut a principali causa, et ab homine nonnisi ut ab instrunemto, est liber qui Deum habet auctorem. Ergo libri Scripturae inspirante Spiritu Sancto conscripti, habent auctorem Deum, et ut tales pro sacris et canonicis sunt habendi.

In hoc syllogismo minor est per se nota, quia in omni genere operum, effectus tribui debet causae principali quae per instrumentum agit. Ideoque, statim ac Deus causa principalis scriptionis librorum asseritur, implicita quoque assertio est, quod proprius eorumdem auctor haberi debeat. Sola ergo remanet declaranda maior : idem nimirum esse, librum conscriptum Spiritu Sancto inspirante, et librum qui ab homine non sit nisi tanquam a Spiritus Sancti instru-

tates (puta historicas) in sacris Scripturis contentas, quae non essent fide divina credibiles et credendae. Et tamen catholica doctrina docet, omnia Scripturarum asserta esse divinae fidei obiectum, quia a Deo revelata: sumendo nunc revelationem secundum quod apud theologos revelatum dicitur quidquid a Deo dictum seu attestatum est, sive de iis rebus quae humanae rationi sunt imperviae, sive de illis etiam quae aliunde in sphaera naturalium nostrarum cognitionum continentur.

mento. – Declaratur autem primo, quia inspiratio apud Paulum, est apud Petrum ubi supra, motio sub qua locuti sunt sancti Dei homines, et ex qua explicatur quomodo prophetia sive Scriptura voluntate humana allata non fuit, nec est ab humano sensu descendens, sed altius repetit originis principium, quod est Spiritus Sanctus. – Declaratur deinde secundo, quia ipsum per se inspirationis nomen semper importat suggestionem quam quis accipit ab alio. Proinde inspiratio divina est suggestio a Deo, et inspiratio divina terminata ad scripturam, est motio qua quis divinitus movetur ad scribendum ea quae sibi a Deo suggeruntur. In huiusmodi autem scriptione, habes profecto hominem in ratione instrumenti, et Deum in ratione causae principalis.

Accedunt alia plurima Bibliorum testimonia, quibus exhibetur Deus utens hominibus inspiratis tanquam organis seu instrumentis scriptionis. Velut cum dicitur Spiritus Sanctus locutus in Scripturis per prophetas, in prophetis, per os prophetarum (1). Vel cum ordine inverso dicitur homo enuntiasse textus scriptos in Spiritu Sancto (2). Vel cum absolute ponitur Scriptura pro ipso Deo loquente (3). Quae omnia egregie exponit Card. Franzelin de div. Script. Thes. 2.

Aliud quoque argumentum est ex universali SS. Patrum

(1) Act. I-16: *Oportet impleri Scripturam quam praedixit Spiritus Sanctus per os David.* Ibid. IV-25: *Domine, qui Spiritu Sancto per os David pueri tui dixisti : Quare fremuerunt gentes, etc.* Rom. I-2: Deus evangelium *ante promiserat per prophetas suos in Scripturis Sanctis.* Heb. I-6: *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit : et adorent eum omnes angeli Dei.* Heb. III-7: *Sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie si vocem eius audieritis, etc.* Heb. IV-4: *Dixit* (*Deus*) *in quodam loco de die septima sic : Et requievit Deus die septima ob omnibus operibus suis.*

(2) Matth. XX-43: *Quomodo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens : Dixit Dominus Dño meo.* Quid sit autem dicere in Spiritu Sancto, explicat ipse David 2 Reg. XXIII-2: *Spiritus Dñi,* inquit, *locutus est per me, et sermo eius per linguam meam.*

(3) Galat. III-8: *Providens Scriptura... praenuntiavit Abrahae, quia benedicentur in te omnes gentes.*

consensu. Dicunt enim, *Scripturas esse conscriptas per Spiritum Sanctum, vel per operationem Spiritus Sancti* (1), *esse litteras Dei ad homines missas* (2), *Scripturas esse a Deo dictas* (3), *esse a Deo, vel operatione Dei datas et conditas* (4), *homines in iis scribendis fuisse instrumenta sub operatione divini Spiritus* (5).

Hinc in specialibus documentis authenticis fidei Ecclesiae, explicite dicitur Deus profitendus *auctor librorum utriusque Testamenti :* « In professione fidei episcopis ordinandis prae- « scripta, quae ab eis adhuc nunc editur ; in professione fidei « a Leone IX missa ad Petrum Antiochenum ; in symbolo « Graecis proposito in Concilio Lugdunensi II, haec fides « enuntiatur : *Credo etiam novi et veteris Testamenti, Legis « et Prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem Deum « et Dominum omnipotentem.* Adhuc expressius in Concilio « Florentino, decreto pro Iacobitis idem declaratur : *Sacro- « sancta Romana Ecclesia unum atque eumdem Deum veteris « et novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum atque Evan- « gelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto « inspirante utriusque Testamenti sancti locuti sunt, quorum « libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus conti- « nentur.* Hic igitur dicitur Deus auctor Legis, Prophetarum, « et Evangelii, quatenus conscriptores omnium librorum « sacrae Scripturae locuti sunt, scribendo nempe ipsos libros, « Spiritu Sancto inspirante. Proinde talis est inspiratio ad

(1) Origen, contra Celsum, l. 5, n. 60. — Theoph. Antioch. ad Antolyc. c. 2, n. 9. — Athanas. Praef. in Psalm. n. 2-10. — Hieron. in Mich. l. 2, c. 7, vers. 5-7. — August. l. 18 de civit. c. 41, n. 1. — Chrysost. Hom. 21 in Genes. n. 1.

(2) Chrysost. Hom. 2 in Genes. n. 2. — August. Serm. 2 in Psalm. 90, n. 1. — Greg. Magn. l. 4 epist. 31.

(3) Clem. Rom. epist. 1 ad Cor. c. 45. — Iren. l. 2 c. haeres. c. 28, n. 2. — Cyrill. Hieros. Catech. 16, n. 2. — Basil. Hom. 9 in Hex. n. 1.

(4) Clem. Alex. Strom. l. 2.

(5) Iustin., Cohort. ad Gent. n. 8. — Athenag., Legat. n. 9. — Ambros., epist. 8, n. 1. — Cassiod., Instit. c. 13. — Greg. Magn., Mor., Praef. c. 1.

« scribendum, ut Deus sit auctor librorum. Porro ipsum « Concilium Tridentinum in Sessione IV, hoc decretum « Synodi Florentiae prae oculis habuit. Eodem igitur sensu « intelligi debent verba Tridentini : *omnes libros tam veteris « quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor...., « suscipit et veneratur* » (1). Novissime tandem Vaticanum hanc perpetuam Ecclesiae fidem decreto suo iterum iterumque sanxit, proscriptis simul grassantibus pro tempore erroribus qui eidem adversabantur. Sed quoniam de praeciso sensu formulae : *Deus auctor librorum utriusque testamenti*, quidam adhuc dubitare videntur, ideo statim, ad huius dubii elucidationem, sequentem statuimus propositionem.

§ 2.

Quod Deus est auctor librorum novi et veteris Testamenti non sensu abusivo, quatenus solum inspiravit hagiographis consilium scribendi, suppeditavit generale libri argumentum, et dum scriberent, adstitit ne errarent; sed sensu proprio, quatenus libros ipsos cum omnibus suis partibus, scriptoribus sacris quibus tanquam instrumentis utebatur, suggerendo dictavit. Unde sequitur, omnia et singula in originalibus Scripturae libris contenta, prout et ea ratione qua in eisdem libris lectori proposita iacent, vere esse a Deo ut directum ad nos scriptum verbum Dei.

I. – Sententia hic confutanda, est ipsa sententia Bonfrerii superius secundo loco adducta. Quae etsi, ut iacet, nequaquam dici possit in Vaticana Synodo directe reprobata, adhuc tamen facile destruitur argumento deducto ex definitione Concilii. Haec enim definitio, sensui et litterae praecedentium decretorum fidei ad amussim inhaerens, proponit integros Scripturae libros cum omnibus suis partibus, tanquam sacros

(1) Documenta Synodalia Concilii Vaticani, Collect. Lacens. Tom. 7, col. 522.

et canonicos. Sacros vero et canonicos eos declarat quatenus Deum habent auctorem. Sequitur ergo, *Deum esse auctorem integrorum librorum quoad omnes eorum partes.* Porro auctor libri integri quoad omnes eius partes, ille profecto non est, qui tantummodo suggessit scribendi consilium, suppeditando etiam argumentum generale, sed ille solus qui totum librum ab initio ad finem scripsit: idque vel per se, (quod quidem in casu, semel pro semper manet exclusum, cum sit perquam evidens, sacros libros non fuisse a Deo immediate conscriptos), vel per alium tanquam per scriptionis instrumentum. Scribere autem librum per alium tanquam per scriptionis instrumentum, nihil aliud est quam suggerere et dictare omnia quae ponuntur in libro. Ergo a primo ad ultimum, legitima Vaticanae definitionis conclusio est, quod Deus sacros libros integros cum omnibus suis partibus, hagiographis quibus tanquam instrumentis utebatur, positiva suggestione dictavit.

At statim occurrunt novi exegetae de schola larga criticorum, dicentes non definiri in Vaticano quod Deus sit librorum Scripturae auctor simpliciter et absolute, sed solum cum addito diminuente: eatenus auctor, quatenus inspirator. Ait enim Concilium quod libri canonici, *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem.* Quod est dicere, eos ideo habere Deum auctorem, quia sunt Spiritu Sancto inspirante conscripti, et non vice versa. Proinde, inquiunt, absonum est inferre modum quo se habuit Deus condendo Scripturam, ex formula dogmatica, *Deus est auctor librorum Sacrae Scripturae,* absolute sumpta, ut Franzelin fecit, de div. Script. Thes. 3. Sed vulgaris etiam logica requirit ut per prius determinetur inspirationis mensura et modus, et exinde consequenter eruatur legitima interpretatio verborum quibus librorum nostrorum auctor declaratur Deus, non autem e converso. In quo quidem, nunc sub una, nunc sub altera forma explicando, magnum doctrinae apparatum sibi videntur proferre novi nostri critici, sed frustra, quia fortasse ipsorum logica, et non illa Cardinalis Franzelin, in defectu est.

In primis falsissimum est, esse in definitione Vaticana additum diminuens. Nam verba illa, *Spiritu Sancto inspirante conscripti*, assignant rationem cur libri Scripturae Deum auctorem habeant, id est causam ontologicam ex qua fit ut ad Deum tanquam ad proprium auctorem referantur. Sed quis, quaeso, unquam imaginatus est quod assignare causam effectus, est diminuere de veritate et proprietate eius quod ut effectus affirmatur? Certe cum definitur in conciliis, *Iesu Christi corpus et sanguinem in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter contineri, transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina* (1), assignatur transubstantiatio ut causa praesentiae corporis Christi in sacramento. Numquid propterea, de veritate et proprietate huius praesentiae aliquid diminuitur? Numquid non tam absolute definitur praesentiae veritas, quam absolute enuntiatur transubstantiationis realitas? Et simili modo in praesenti, utrumque est in omni proprietate terminorum accipiendum: quod Deus est librorum Scripturae auctor, et quod libri Scripturae eo inspirante conscripti sunt. Non ergo, vel specie tenus, additum diminuens ibi invenire est.

Insuper distinguere oportet causam essendi quae est in ordine ontologico, et causam inferendi quae est in ordine logico. Et licet secundum causam essendi, ideo Deus sit Scripturae auctor, quia eo inspirante Scriptura conscripta est, et non vice versa, adhuc tamen secundum causam inferendi rectissime dici potest quod ideo Scriptura inspirante Deo conscripta est, quia habet auctorem Deum. Sicut si dicerem quod secundum causam essendi, ideo in Eucharistia continetur corpus Christi, quia transubstantiatus est panis in ipsum, ut habetur in Lateranensi IV, et quod secundum causam inferendi ideo transubstantiatus est panis, quia corpus Christi sub speciebus sacramenti veraciter continetur, ut habetur in Tridentino, Sess. 13, cap. 4. Sicut etiam si dicerem quod secundum causam essendi, ideo Caius est filius

(1) Conc. Later. IV, cap. Firmiter.

Titii, quia genitus ab eo est, et quod secundum causam inferendi, ideo est ab eo genitus, quia filius eius est. Quippe, si mihi undecumque constat filiatio, rectissime infero generationem quae est causa filiationis. Et ratio a priori est quia sicut causa ex qua necessario sequitur effectus demonstrat effectum, ita ordine inverso, effectus demonstrat causam. Hinc, si in regula fidei invenio libros Scripturae, utpote Spiritu Sancto inspirante conscriptos, Deum habere auctorem, nedum ratio mihi sit diminuendi aliquid de proprietate et rigore formulae dogmaticae, *Deus est auctor librorum Sacrae Scripturae*, suppeditatur potius unde ex hoc quoque capite mensuram inspirationis accipiam: pro quanto scilicet infallibilis Ecclesiae doctrina me certiorem facit, tantam esse inspirationi Spiritus Sancti extensionem attribuendam, quanta requiritur ad hoc ut vere et proprie dici possit Deus, librorum sacrae Scripturae auctor. Omnibus igitur modis nullius valoris est argumentum criticorum (1), et arguendo ex auctoritate conciliorum, optime infertur libros canonicos fuisse de integro a Spiritu Sancto positiva suggestione dictatos.

At nec desunt qui fidem integralis inspirationis originalium scripturarum elevare volunt, hac ratione ducti: Quia

(1) Consulto hic praetermittuntur rationes quibus nonnulli philologi persuadere volunt, non esse eumdem sensum vocis latinae *auctor*, et vocis italicae *autore*, vel gallicae *auteur*. Falsitatem inconsideratae assertionis ostendet tibi Forcellini, *Lexicon totius latinitatis*: « Auctor..... proprie significat eum qui auget, hoc est, gignit ac pro« ducit... Speciatim vero sumitur saepissime pro scriptore, *scrittore*, « *autore*. Cic. 12 Attic. 18: *Lectitare auctores*. Suet. Aug. 89: *Evolvere* « *auctores*. Id. Gramm. 8: *Evulgare libros nomine auctoris*. Liv. 2, 8: « *Invenire apud auctores*, etc. etc. ». Nonnisi quarto decimo loco ponitur acceptio illa quam adversarii propriam et primariam esse vellent: « 14° Latius inde extenditur, ad significandum eum, cuius au« ctoritate aut imperio, item consilio, opera, impulsu, suasu, vel « etiam periculo aut exemplo aliquid fit. Cic. 1 Leg. 20: *Tibi magno*« *pere auctor sum ut*, etc. Tacit. 3 Hist. 71: : *Furens miles aderat*, « *nullo duce : sibi quisque auctor*, etc. ». Caeterum, in locutione complexa, *auctor libri*, nonnisi unica est acceptio, initio posita.

scilicet in decreto Tridentini ad quod sese referunt Patres Vaticani, non dicitur simpliciter : *libros ipsos integros cum omnibus suis partibus esse sacros et canonicos,* sed : libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur.* Porro, inquiunt, non omnia quae in vulgata reperiuntur, sacra et canonica dici possunt, cum menda quaedam in ea, aequivalenter saltem, ipsum Tridentinum admiserit. Ergo partes quae sacrae et canonicae definiuntur, non sunt omnia et singula quae primitus scripta erant in libris originalibus.

Sed hoc nihil esse, evidenter tibi constabit si consideres quod decretum Tridentinum *de canonicis Scripturis* non respicit directe vulgatam versionem qua talem, quia versio non est sacra et canonica qua versio, sed solum qua authentica, id est conformis cum originali. Et de hac conformitate seu authenticitate vulgatae directe non agitur nisi in decreto sequenti *de editione et usu sacrorum librorum.* Primum itaque decretum directe est de ipsis originalibus libris, qui *integri,* ac per hoc, cum omnibus partibus ad eorum integritatem quocumque modo pertinentibus sacri et canonici definiuntur. Nunc autem, quia de aliquibus poterat oriri dubium an essent necne, integrantes Scripturae originalis partes, (nam capita 13 et 14 Danielis, itemque plura loca libri Esther, in Hebraeorum voluminibus Hieronymus non reperit ; et rursus, alia quaedam in novo testamento, velut Marc. XVI, 9-20, Luc. XXII, 43-44, Ioan. V-4 et VII-53, etc., a nonnullis Patribus notantur ut in paucioribus vel pluribus codicibus omissa) : ideo oportebat statuere pro norma aliquam editionem in concreto. Et hac de causa non satis fuit Concilio dicere, libros ipsos *integros* pro sacris et canonicis habendos, (quod utique satis erat ad integralem inspirationem originalis scripturae firmandam), sed addendum fuit : *cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur,* ut scires ad originales Scripturas ea quoque pertinere, quae in multis codicibus sive hebraicis sive graecis nunc desiderantur, et tamen

in veteri illa editione vulgata, longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata, continentur.

II. – Sequitur nunc aliud caput argumenti, iam non ex definitione Vaticana, sed ex ipsis fontibus unde Concilium suam deprompsit doctrinam. Sunt autem Scriptura et Traditio.

Et Scriptura quidem ubi supra, iam de seipsa testimonium posuit dicens: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.* Expressius in graeco: Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, videlicet: est divinitus inspirata et utilis. Porro, si inspiratio ad *omnem* scripturam, et consequenter ad omnes et singulas eius partes se extendit, ergo et suggestio seu dictatio. Ac per hoc, in ultima analysi venire nunc poterit ut conclusio argumenti scripturalis, illud ipsum quod in argumento superiori, ex auctoritate Concilii ut antecedens accipiebatur, Deum nempe esse integrae scripturae auctorem. Nam uterque processus est rectus. Primus sic: Deus est integrae Scripturae auctor, ergo omnia inspiravit, omnia dictavit. Secundo sic: Omnia inspiravit, omnia dictavit, ergo est auctor Scripturae integrae. Et uterque simul est etiam legitimus, absque calumnia circuli vitiosi, dummodo alia via quam ex alterius enthymematis conclusione, alterius antecedens supponatur acceptum.

Sed veniamus iam ad SS. Patres, integerrimos traditae ab apostolis fidei testes. Quorum testimonia si scriberentur per singula, nec ipsa arbitror integra volumina sufficere posse. Omitto igitur loca illa innumera, et ex parte superius indicata, ubi sacrae litterae dicuntur ab eis simpliciter et absolute, eloquia Dei, Dei libri, voces Dei, scripturae a Spiritu Sancto conscriptae et editae. Omitto pariter quod fides inspirationis sese ad omnes etiam minimas sacrorum librorum partes extendentis, est apud Patres universos, evidens praesuppositum super quo fundatur omnis eorum interpretandi modus, et omnis ratio respondendi ubique ad occurrentes difficultates sive antilogias. Solum in proposito est pauca quaedam selecta pro nunc adducere, quae ad rem magis facere videbuntur.

Hilarius in Psalm. 135, n. 1 : « Non est otiosus prophe-« ticus sermo.... Si enim in viris prudentibus expectari id « maxime solet, ut ea quae loquuntur, gravitate eorum doctri-« naque digna sint..., quanto magis id coelestibus eloquiis « opinandum est, ut quidquid in his est, excelsum, divinum, « rationale et perfectum existimetur ». Sed hoc profecto, non alia de causa nisi quia omnia ibi sunt dictata a Spiritu Sancto.

Chrysostomus, Hom. 21 in Genes. n. 1 : « Neque enim est « syllaba vel apiculus in sacris litteris, in cuius profundo « non sit grandis quispiam thesaurus.... Neque opus habet « divina scriptura hominum sapientia ut intelligatur, sed « revelatione Spiritus, ut hausto inde vero sensu, magnum « nobis hinc lucrum accrescat. Nam si in saecularibus negotiis « scripta quae ab hominibus conficiuntur, saepe.... ab una « syllaba multum momenti habent: multo magis hoc in scri-« pturis divinis a Spiritu Sancto compositis invenitur ».

Basilius, Hom. 9 in hexaem. n. 1, rationem exponens cur de rebus scientificis in scriptura nihil, hanc causam reddit, quia omnia in scripturis sunt dictata a Spiritu Sancto, qui de his nos instruere non curat. « Numquid ideo, inquit, « Spiritus Sancti eloquia censuero infatuata sapientia esse « viliora ? Nonne potius ideo ei dedero gloriam, qui mentem « nostram in rerum vanarum occupatione non detinuit, sed « omnia ad aedificationem et perfectionem animarum no-« strarum conscribi sanxit » ?

Ambrosius, epist. 8, asserens nihil in sacris codicibus expressum inveniri, quod non ex divina suggestione descenderit : « Non secundum artem scripserunt (sacri scriptores), « sed secundum gratiam quae super omnem artem est. Scri-« pserunt enim quae Spiritus eis loqui dabat ».

Hieronymus, epist. 27, n. 1, refutans eos quos in correctione vulgatarum scripturae versionum patiebatur adversarios : « Quos ego, ait, cum possem meo iure contemnere, « (asino quippe lyra superflue canit), tamen ne nos superbiae, « ut facere solent, arguant, ita responsum habeant : Non adeo

« me hebetis fuisse cordis, et tam crassae rusticitatis ... « ut aliquid de dominicis verbis, aut corrigendum putaverim, « aut non divinitus inspiratum. Sed latinorum codicum vi- « tiositatem, quae ex diversitate librorum omnium compro- « batur, ad graecam originem voluisse revocare ».

Augustinus multus est in eadem fide de totali illa inspiratione scripturae ubique inculcanda. Ex qua procul dubio fide inconcussa, auream hanc, et nunquam satis meditandam regulam ponit, epist. 82, n. 3 : « Si aliquid in eis offendero « litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud « quam, vel mendosum esse codicem, vel interpretem non « assecutum esse quod dictum est, vel me non intellexisse « non ambigam ».

« Cyrillus Hierosolymitanus catech. 16, n. 2, in eadem fide suos instruit catechumenos : « Ecquid aliud est, inquit, « quod cognoscat profunda Dei, nisi solus Spiritus Sanctus « qui divinas scripturas elocutus est ? » Et infra : « Ipse Spi- « situs Sanctus elocutus est scripturas ».

Gregorius Magnus, l. 4 in 1 Reg. c. 3, n. 49 : « Eorum « (sacrorum librorum) verba Paulus sive Ioannes scripsit, « sed quod quisque scripsit, loquens in eis Verbum inspiravit ». Et in praefatione Moralium, c. 1 : « Quis haec scripserit « (librum Iob), valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor « libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec « scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit qui et in illius « opere inspirator exstitit.... Si magni cuiusdam viri susceptis « epistolis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta « quaereremus, ridiculum profecto esset epistolarum auctorem « scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba « impressa fuerint indagare ».

Unde tandem Leo XIII in recentissima encyclica *Providentissimus Deus*, totius traditionis interpretem sese faciens, ait : « Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas « tantum sacrae scripturae partes coangustare, aut concedere « sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est « eorum ratio, qui ex difficultatibus se expediunt, id nimirum

« dare non dubitantes, inspirationem ad res fidei et morum, « nihilque praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrantur, « de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum « quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam « ob causam dixerit. *Etenim libri omnes atque integri quos « Ecclesia tanquam sacros et canonicos recepit, cum omnibus « suis partibus, Spiritu Sancto dictante conscripti sunt.... Haec « est antiqua et constans fides Ecclesiae* ». Vides igitur nihil expressius desiderari posse, et ideo, missis iam auctoritatibus aliis, ad conclusionem in thesi positam statim accedo.

III. - Conclusio est quod omnia et singula in originalibus scripturae libris contenta, prout et ea ratione qua in iisdem libris posita iacent, vere a Deo sunt ut directum ad nos scriptum verbum Dei. Et aperte fluit ex dictis, quia quidquid in libro ex dictatione alicuius positum invenitur, id profecto verbum eius est. Sed omnia et singula in scriptura originali fuerunt a Deo dictata, ut ante praemisimus. Ergo omnia et singula sunt scriptum verbum Dei. Verumtamen attende determinationem adiectam : *prout et ea ratione qua in libris sacris posita iacent,* quae paulo diligentius nunc considerandа manet. Et quia in omni verbo duplex habitudo est, una ad dicentem, altera ad rem dictam, videndum est quid sibi velit adiecta determinatio, accipiendo scripturam primo per ordinem ad Deum dicentem, et secundo per ordinem ad res dictas a Deo.

Quoad primum animadvertendum occurrit quod in libro quolibet, praeter verba auctoris ipsius, contingit inveniri quoque verba aliorum, et hoc dupliciter : vel per modum simplicis relationis, vel per modum citationis, Per modum simplicis relationis, si solum in libro narretur quid ab hoc vel illo dictum sit. Per modum citationis, si alterius dictum afferatur etiam ut auctoritas, in subsidium argumenti quod in libro tractatur. Et quandoque quidem ut auctoritas in materia historiae, sicut cum historicus producit fontes suos ; quandoque ut auctoritas in materia doctrinae, sicut cum theologus profert revelationis monumenta in quibus fundat

suas conclusiones ; quandoque ut auctoritas ad hominem sicut cum quis ad confundendum suos contradictores, testimonia ponit quae ipsi respuere non possunt ; quandoque ut auctoritas puri facti, sicut cum consequentiae alicuius doctrinae confirmantur ex confessionibus eorum auctorum qui hanc doctrinam profitentur, atque ita porro discurrendo per singula. Semper enim invenietur citatio proprie dicta a simplici relatione in hoc differre, quod relatio simplex solum narrat quid fuerit dictum ab aliquo, citatio vero profert etiam auctoritatem in ordine ad scopum quem libri auctor prosequitur. Quod autem utroque modo interserantur etiam in Bibliis alienae sententiae, non secus ac in aliis quibuslibet humanae originis libris, non est ullatenus ambigendum. Nam relationes verborum a variis personis dictorum continuo occurrunt in sacris libris historicis. Citationes quoque passim adsunt, eaeque non solum ex aliis ipsius Scripturae partibus, uti frequentissimum est in evangeliis et epistolis apostolicis, verum etiam quandoque ex auctoribus profanis, sicut exempli gratia apud Paulum, Tit. I-12 : *Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta : Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.*

Quaeritur ergo utrum loca quoque illa scripturarum quae sive citationibus sive relationibus verborum humanorum constant, adhuc sint verbum Dei, et ad Deum tanquam ad dicentem sint referenda. Et non est dubium quin responsio esse debeat affirmativa, modo hic adhibeas determinationem superius assignatam : *prout et ea ratione qua in sacris libris posita iacent.* Videlicet sunt verbum Dei, formaliter qua relationes vel citationes. Omnis enim citatio, qua citatio est, ab auctore est, et omnis auctor dicit suas citationes, sicut et dicit suas relationes. Quasi vero citationes essent in libris aliquid adiaphorum, nihilque conducens ad finem quem sibi auctores praestituunt ! Proinde libri Scripturae non haberent quoad omnes suas partes auctorem Deum, si citationes omnes et singulae ex inspiratione seu suggestione divina non essent, sed forte ab hagiographis proprio marte

fuissent insertae. Et hoc iam nota pro confutatione theoriae de citationibus implicitis, ad sensum novellae scholae criticorum. De quo tamen postea. Nunc enim restat ut observatio facta circa scripturam per ordinem ad dicentem Deum, eodem modo applicetur per ordinem ad res dictas a Deo.

Diversa sane ratione contingit Deum dicere res quae in sacris libris continentur. Nam res illae, vel sunt propriae cogitationes Dei, vel sunt dogmata religionis, vel sunt facta historiae, vel denique sunt sensus seu affectus alicuius personae creatae. *Et semper ea ratione a Deo dicuntur, qua ratione in scriptura proponuntur.* Si ut propriae cogitationes Dei, si ut dogmata religionis, si ut historiae facta, sic sunt absolute et secundum se a Deo dictae. Si vero ut sensus seu affectus personae creatae, sic dicuntur a Deo ut talis personae sensus, praescindendo ab eorum absoluta veritate, vel etiam rectitudine ac sanctitate. Quanquam distinctione hic maxime opus sit. Nam persona illa, vel est persona idealis et typica, vel vivens et concreta. Si vivens et concreta, videndum est an ea persona sit quae in aliorum exemplum et informationem fuerit divinitus constituta, vel non. Si idealis et typica, videndum est cuiusnam sit idea vel typus, an impii, an stulti, an hominis humanis praeiudiciis abducti, sicut passim occurrit in quibusdam libris sapientialibus (1), an potius animae fidelis vel Ecclesiae, sicut frequens est in

(1) « Alia sunt quae in libro (Ecclesiastae) per inquisitionem « moventur, atque alia quae per rationem satisfaciunt; alia quae « ex tentati profert animo, atque adhuc huius mundi delectationibus « dediti, alia vero in quibus ea quae rationis sunt disserit, ut animum « a delectatione compescat... Sicut ergo delectationem prius carna- « nalium exprimens, curis postpositis, denuntiat bonum esse man- « ducare et bibere, quod tamen postmodum ex iudicii ratione repre- « hendit, cum esse melius dicit ire ad domum luctus quam ad do- « mum convivii..., ita etiam concionator noster (Ecclesiastes), velut « ex mente infirmantium, humanae suspicionis sententiam proponit, « dum dicit: *Unus interitus est hominis et iumentorum, et aequa u- « triusque conditio* ». Gregorius Magnus, l. 4 Dialog. c. 4.

Psalmis et Cantico Canticorum (1). Quae enim a Deo dicuntur in persona hominis impii vel abrepti humanis praeiudiciis, nequaquam ab eo dicuntur ut in se vera, recta, et sancta, sicut evidentissime constat. Quae autem in persona fidelis animae, ista sine dubio dicuntur ut sensa Dei, id est ut affectus et sensus qui sunt secundum cor Dei. Simile enim est quando profani auctores in dialogis, dramatibus, hymnis, vel canticis, ponunt sua propria sensa in ore personae abstractae seu idealis, sub forma accommodata conditioni illius in cuius ore ponuntur. Porro idem quoque iudicium ferendum erit, si persona cuius sensus et affectus a Deo dictante et inspirante dicuntur, sit persona realis et concreta, quam tamen posuit Deus in exemplum et informationem aliorum. Et haec observatio valet quoad plurima epistolarum apostolicarum loca ut infra videbitur.

Denique, si quando in scriptura res proponatur ut dicta non a Deo, seb ab homine, tunc quoque tanquam eo ipso modo a Deo dicta accipienda erit. Nullam ergo patieris difficultatem in eo loco 1 Cor. VII, 8-12, qui vulgo solet obiici : *Dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis si sic permaneant sicut et ego.... Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam caeteris* (videlicet non nuptis et viduis) *ego dico, non Dominus.* Et ad meliorem rei intelligentiam cogita aliquem qui concionem componens, sic scriberet : Non ego dico, sed Dominus, quod diligendi sunt inimici, et orandum est pro calumniantibus nos. Nec esset contradictio, quia etsi omnia diceret concionator ab initio ad finem, res tamen ab ipso diceretur, non ut a se dicta, sed ut a Deo. Hoc nunc applica verbis Apostoli : *Cae-*

(1) « Certe illud meminimus saepe vos audisse quod dicimus: « vix est ut in Psalmis invenias voces, nisi Christi et Ecclesiae, aut « Christi tantum, aut Ecclesiae tantum, quod utique ex parte et nos « sumus ». Augustinus, Enarr. in Psalm. 59, n. 1.

teris ego dico, non Dominus. Licet enim totum dicatur a Domino, quia omnia scripsit Paulus ex inspiratione divina, id tamen quod pertinet ad servandam continentiam dicitur a Domino, non ut a se dictum vel praescriptum, sed ut a Paulo consiliatum. Secus vero id quod praecessit de uxore non dimittenda.

Sic igitur omnia et singula in originalibus scripturis contenta, prout et ea ratione qua in eisdem libris lectori proposita iacent, vere sunt verbum Dei, hac nimirum de causa: quia scripta sunt omnia, dictante Spiritu Sancto. Sed iam de ratione et modo huius dictationis ambigitur, et ad quaestionis solutionem sequens statuitur propositio.

§ 3.

Quod duobus modis intelligi posset, scripturam fuisse Spiritu Sancto dictante conscriptam. Uno quidem modo per dictationem materialem seu verbalem. Alio vero modo per dictationem longe altioris ordinis, hoc est per interiorem motionem seu instinctum ad concipiendum mentaliter sententias et propositiones quas Deus ad nos per hagiographos dirigere voluit, easque sic conceptas scripto consignandum. Et quod prior dictationis modus nec est necessarius ad hoc ut dicatur Deus librorum Scripturae auctor, nec est generatim loquendo ullatenus admittendus. Unde relinquitur modus posterior, ut in quo vere habeatur propria ratio inspirationis de qua Vaticanum: « Eos vero « (libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, propterea « quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent « auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt ».

I. – Dictatio verbalis ea esset in qua hagiographus nullum ministerium praeberet, nec in concipiendo, nec in exprimendo ea quae scribit, sed ex suggestione divina acciperet verba materialiter chartae commendanda. Sic magister in

schola solet discipulis dictare lectiones ; sic scriptor lucubrationes suas amanuensi. In quo quidem dictationis modo nihil profecto refert an amanuensis intelligat vel non, ea quae dictantur. Et ad hunc modum reducitur instinctus propheticus datus Caiphae, quando teste Ioanne XI-50, dixit : *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Non enim intelligebat Caiphas sensum suae locutionis secundum quod prophetica erat, et a Deo inspirata. Fuit igitur ibi quaedam dictatio verbalis, quatenus cum intenderet Caiphas suam propriam mentem exprimere, talia ei verba divinitus suggesta sunt, quae essent simul idonea ad exprimendam mentem plane diversam Spiritus Sancti. Unde S. Thomas, 2–2, Q. 173, a. 4 : « Quandoque « ille cuius mens movetur ad aliqua verba exprimenda, non « intelligit quid Spiritus Sanctus per haec verba intendat, « sicut patet de Caipha, Ioan. XI ». Caeterum, sive intelligentia dictatorum concomitanter habeatur, sive non, semper est idem per se invariatus dictationis modus, nimirum per materialem vocabulorum propositionem, in qua nihil activitati instrumenti relinquitur praeter merum mechanicum transcribendi vel exterius eloquendi laborem.

Porro vel ipsa simplex rei expositio luculenter ostendit non esse hunc dictationis modum admittendum quoad libros Scripturae sacrae. Et ratio est quia sic, libri scripturae nulla plane ratione essent ex notitia hagiographorum, per quorum ministerium conscripti sunt. Nam certe, quidquid amanuensis scribit sub dictatione verbali, nequaquam de eius notitia formaliter loquendo depromitur, cum ipse se habeat ad dictantem ut purum materialis scriptionis instrumentum. Atqui tale quid de libris canonicis minime est admissibile, et ne in cogitationem quidem venire potest : tum quia tolleret veritatem illius locutionis qua, teste apostolo Petro ubi supra, locuti sunt sancti Dei homines, quaeque procul dubio intelligenda est de locutione ex interiori notitia orta, prout decet homines rationales, praesertim ad tantum dignitatis culmen per charisma Spiritus Sancti evectos ; tum

quia est contrarium iis quae de seipsis diserte etiam hagiographi asseverant. *Hic est discipulus ille,* inquit Ioannes, *qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec.* Et iterum : *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae.... et testamur.... et annuntiamus vobis.* Et Lucas in prooemio sui evangelii : *Visum est et mihi assecuto omnia a principio diligenter,* (utique ab his qui ab initio viderunt, et ministri fuerunt sermonis), *ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Et auctor 2 Mach. II-27 : *Et nobis ipsis qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus.* Quae omnia profecto non sunt simplicium amanuensium. Amanuensis enim nihil testatur, non opus habet assequi praeviam cognitionem earum rerum quas scripto effert, non assumit negotium sudoris et vigiliarum plenum, sed quorum verborum phantasmata interius accipit, eorum lineamenta exterius ponit.

Praeterea, sicut inspiratio divina non tollit in sacris libris historicis formalitatem auctoritatis etiam humanae quae ceteris quibusvis monumentis praeteritorum temporum communis est, atque in praeambulis fidei ad fundandum credibilitatis iudicium usui esse debet : ita nec aufert ab epistolis apostolicis veram ac propriam rationem epistolarum, sive Pauli, sive Petri, sive Iacobi, atque ita porro. Sed si sacri illi libri ab hagiographis emanassent tanquam a puris Dei amanuensibus, nec evangelia in aliquo convenirent cum consuetis historiae documentis, nec epistolae vere inscriberentur : epistola Pauli ad Romanos, epistola Petri ad electos advenas dispersionis Ponti, et sic de aliis. Quippe epistola quam purus amanuensis scribit, non ipsius, sed solius dictantis epistola est.

Accedit tertia consideratio quae ad universos scripturae libros aequaliter applicatur, quia singuli hagiographi proprium habent stylum secundum diversitatem ingenii, educationis, atque originis. Certe de Isaia dicit Hieronymus : « Ac primum de Isaia sciendum quod in sermone suo disertus

« sit : quippe ut vir nobilis, et urbanae eloquentiae, nec habens « quidquam in eloquio rusticitatis admixtum. Unde accidit « ut prae caeteris, florem sermonis eius translatio non po- « tuerit conservare » (1). Tum de Ieremia : « Ieremias propheta, « sermone apud Hebraeos, Isaia et Osee et quibusdam « aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est, « quippe qui eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas « eloquii, a loco ei, in quo natus est, accidit. Fuit enim Ana- « thothites, qui est usque hodie viculus, tribus ab Ierosolymis « distans millibus » (2). Tum de Ezechiele : « Eodem tempore, « licet posterior, hic in Chaldaea, Ieremias in Iudaea prophета- « verunt. Sermo eius nec satis disertus, nec admodum rusticus « est, sed ex utroque medie temperatus » (3). Denique quis non vel primo intuitu recognosceret proprium et characteristicum vel Pauli vel Ioannis modum, ut de caeteris sileam, de quibus etiam par atque eadem ex omnium consensu observatio est ? Nunc autem in hypothesi verbalis dictationis, in qua omnis etiam grammaticalis constructio esset a solo Deo, et nihil plus contulisset hagiographus quam merum materialis calami ministerium, diversitas illa in sacris libris inventa non secus ac in aliis omnibus litterariis hominum operibus, nullam connaturalem haberet explicationem. Accedit tandem quod absonum esset refundere in Spiritum Sanctum vitia grammaticae, velut soloecismos, hyperbata, et alia eiusmodi quae notat Hieronymus in c. 3 ad Ephesios, aut imperitiam sermonis quam Paulus 2 Cor. XI-6 in se confitetur, aut possibiles defectus pro quibus forte admissis excusationem petit auctor 2 Mach. XV–39, sic dicens : *Ego quoque in his faciam finem sermonis. Et si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim. Sin autem minus digne, concedendum est mihi..*

Concludendum igitur est, inadmissibilem esse verbalem

(1) Praefatio in librum Isaiae.
(2) Prologus in Ieremiam.
(3) Praefatio in Ezechielem.

illam dictationem a nonnullis theologis assertam, et tanto magis inadmissibilem, quanto minus necessaria ostenditur ad hoc ut cum omni verborum proprietate Deus sacrorum librorum auctor et dicatur et sit. Adhuc enim sine illa manet ipse solus principalis causa compositionis et scriptionis eorumdem, quemadmodum satis superque apparebit ex his quae in sequentibus supersunt iam explananda.

II. – Dico itaque assurgendum esse ad altiorem dictandi modum, eumque maxime proprium Deo. Et ad huius rei evidentiam considerandum venit quod in editione cuiuslibet libri duo distinguuntur : primo compositio contextus sententiarum, seu mentalis eius conceptio et formatio ; tum deinde scriptio exterior, quae nihil aliud est quam transpositio formati contextus in materiales chartas per calamum et atramentum. Duobus proinde modis imaginari poteris, aliquem assumi in libri edendi instrumentum. Primo ita ut sit instrumentum quoad solam scriptionem externam. Secundo, ita ut sit instrumentum quoad ipsam quoque contextus compositionem. Et non est tertius quispiam modus excogitabilis, ut cuilibet attendenti statim apparebit.

In primo igitur modo intervenit dictatio verbalis mox declarata, in qua totius acceptio contextus a dictante est, et activitas instrumenti nonnisi consequenter incipit exerceri, quia tunc instrumentum pure et simpliciter movetur ad hoc ut vocabula ab exteriori sibi suggesta, calamo delineet. Et cum ad compositionem libri nihil conferat, nihil quoque in ea ponit de proprio stylo propriave ratione concipiendi. Unde tandem, excepta manuscripti materialitate, nihil refert, cuius scribae, cuiusve amanuensis ministerium adhibeatur. At non ita in altero modo, ubi intervenit dictatio quae iam non fit per verba sonantia vel eorum phantasmata. Tunc a dictante non est acceptio contextus iam formati. Tunc activitas instrumentalis praecedit formationem sententiarum, quia ad ipsammet ordinatur. Tunc non sola scripti materialitas, sed et eius formalitas impressam retinebit propriam instrumenti indolem, characteristicumque modum.

Porro dictatio ista consistit in interiori motione seu instinctu ad concipiendum mentaliter sententias et propositiones quas principalis auctor in libro esse vult easque sic conceptas scripto consignandum. Et quia, ut supra ostensum est, prior dictationis modus in scripturis sanctis non habuit locum, remanet admittendus hic posterior, ut in quo sit reposita vera et propria scripturalis inspirationis ratio.

Sed ne confusa et generali tantum notione contenti esse videamur, veniendum est nunc ad ulteriorem eius expolitionem seu analysim, quam in sequenti capitulo, Deo iuvante, pro viribus prosequemur.

CAPITULUM SECUNDUM

UBI NOTIO INSPIRATIONIS MAGIS EXPOLITUR

Ὑπὸ Πνεύματος Ἁγίου φερόμενοι
ἐλάλησαν ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι.

2 Petr. I-21.

Quisquis sane ad scribendum librum se accingit, tria facit. Primo accipit notitiam rerum de quibus erit ille liber. Secundo excogitat intus in mente sua singulas per ordinem sententias, simul cum verbis quibus exprimantur. Tertio exterius transcribit in codice contextum qui fuit prius in cogitatione formatus et expressus. Porro, si verum est sanctos Dei homines per quos in scripturis sacris locutus est Spiritus Sanctus, non fuisse puros et simplices amanuenses, sed aliquo etiam pacto auctores librorum qui sub eorum nomine publicantur, consequens est quod in eis etiam, tria illa quae in ceteris auctoribus signata sunt, reperire sit. Differenter tamen, quoniam non principales, sed instrumentales tantum auctores sunt. Et quia eatenus instrumentales, quatenus sub inspiratione divina scripserunt, prae primis necesse est secernere id quod praesuppositive solum ad inspirationem se habet, ab eo quod ipsam rationem praedictae inspirationis seu dictationis seu motionis instrumentalis (haec enim omnia in praesenti idem sunt), intrinsece et formaliter ingreditur. Huc igitur spectabit prior huius capituli propositio.

§ 1.

Quod acceptio notitiae rerum scribendarum est quidem de praerequisitis ad inspirationem, sed nondum in ea formaliter includitur. Et quod haec acceptio fit dupliciter. Vel per communicationem divinam secundum unum aut alterum e multiplicibus modis quos assignat S. Thomas ubi de prophetia, si res sint a cognitione scriptoris procul remotae. Vel per media naturalia sub assistentia divina, utputa per propriam hagiographi industriam in quaerendis documentis, consulendis fontibus historicis, et comparandis omnibus quae ad scientiae humanae acquisitionem faciunt, si secus.

I. — Notissimum est, multas esse res in scripturis quae hagiographis nota esse non potuerunt nisi per revelationem propheticam. Est autem prophetica revelatio de his quae procul sunt a nostra cognitione; quorum est triplex gradus, ait S. Thomas 2-2, Q. 171, a. 3: « Unus est eorum quae « sunt procul a cognitione huius hominis sive secundum « sensum sive secundum intellectum, non autem a cognitione « omnium hominum. Sicut sensu cognoscit aliquis homo « quae sunt sibi praesentia secundum locum, quae tamen « alius humano sensu, utpote sibi absentia, non cognoscit. « Et sic Elisaeus prophetice cognovit quae Giezi discipulus « eius in absentia fecerat, ut habetur 4 Reg. V. Et similiter « cogitationes cordis unius alteri prophetice manifestantur, « ut dicitur 1 Cor. XIV, et per hunc modum etiam, ea quae « unus scit demonstrative, alii possunt prophetice revelari. « Secundus autem gradus est eorum quae excedunt univer- « saliter cognitionem omnium hominum, non quia secundum « se non sint cognoscibilia, sed propter defectum cognitionis « humanae, sicut mysterium Trinitatis quod revelatum est « per Seraphim dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* etc., « ut habetur Isai. VI. Ultimus autem gradus est eorum quae

« sunt procul ab omnium hominum cognitione, quia in seipsis « non sunt cognoscibilia, ut contingentia futura quorum ve- « ritas non est determinata. Et quia quod est universaliter « et secundum se, potius est eo quod est particulariter et per « aliud, ideo ad prophetiam propriissime pertinet revelatio « eventuum futurorum, unde et nomen prophetiae sumi vi- « detur ». Constat autem quod prophetica revelatio de qua nunc nobis sermo, minime restringitur ad res ultimi gradus, sed generaliter extenditur ad ea omnia quorum notitia adveniebat hagiographis supernaturali via, sive essent de futuris contingentibus, sive de mysteriis coelestibus, sive demum de iis quae etsi intellectum humanum per se non superantia, ex quacumque tamen causa ipsis sacris scriptoribus naturaliter nec cognita erant, nec cognoscibilia.

In hac porro revelatione prophetica duo generatim distinguit S. Thomas tanquam a Deo indita : primo species ad repraesentandum veritates intelligibiles, secundo lumen confortans potentiam intellectivam ad eas assequendas recto iudicio. Et quantum ad primum ait esse similitudinem inter divinam revelationem et doctrinam humanam, non autem quantum ad secundum, quia homo suo discipulo repraesentat aliquas res per signa locutionum, sed non potest interius confortare intellectum ad recte et infallibiliter iudicandum de rebus praesentatis (1), Insuper, quoad ipsam rerum repraesentationem quae fit per species, similitudo doctrinae humanae valde deficiens est et imperfecta. Intelligibiles enim species humanus magister non causat in mente discipuli, nisi proponendo ei quaedam exteriora signa intelligibilium intentionum quas intellectus discipuli ab illis signis accipit, et recondit in seipso (2). At Deus multis aliis modis, iisque etiam longe excellentioribus, id facit. Res enim repraesentantur menti prophetae, quandoque quidem mediante sensu exteriori, sicut cum Daniel vidit scripturam parietis. Frequentius

(1) S. Thom. 2-2 a. 173, a. 2.
(2) S. Thom. de Verit. Q. 11, a. 1.

vero, vel per formas imaginarias divinitus formatas et non per sensum acceptas, sicut cum Ioannes vidit in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis, et cecidit ad pedes eius tanquam mortuus; vel per species praeacceptas a sensibus, sed divinitus aliter ordinatas secundum congruentiam ad veritatem revelandam, nam(et ex diversa ordinatione earumdem litterarum accipiuntur diversi intellectus), sicut cum Ieremias vidit ollam succensam a facie aquilonis; vel demum per species immediate et directe ipsi menti impressas, sicut patet de his qui acceperunt scientiam vel sapientiam infusam (1). Et propter hoc Apostolus dicit, multifariam multisque modis olim locutum esse Deum in prophetis.

Verum de diversis illis modis quibus acquiritur prophetica cognitio, non est nunc disserendi locus. Id unum interim animadvertes, quod etsi recte a Deo infusa dicantur huius cognitionis principia, puta lumen interius confortans intellectum, vel etiam species revelandarum rerum repraesentativae (quanquam illae non semper sint ex infusione divina, ut mox dictum est, sed quandoque a Deo sit sola nova ordinatio seu dispositio specierum praeexsistentium), nusquam tamen dices infusum ipsum cognitionis actum. Etenim actus cognoscitivus quaedam operatio vitalis est, essentialiter ab intrinseco exoriens atque elicita, cui absolute repugnat ut sit ab exteriori indita. Unde sequitur quod ipsa quoque cognitio prophetica adhuc servat modum cognoscentis. Modum autem cognoscentis dico, etiam ex parte rei cognitae, sicut generale est quoties cognitio perficitur per hoc quod cognitum intelligibiliter concipitur et exprimitur a cognoscente. Et haec observatio non parum iuvabit in decursu huius nostrae analysis, ut postea suo loco apparebit.

II. – At non omnia in libris Scripturae consignata, de eo genere rerum sunt, quas praecedens categoria comprehendit. Plurima enim inveniuntur, quae vel ex intima conscientia sacri scriptores noverant, sicut patet de propriis cogitatio-

(1) S. Thom. 2-2, Q. 173, a. 2.

nibus propriisque affectibus ab eis identidem manifestatis et expressis ; vel in sua memoria retinebant, sicut constat de eventibus quibus ipsi interfuerant, et quorun testes existebant oculati ; vel denique communibus et humanis mediis assequi poterant, sicut videre est quoad facta quae in historiae fontibus continebantur.

Porro, non solum nulla est necessitas asserendi, harum rerum notitiam alia via quam communi et ordinaria, eis advenisse, verum etiam est positiva negandi ratio, eaque apodictica et plane peremptoria, cum ipsi hagiographi consuetum informationis modum, vel signate vel exercite de se attestentur. – Signate quidem, velut cum auctor 2 Mach. II-24, asserit se uno volumine breviare ea quae fuerant a Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa, vel cum Lucas in principio sui voluminis declarat dicens : *Sicut tradiderunt nobis qui a principio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis.* Ex quo recte infert Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis : « Igitur evangelium sicut audierat scripsit, acta « vero apostolorum sicut viderat ipse composuit ». – Exercite etiam, velut cum historici sacri passim indicant fontes unde hauserunt cognitionem eventuum, quemadmodum frequens est in quatuor libris Regum, et in duobus Paralipomenon. Nam 1 Par. XXIX-29, historia David sic concluditur : *Gesta autem David regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, et libro Nathan prophetae, atque in volumine Gad videntis.* Item paulo supra, XXVII-24, de *fastis regis David* occurrit mentio. Et 2 Reg. I-19, elegiam de morte Saulis et Ionathae *ex libro iustorum* se transumpsisse sacer auctor ait. Et 3 ac 4 Reg., de libro verborum dierum Salomonis, de fastis regum Iuda, et fastis regum Israel continua allegatio est (1). Et ideo non est in hac parte relictus ullus dubitandi locus.

Animadverte tamen quomodo consulto dictum sit in

(1) Cf. Cornely, Introd. in V. et N. T. libros. De V. T. libris historicis, c. 5.

thesi : *per media naturalia sub assistentia divina*, ut scilicet iam insinuetur, debuisse omnem praecaveri errorem in hac informatione ad inspirationem praevia. Et ratio est quia scribenda Deus non inspirat nisi de fundo veritatis. Si de hoc dubitas, remittam te ad ea quae inferius dicenda sunt ubi de inerrantia scripturae sacrae. Interim vero puto quod sine temeritate praesupponi potest illud quod de Deo Optimo Maximo, vel ipsa fere congenita mentibus hominum notio fert, quodque nullus unquam scientiae criticae progressus valebit expungere. Ergo, ne a spuriis et corruptis fontibus informationes suas accipiat is qui a Deo destinatur divini libri scribendi instrumentum, sensus quoque communis iam nunc satis superque requirit. Quia etsi acceptio notitiae rerum scribendarum nondum ad inspirationem formaliter pertineat, adhuc tamen ad eam se habet velut materialiter et praesuppositive. Et utrumque statim declaro.

III. — Dico igitur quod praefatae notitiae acceptio non clauditur intrinsece in inspiratione. Nam primo, omnis scriptura est divinitus inspirata, et eodem ubique modo ; quippe inspiratio unius rationis est, et non dividitur sicut genus in species subalternas. Unde libri prophetici non sunt magis inspirati quam libri historici ; non minus inspiratae partes quae tractant de rebus humanae rationi per se non imperviis, quam partes ubi proponuntur mysteria illa in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus, innotescere omnino non poterant. Sed si acceptio notitiae de rebus scribendis intrinsece ingrederetur rationem inspirationis, unum de duobus remaneret dicendum : Vel quod notitia omnium et singulorum quae continentur in scriptura debuisset a Deo per eamdem revelationis viam hagiographis advenire, vel certe quod in aliquibus scripturae partibus fuisset solum diminuta et manca et veluti dimidiata inspiratio. Quorum utrumque, ut ex praemissis constat, est omnino inadmissibile.

Praeterea, ibi incipit inspiratio ubi incipit dictatio ; imo vero, inspiratio et dictatio in praesenti sunt secundum rem unum plane atque idem. Atqui informationes de rebus scri-

bendis, materia quidem dictationis esse possunt, ad dictationem vero ipsam pertinere non possunt. Dictatio enim initium et progressum et finem habet cum initio et progressu et fine compositionis libri ; ad quam compositionem informationes se habent velut congeries materiarum ad constructionem aedificii. Sicut ergo aliud est adductio lapidum et caementi et ligni, aliud vero ipsa constructio : sic etiam aliud est acceptio notitiae scribendarum rerum, aliud vero instrumentalis motio qua ad componendum et scribendum librum movetur hagiographus.

Denique, inspiratus in quantum huiusmodi comparatur ad inspirantem tanquam instrumentum ad causam principalem. Sed in simplici notitiae acceptione nemo censetur instrumentum eius a quo accipit. Ergo rursus, eadem notitiae acceptio, etiamsi sit a Deo revelante, adhuc est extra propriam intrinsecamque inspirationis rationem. Et sic semper redit eadem conclusio.

Verumtamen, undecumque accepta, sive a revelante Deo sive ex fonte naturali, semper est praesupponenda notitia illa, ut necessaria conditio. Quod quidem iam fere declaratum est, cum de dictatione verbali tanquam non habente in sacra scriptura locum, agebatur. Sed et magis magisque perspicuum fiet in propositione sequenti, ubi ipsa inspirationis formalitas nunc venit explicanda.

§ 2.

Quod inspiratio formaliter constat motione intellectus et voluntatis, qua scriptor sacer est motus divinitus, primo quidem ad formandum intus apud se contextum sententiarum quas Deus ut principalis auctor in libro scribi vult, tum deinde ad delineandum scriptione materiali quicquid fuit prius mentaliter compositum instinctu seu afflatu divino. Et quod scriptum huiusmodi vere est scriptum Dei, tametsi servet proprium scriptoris humani characterem quantum ad modalitatem conceptionum et connexam styli ac litterariae artis rationem.

I. – Illud iam antea observare datum, videlicet quod apud nos libri bis scribuntur : prius in mente tanquam in tabula spirituali ac viva in qua est verum exemplar, deinde in codice tanquam in exemplo seu apographo quod sumitur ab exemplari. In prima scriptione intellectus sibi ipsi calamus est, ex seipso et in seipso formans mentalia verba sententiarum, simul cum imaginibus correspondentium vocabulorum. In altera vero indiget materiali instrumento, mediante quo reddit exterius, ac veluti transponit quaecumque sunt intus apud se praedelineata. Sic certe res se habet in omni factura libri, cuius homo quispiam principalis auctor est, proprioque marte compositor.

At nunc de homine agitur divinitus inspirato, qui ratione inspirationis, non principalis auctor est, sed instrumentalis tantum. Si autem instrumentalis tantum, iam illa duo quae praedicta sunt, proportionaliter varientur necesse est.

Et primo quidem variabitur id quod pertinet ad mentalem libri compositionem, pro quanto mens scriptoris iam non ex seipsa movebitur in formandis determinandisque sententiis, simul cum verbis earumdem enuntiativis, sed nonnisi sub motione et ex motione a Deo recepta, cuncta in libro inserenda concipiet et describet in cogitatione sua. Et vide ibi analogiam cum calamo materiali secundum generalia principia quae dantur de instrumento. Certe omne instrumentum propriam habet operationem quam elevat motio agentis principalis : ut si dicamus quod calami materialis propria operatio est describere lineas cum atramento ; instrumentalis autem, ordinate illas describere, tali nimirum ordine talique dispositione, ut signa evadant intellectualium intentionum. Pariter ergo mens hagiographi quae praeinstructa supponitur cognitione omnium ad libri argumentum pertinentium, habebit pro operatione propria, concipere et formare sententias de rebus illis quae in sua notitia praeexsistunt ; pro operatione vero instrumentali, *tali modo concipere*, id est secundum inflexionem et determinationem et ductum Dei utentis intellectu creaturae suae tanquam quodam calamo

rationali, ita scilicet ut sententiae conceptae et idealiter descriptae, iam non sint sententiae qualescumque, sed divinae, cum ea quae divinis sententiis propria est, summae certitudinis atque infallibilitatis formalitate.

Nunc autem si in mentali compositione libri instrumentaliter se habet hagiographus, eodem quoque modo se habebit in scriptione externa, pro quanto scilicet divina motio sub qua ille consilium scribendi iam praeformaverat, sese nunc extendet ad exteriorem exsecutionem. Neque ibi peculiaris tibi difficultas occurret, cum in hac parte analogum exemplum praesto sit de dictationibus usitatis apud nos. Nam differentia inter amanuensem et hagiographum consideratur quantum ad contextum, in cuius acceptione ille passivus est, hic autem minime, sed instrumentaliter componit illum, ut dictum est. Verum, in ordine ad scriptionem externam non iam speciale inter utrumque discrimen intercedit. Vide ergo qualiter homo dictans moveat suum amanuensem, et inde sumas analogiam quae sufficit in proposito.

Sic igitur oportet agnoscere motionem divinam intus in hagiographis receptam, qua praedeterminatur intellectus ad scribendum idealiter id quod Deus scribi vult, et eo modo quo vult ; tum infallibiliter movetur voluntas ad imperandum actum externum transcriptionis in codice materiali. Apparet autem, hanc ipsam motionem esse, quae formaliter facit ut liber referri debeat ad Deum ut ad auctorem principalem. Quia igitur inspiratio nihil aliud est quam id cuius ratione Deus est librorum canonicorum auctor, sequitur quod in motione supradicta formalissime dicenda est consistere.

II. – Sed nunc nota bene quomodo oporteat ut scriptum ex ea inspiratione procedens, impressum exhibeat proprium humani scriptoris characterem, quantum ad modalitatem conceptionum et connexam styli rationem. Omne enim opus instrumentale in se habet signatum instrumenti modum, individualemque formam, sicut typi in charta descripti alius atque alius facturae sunt secundum calami grossitiem vel tenuitatem, duritiam vel ductilitatem, et sic de aliis. Et

ratio intrinseca est, *quia actio alicuius, etiamsi sit eius ut instrumenti, oportet ut ab eius potentia egrediatur,* inquit S. Thomas de Pot. Q. 3, a. 4 in corp. Quidquid autem e potentia alicuius egreditur, modum eius servat, ut per se notum est. Insuper motio instrumentalis semper addit novam formalitatem vel efficaciam propriae operationi instrumenti, sed nihil unquam destruit de his quae positive in ea includuntur, sicut facile constat, tum a posteriori discurrendo per singula instrumentorum genera, tum etiam a priori, ex hoc quod propria instrumenti operatio idipsum est quod ab agente principali quaeritur, nedum ab eo tollatur. Si igitur mens hagiographi instrumentum est, et quasi vivens Dei calamus in ipsa compositione contextus, necesse quidem est ut infallibiter concipiat et exprimat sententias ad quas concipiendas a Deo movetur, sed simul necesse est ut suo modo concipiat illas, proprioque pariter exprimat stylo.

Et confirmatur, quia ipsa quoque revelatio prophetica, licet ab exteriori veniens, debet induere modum subiecti, eo quod fit per species menti impressas et in mente receptas, adeoque eidem commensuratas, cum quidquid recipitur, ad modum recipientis recipiatur, ut fert notum axioma. Multo ergo magis idem senties de contextu inspirato, qui semper est ab intimo mentis hagiographi etiam exoriens, quatenus inspiratio inflectit et determinat activitatem intellectus in compositione et constructione sententiarum, sed non supprimit aut supplet illam. Quo fit ut quantum ad facturam, contextus ille modum habeat scriptoris a quo immediatam repetit originem, et quantum ad auctoritatem, modum induat Dei, quo movente et inflectente et determinante, ab humana et in humana cogitatione formatus atque exaratus est.

Hoc itaque pacto, sine difficultate *vestem litterariam* in hagiographos refundes, modo tamen non eo sensu vocabulum nunc accipias, quo illud sumunt novi exegetae de schola criticorum. Nam per vestem litterariam intelligunt isti formam *romanticam* vel *mythicam* multis libris sacrae scripturae inditam, ad commendandas certas veritates religiosas vel

morales. Et hanc dicunt proprio marte ab hagiographis conceptam vel quaesitam, ut esset vehiculo ideis seu doctrinis de Dei revelatione descendentibus. Sed missis pro nunc multis aliis considerationibus, haec sunt aperte contraria dogmati quo credendus est Deus auctor et inspirator scripturae, praesertim quoad omnes et singulas eius partes. Si enim scriptor Pentateuchi sua phantasia ductus assumpsit mythos chaldaicos vel aegyptiacos, ut in eis proponeret veritates revelatas de creatione, de lapsu, de originali peccato, aliisque eiusmodi ; si scriptores librorum Tobiae vel Iudith totum tramitem narrationis *ex seipsis* confinxerunt ad inculcandum meritum eleemosynae, orationis, aut fiduciae in Deum : ergo ibi erunt secundum rem, non secus ac in fabulis Phaedri vel Aesopi, duae partes plane distinctae. Una quae ipsa fabula constat, altera quae sensu et moralitate fabulae, sicut cum Aesopus concludit dicens : ὁ μῦθος δήλοι ὅτι. Et quiquid nunc sit, an adhuc posterior haec pars dici posset inspirata divinitus, certo certius non illa prior. Firmiter ergo retine id quod supra ostensum est, Deum scilicet non se habuisse ad hagiographos tanquam suppeditantem generale argumentum, ab eis deinde propria minerva pro lubitu extendendum, sed omnino sicut dictantem ratione iam dicta totum contextum ab initio ad finem. Diligenter quoque considera quod forma libri, romantica, historica, allegorica, didactica, nequaquam de accidentalibus est, ac per hoc, non potest non esse omnino determinata ab eo qui ipsius libri principalis auctor vere et proprie nuncupatur. Non ergo acquiescimus tam perniciosis novitatibus, sed solum dicimus quod intra latitudinem uniuscuiusque generis, suus cuique scriptori personalis modus est. Quem modum si vestem litterariam scripturae appellare velis, sic non immerito facturam huius vestis hagiographo attribues, cuius propriae indoli atque conditioni, ut alias semper divina motio sese accommodat.

III. – Sed iam ultimo loco, de motione ipsa in qua formaliter consistit inspiratio, quaeri potest cuius naturae sit, et in quo recipiatur.

Et dicendum quod principaliter constat motione recepta in intellectu, quia compositio libri opus intellectuale est. De cuius motionis quidditate si ulterior inquisitio fiat, nihil aliud occurrit nisi quod sit aliquid fluens et viale, proportionaliter se habens in mente scriptoris quo utitur Spiritus Sanctus, sicut virtus artis in instrumentis quibus nos homines utimur. Nam « divinum illud delapsum e coelis plectrum « velut quodam citharae aut lyrae instrumento, ita iustis « hominibus utens, divinarum nobis et coelestium rerum « cognitionem reclusit », inquit Iustinus in cohortatione ad Gentes, n. 8. Et rursus Athenagoras in legatione pro christianis, n. 9 : « Prophetae....., quae ipsis inspirabantur, ea « sunt locuti, utente illis Spiritu Sancto, velut si tibiam « inflet tibicen ». Denique, uti habet Gregorius Magnus, praef. in Iob, n. 2 : « Ipse (Spiritus Sanctus) haec scripsit qui « scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui et in illius opere inspi- « rator exstitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos eius « facta transmisit.... Cum ergo rem cognoscimus, eiusque « rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus, quia scriptorem « quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras, de « calamo percontamur ? ».

Verum, quia compositio libri non est opus intellectus nisi adiuncta voluntate, motionem quoque in voluntate receptam indubitanter agnosces. Differt tamen a praecedenti, quia motio intellectus ad hoc est requisita, ut sententiae quibus libri contextus constat, sint sententiae Dei. Motio vero voluntatis requiritur solum ad hoc, ut sint ad nos transmissae in materiali scripturae signo. Et ideo non oportet ut sit praedeterminans sicut illa prior, sed satis est ut voluntatem infallibiliter flectat, secundum modum vel modos illos qui exponi solent in materia de gratia efficaci.

Et haec quidem circa ipsam inspirationis formalitatem proponenda occurrebant. Superest tantum ut consectaria praemissorum videamus.

§ 3.

Ubi conclusiones quaedam ex enucleata hactenus notione inspirationis fluentes explicantur.

Conclusiones istae ad tria capita commode revocari possunt, secundum quod inspiratio consideratur, vel comparative ad revelationem, vel absolute secundum se, vel denique respective ad effectum suum, id est ad scripturam cuius auctor est Deus. Et singula per ordinem, quanta fieri poterit brevitate, declaranda.

Conclusio prima: *Quod accipiendo revelationem secundum sensum usu ecclesiastico consecratum, pro positiva Dei ad nos locutione, omnis inspiratio scripturae est revelatio, sed non e converso. Et quod quaedam est revelatio antecedens inspirationem quaedam consequens illam, quaedam quoque quae nullo ad eam ordine religatur.*

Revelatio iuxta etymon vocis, nihil aliud est quam remotio veli, quasi quaedam manifestatio veritatis quae prius velata erat et ignota. Quisquis igitur inhaerebit soli sensui etymologico, necesse habebit revelationem restringere ad ea tantum quae extra ambitum cognitionis humanae exsistentia, aliter quam per supernam Dei illustrationem innotescere non poterant. Nec aliam sane revelationem noverat Ioannes Iahn, quando concludebat inspirationem formaliter consistere in sola Dei assistentia ad errores praecavendos, hoc nimirum ductus ratiocinio, quod inspiratio in sua ratione formali non claudit acceptionem novae cognitionis rerum antea ignotarum ; ergo simpliciter et adaequate a revelatione condividitur ; ergo non dicit aliquid positivum ex parte Dei ; ergo reponi debet in quodam negativo, hoc est in simplici impeditione erroris, ita scilicet ut libri humana industria concinnati possint esse scriptura sacra, si modo accedat

approbatio Ecclesiae, per quam haec ipsa ab errore puritas authentice declaretur (1).

At vitium argumenti in eo potissimum est, quod dum ex una parte positivus Dei influxus in sola revelatione esse supponitur, ipsa deinde revelatio circumscribitur et coangustatur intra limites ab etymo nominis acceptos, cum tamen principium generale sit, aliud esse id a quo assumitur nomen ad significandum, aliud vero id ad quod significandum assumitur. Idem proinde fallaciae genus est ac si quis considerans substantiam dici ab eo quod est substare accidentibus, concluderet substantiae nomen nequaquam competere Deo, in quo procul dubio accidentia nulla sunt. Verum diligenter observabis quod res solent denominari a nobis secundum quod exsistunt in apprehensione nostra. Et quia apud nos substantia, id est ens in se et per se, primo et principaliter apprehenditur ut substans phaenomenis seu proprietatibus quae per sensum percipiuntur, ideo abhinc impositum est substantiae nomen, quod tamen proprie adhuc dicitur de iis in quibus sensibiles illae proprietates nec sunt nec esse possunt. Et simile quid accidit in praesenti. Debuit enim inveniri nomen ad significandum supernaturalem illam ac positivam locutionem qua Deus O. M., velut praeceptoris habitu sumpto, de omnibus quae ad salutem vitae aeternae quoquo modo ordinantur, humanum genus instruxit. Et

(1) « Divinam assistentiam ad praecavendos errores appellamus « suggestionem seu inspirationem, quae appellatio usu loquendi con- « secrata est, quamvis non valde apta sit. Exprimit enim aliquid po- « sitivum, cum tamen notio ei subiecta sit negativa. In hoc ipso quippe « haec divina praemunitio ab erroribus differt a revelatione, quod « scriptori nullas novas cognitiones suppeditat, eum nihil docet; « sed tantummodo impedit immixtionem errorum in iis quae iam « novit. Revelatio autem doctrinas, cognitiones, et intelligentiam di- « vinorum consiliorum subministrat. Haec definitio inspirationis et « distinctio a revelatione diligenter animadvertenda est; frequenter « enim una cum altera permiscetur, ex qua confusione magnae deinde « oriuntur difficultates ». Iahn, Introd. ad libros V. T., apud Franzelin de Script. Thes. 4.

quia in his principem locum obtinent veritates superrationales quae impenetrabili velo undequaque contectae, naturalem intellectus nostri aciem fugiunt, propterea a remotione veli omnis illa appellata est locutio de qua Apostolus : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* At perperam sane confunderes rationem impositionis nominis cum ipsa eius significatione, quasi sub revelatione non caderent veritates ullae captum rationis per se non transcendentes, aut quasi de essentia eius esset ut novas semper praesertim ipsi organo transmissionis, afferret cognitiones ; cognitiones dico quae nulla plane ratione ab eo praehabebantur vel haberi poterant. Certe non ea est revelationis ratio quam nobis suppeditat Vaticanum, cum in toto eius ambitu distinguit ea quae humanae rationi per se impervia non sunt, ab iis quae humanae mentis intelligentiam omnino superant (1). Item, cum formale obiectum fidei reponit in auctoritate Dei revelantis, et statim subiungit ea omnia fide divina credenda esse quae continentur in verbo Dei scripto (2), in quo permulta sunt exempli gratia pure historica, humanoque testimonio aliunde noscibilia, ut evidentissime constat. Sic igitur, non oportet restringere revelationem ad limites quos praestituere videretur etymon vocabuli, sed sicut omne dictum a Deo, revelatum et dicitur et est, ita revelatio ipsa pro omni positiva Dei ad nos locutione indubitanter est accipienda.

Hinc iam sequitur manifeste quod omnis inspiratio scripturae est revelatio, quia est libri dictatio, et dictatio libri procul dubio elocutio est eorum quae in libro scribuntur. Unde Cyrillus Hierosolymitanus ubi supra, catech. 16, n. 2 : « Ipse Spiritus Sanctus elocutus est scripturas ». At non convertitur propositio. Non enim vice versa, omnis revelatio inspiratio scripturae est, quia hominibus loqui potest Deus, et de facto locutus est aliis modis quam dictando scripturam.

(1) Vaticanum, Const. *Dei Filius*, cap. 2.
(2) Ibid., c. 3.

Et simile est apud homines, qui quandoque scripto, et quandoque viva voce loquuntur, quandoque per seipsos, quandoque per alios tanquam per organa seu instrumenta. Sic etiam Deus quandoque locutus est dictando scribenda, quandoque dictando verba ore proferenda, quandoque mentibus imprimendo species seu signa revelandarum veritatum per multiplices illos modos qui fuerunt iam indicati cum de cognitione prophetica ageretur.

Indubium igitur sit, esse aliquam revelationem ab inspiratione scripturae distinctam, eamque multiplicem. Quaedam enim revelatio est quae nullam ad verbum Dei scriptum dependentiam habet, sed parallela procedit via, sicut patet de sine scripto traditionibus quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt (1). Quaedam vero alia est quae ab inspiratione formaliter sumpta ita distinguitur, ut tamen ad eam referatur tanquam antecedens vel consequens ipsam. Et necessitas quidem revelationis antecedentis satis declarata est supra, § 1, pro quanto scilicet inspirationi praesupponitur acceptio notitiae de rebus scribendis. Cum itaque multa sint in scripturis quae hagiographis innotescere non poterant nisi per revelationis viam, debuerunt ista revelari prius natura quam inspirarentur. Caetera vero, eo tantum revelata fuerunt, quo inspirata. Sed haec ex praemissis patent, nec aliquid nunc adiungendum occurrit. At de revelatione consequenti hucusque nihil.

Revelationem autem consequentem dico illam per quam a Deo revelatur ipsa libri inspiratio. Non enim satis est ut liber canonicus dictante Spiritu Sancto conscriptus sit, sed oportet etiam ut hoc ipsum nobis innotescat ; innotescat, inquam, non qualibet ratione vel modo, sed sicut innotescere debent dogmata fidei in quorum numero procul dubio recensetur scripturae canon quoad omnes et singulos contentos in eo libros. Porro, etiamsi quis diceret, (quod nequaquam

(1) Trid. Sess. 4, decret. de canonicis Scripturis.

concedendum videtur), necesse esse ut hagiographus conscientiam habeat suae inspirationis (1), adhuc tamen testimonium ex eiusmodi conscientia procedens non posset fundare nisi fidem humanam, quae in proposito non sufficit. Oportet ergo venire ad revelationem Dei. Insuper haec Dei revelatio in inspiratione ipsa non clauditur, cum nullus scripturae liber exsistat qui de se tanquam divinitus inspirato testimonium ponat. Imo, licet apponeret, nondum fuisset satis, saltem quantum ad omnes indiscriminatim tam veteris quam novi testamenti libros, quia semper indiguisset authenticari ministerio eorum qui totius doctrinae revelatae promulgatores a Deo sunt constituti, cuiusmodi fuerunt quoad nos, post Christum Dominum, soli apostoli. Omnibus ergo modis revelatio quaedam inspirationem consequens, necessario est admittenda, ac per hoc, magis ac magis apparet veritas primae conclusionis, videlicet : Latius patere revelationem quam inspirationem, quatenus inspiratio non est nisi unus particularis modus illius locutionis, qua Deus seipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi dignatus est revelare.

Et de his hactenus satis. Sequitur nunc conclusio alia circa inspirationem, non iam comparative acceptam, sed absolute et secundum se.

Conclusio secunda : *Quod inspiratio tam ad verba quam ad conceptus protenditur. Et quod vivisectio quam quidam introducunt, procedit ex falso eorum supposito de eo quod inspiratio intelligenda sit per modum infusionis sive immissionis praeformatorum vel conceptuum vel verborum. Sed non habet amplius locum, accepta semel inspiratione per modum motionis qua intellectus hagiographi instrumentaliter movetur ad componendum integrum in concreto contextum, et non quoad solas in abstracto sententias, sed inseparabiliter etiam quoad verba earum expressiva.*

Semper equidem innaturalis et violenta visa est distinctio illa inter conceptus et verba a quibusdam passim theologis

(1) Cf. Franzelin de Script. Thes. 3, coroll. 3.

introducta, ut a sacra scriptura verbalem dictationem removerent. « Potest (inspiratio) spectari et pertinere.... vel « ad singulas (libri) sententias et veritates, earumque ordinem, « vel ad singula quoque verba, eorumque compositionem seu « phrasim et stylum.... Dico primo: Deus non videtur spe- « cialiter inspirasse sacros scriptores quoad singula etiam « verba et phrasim ». Ita Wirceburgenses, de principiis c. 1, a. 3, et plerique moderni cum ipsis. Verum si quis recte consideret, videbit tantam esse connexionem inter sententias et phrasim, ut par atque eadem utrobique causa esse videatur. Unum enim de duobus. Vel consideras verba quoad substantiam sensus, vel consideras illa quoad solam expressionis modalitatem. Si primum, tunc non erit minor ratio attribuendi divinae inspirationi verba quam conceptus, eo quod intentio inspirantis certo certius fertur in verba secundum sensus substantiam, imo ad illa ut sic, primo ac principaliter terminatur. Si secundum, iam e converso, non erit maior ratio attribuendi divinae inspirationi conceptus quam verba, quia cum expressionis modalitas modalitati conceptionis per omnia respondeat, si modalitatem styli in hagiographum refundis, et non in Deum inspirantem, eodem plane iure in eamdem quoque causam refundere oportebit modalitatem conceptuum. Unde a primo ad ultimum, separari videntur ea quae sunt inseparabilia, et non male in hac parte rationalista quidam observavit, introduci ibi quoddam quasi vivisectionis genus quod rei natura non patitur (1).

Sed iste dicendi modus parentelam habere videtur cum

(1) « Dire que Dieu est l' auteur des idées, que l' homme est « l' auteur des mots; que Dieu est l' auteur du fond, et l' homme « l' auteur de la forme; que Dieu est l' auteur des passages dogma- « tiques ou moraux, et que l' homme est l' auteur des passages histo- « riques ou simplement des *obiter dicta*, c' est pratiquer la vivisection... « Ni l' ancienne tradition bien interprétée, ni la raison n' admettent « les partages que les modernes, sous l' influence de préoccupations « polémiques ou apologétiques, ont essayé d' introduire dans la Bible ». Loisy, Etudes bibliques, pag. 35.

ea opinione, quae ab omni praemotione Dei penitus abhorrens, gratiam praevenientem vult formaliter consistere in ipsissimis actibus indeliberatis intellectus et voluntatis. Quasi nimirum actus illi ponerentur a Deo in anima, eo pacto quo in ea infunduntur habitus, vel imprimuntur species, cum tamen de essentiali ratione actuum, praesertim vitalium, sit, ut oriantur ab intrinseco, ac per hoc, nullum aliud proximum atque elicitivum principium habere possint praeter animae potentias, vel nudas, vel habitibus instructas, vel fluente motione ad operandum applicatas (1). Quidquid vero sit, eadem conceptio e materia de divinae gratiae auxiliis transfertur nunc ad scripturae inspirationem, quam auctores illi imaginantur non aliter intelligi posse, quam per modum infusionis ac veluti immissionis praeformatorum seu conceptuum seu verborum. Et cum viderent excludendam esse hypothesim de immissione verborum, utpote quae rationem non redderet diversitatum styli, et inutilem faceret conceptuum inspirationem, hagiographosque ipsos reduceret ad conditionem simplicium amanuensium, ideo tandem infusos dixerunt nudos conceptus, qui deinde propria industria sacrorum scriptorum sub Dei assistentia, verborum veste induerentur. Quae quidem opinio omnibus inconvenientibus premitur hactenus insinuatis, praeterquam quod, si vera essent exposita, non fuissent sacri scriptores vera Dei instrumenta, nisi forte in scriptione materiali. Caeterum, quoad sententias ipsas mere passive se habuissent, quoad verba autem, active activitate causae principalis. Atqui nec in primo, nec in secundo, nec in utroque coniunctim vera salvatur ratio instrumenti.

Nunc autem, si superstitiosum illum planeque irrationabilem praemotionis horrorem deponas, si non fingas conceptus velut e coelo delapsos et in mente repositos sicut picturae reponuntur in pinacotheca, si denique consideres mentes hagiographorum fuisse viva Dei instrumenta ad

(1) Cf. Pignataro, de Gratia, Thes. 15.

totam atque integram scripturae compositionem, iam non opus erit dissecare ea quae tam intime apud nos natura coniunxit, ideas et verba, modum loquendi et modum concipiendi, nec tandem oportebit referre ideas ad Deum, verba vero ad hominem, destruendo in re ipsa omnem veram ac propriam hominis instrumentalitatem. Sed sine difficultate intelliges totum esse a Deo ut praemovente hominem, totum quoque ab homine ut moto a Deo, quemadmodum manifestius adhuc apparebit ex declaratione conclusionis quae sequitur.

Conclusio tertia: *Quod libri sacri toti a Deo sunt, et toti ab homine, sicut opus artis totum est ab instrumento, et totum ab artifice: pro quanto nimirum non est pars a parte realiter distincta, quae propriae virtuti instrumenti seorsum ab influxu causae principalis, vel influxui causae principalis seorsum a propria activitate instrumenti debeatur, sed solum sunt distinctae formalitates quas in unam alteramve causam tanquam in proprium principium necesse est refundere.*

Haec conclusio nihil aliud est quam applicatio ad causam particularem, generalis conditionis operum quae per instrumenta efficiuntur. Quantumcumque enim excurras per omnia talium operum genera, ubique videbis sic subordinari causalitatem instrumenti causalitati agentis principalis, ut non sit assignare in effectu partes secundum rem distinctas quae alterutri seorsum causae debeant vel possint adscribi; sed est sicut in scriptura materiali ex. gr., in qua totum est a calamo, totum a scribente, et sic de aliis. Verumtamen in hoc ipso effectu realiter indiviso diversae apparent formalitates, quae aut propriae virtuti instrumenti, aut virtuti eius solum instrumentali, adeoque in ultima analysi, virtuti agentis principalis referuntur acceptae. Cogita iterum scripturam materialem, primo quidem secundum quod constat quibusdam lineis in atramento ductis, deinde vero secundum quod constat eisdem lineis certo ordine descriptis. Quorum primum refunditur in propriam calami virtutem, alterum in motionem a scribente derivatam, quanquam impossibile profecto sit ut reali divisione, hinc ponantur lineae, illinc vero artificiosa

earumdem dispositio. Et hoc ideo est, quia causa principalis et causa instrumentalis non se habent ut concurrentes, sed ut subordinatae. Quo fit ut totus effectus indivisibiliter egrediatur e potentia instrumenti prout per principale agens mota et elevata.

Haec nunc applica Scripturae sacrae, siquidem consentiens totius Traditionis testimonium nos edocuit, libros canonicos a Deo ut a principali, ab hagiographis vero ut ab instrumentalibus auctoribus vere habere originem. Totum proinde a Deo in eis est, tam quoad sententias quam quoad verba sententiarum expressiva; totum quoque ab homine, tam quoad haec quam quoad illas; ab homine tamen nonnisi ut a calamo vivo quo utebatur Deus. Hinc, ibi etiam reperire est duas formalitates distinctas, secundum quod scriptura consideratur ut constans sententiis humano modo formatis et expressis, deinde vero ut constans sententiis eisdem ita formatis et expressis, ut vere sint vi originis directus ad nos sermo Dei. Quae duo proportionaliter se habent sicut modo se habebant lineae atramentales ex una parte, et artificiosa earum in characteres et litteras distributio ex altera. Et cum haec satis per se pateant, non oportet in eis amplius immorari. Sed quia aliud est quod in libris sacris totum sit ab homine, aliud vero quod totum tam sit ab homine ac si a Deo non esset, attende iam hanc aliam conclusionem quam statim declaro.

Conclusio quarta: *Quod falsum est, libros Scripturae tam humanos esse ac si divini non essent. Falsum quoque, hagiographos fuisse nec plus nec minus auctores librorum canonicorum sicut sunt suorum auctores profani. Falsum denique, sensum eorumdem librorum non minus esse proprium scriptori biblico, quam sensum Iliadis Homero, vel orationum contra Verrem Ciceroni.*

Ista sunt asserta criticorum; ex quibus deinde deducunt multa abnormia prae scopo quem habent: aequiparandi scripturam caeteris libris humana industria concinnatis, eamque subiiciendi altae, ut aiunt, criticae iudicatorio. Sed haec nihil minus important quam puram ac meram nega-

tionem inspirationis. Re enim vera, non tam humanus est ille liber qui homini non debetur nisi ut Dei instrumento, quam ille alius qui ab homine tanquam ab auctore etiam principali repetit originem. Nisi forte contendas, tam meum esse librum quem alio dictante scripsi, quam quem proprio marte propriaque minerva composui. Proinde, si libri canonici tam humani sunt ac si divini non essent, aperte sequitur eos non esse divinos praecise in quantum a Deo principaliter, ab homine autem nonnisi instrumentaliter compositos et conscriptos ; quod aliis verbis idem est ac si diceres libros illos non esse divinitus inspiratos.

Vide ergo quomodo in hac appellatione librorum *divinorum* lateat forte aequivocatio. Ut enim ab initio dictum est, duobus modis intelligi posset scripturam aliquam esse scripturam sacram seu divinam. Primo quatenus esset a Deo inspirata. Secundo quatenus esset scriptura humanitus prius composita, quam deinde Deus fecisset suam, eodem pacto quo schema bullae a theologo elaboratum fit postea scriptura Pontificis, ratione pontificiae subscriptionis et publicationis. Et si quidem libri canonici essent hoc modo libri Dei, sic verissime diceres eos tam humanos ac si divini non essent. Tunc enim fuissent assumpti ad esse verbi Dei, tales quales eos humana fecisset origo. Tunc auctores eorum homines non ideo minus auctores exsisterent, ex quo placuisset Deo scriptis subscribere, et dicta canonizare. Tunc sensus Dei ipse utique esset nec minus, proprius humani scriptoris sensus. Tunc denique aliqualiter valeret illa quam urgent comparatio cum Verbo incarnato, cuius humanitas iisdem plane terminis essentialibus circumscribitur, ac si divinae hypostasi unita non esset. Sed non haec ratio est divinitatis librorum nostrorum, uti supra, occasione opinionis Bonfrerii, observatum est. Scripturae enim libri non eatenus divini et dicuntur et sunt, quatenus cum humana prius industria fuissent concinnati, supervenientem postea recepissent divinae auctoritatis formalitatem, sed quatenus Spiritu Sancto inspirante conditi sunt, adeoque ratione originis, et vi originis.

Hinc primo, *vi originis* non modo immunes sunt ab omni defectuositate quam sermo Dei non patitur, verum etiam positive excellunt ea quae ad dictationem ipsius Dei consequitur, certitudine, infallibilitate, atque auctoritate.

Hinc secundo, nedum sensus divinorum librorum tam proprius sit scriptoribus biblicis quam sensus Iliadis Homero, vel Aeneidis Virgilio, imo potius ita proprius est Deo, ut possit ad plura sese extendere, quam quae erant in hagiographorum vel notitia vel intentione. « Sciendum, inquit S. Thomas, 2-2, Q. 173, a. 4, quod quia mens prophetae est « instrumentum deficiens (respectu principalis agentis, id « est Spiritus Sancti), etiam veri prophetae non omnia cogno- « scunt quae in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis, « Spiritus Sanctus intendit ».

Hinc denique tertio, intra latitudinem illam quam diversa humanorum instrumentorum conditio et indoles delimitabat, ipsa scripturarum nostrarum elocutio proprium quiddam ac veluti maiestaticum habet, quo sacra illa Biblia ob omni alia litteratura in mundo unquam inventa mire discriminantur. « Modus dicendi quo sancta Scriptura contexitur, quam « omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis ! « Ea quae aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuco « ad cor loquitur, indoctorum atque doctorum. Ea vero quae « in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo « non audeat accedere mens tardiuscula et inerudita, quasi « pauper ad divitem. Sed invitat omnes humili sermone, quos « non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat « veritate, hoc in promptis quod in reconditis habens. Sed « ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, « desiderata quodam modo renovantur, renovata suaviter « intimantur. His salubriter et prava corriguntur, et parva « nutriuntur, et magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinae « inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse salu- « berrimam, vel odit aegrotando medicinam » (1).

(1) August. Epist. 137 ad Volusianum, .n 18.

Quinta et ultima conclusio : *Quod ad rationem libri inspirati nihil equidem refert, quis fuerit scriptor instrumentalis. Et quod nihilominus falsissime infertur : ergo universaliter loquendo, quaestiones de personis scriptorum biblicorum pertinent ad altam criticam, tanquam in proprio ac reservato eius campo circumscriptae.*

Sane vero, verissimum est quod Gregorius ubi supra, in praefatione Moralium c. 1, observavit dicens : « Quis haec « scripserit (librum Iob), valde supervacue quaeritur, cum « tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur... « Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis legamus verba, « sed quo calamo fuissent scripta quaereremus, ridiculum « profecto esset epistolarum auctorem scire, sensumque co- « gnoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, « indagare ». Et sensus est, quod si quando scriptor alicuius libri Scripturae ignoretur, aut non nisi dubiis atque incertis documentis commendetur, nihil sequitur incommodi. Quo fit ut non oporteat in curiosas sese tunc immiscere quaestiones, quae nec ad divinam libri auctoritatem pertinere, nec ad eius intelligentiam quidquam conferre inveniantur. Caeterum, apertissime fluit ex praemissis, personam hagiographi, quae aut qualis fuerit, plane accidere in ordine ad inspirationis effectum, ac per hoc, esse penitus indifferentem relate ad dogma quo omnes et singuli libri in indice Tridentino recensiti credendi sunt sacri et canonici.

Verumtamen, aliud omnino est quod quaestiones de scriptoribus biblicis non tangant peculiare inspirationis dogma formaliter in quantum huiusmodi ; aliud vero, quod universaliter loquendo, ad doctrinam sacram nihil attineant, et idcirco in proprio ac reservato scientiae criticae campo reponantur. Id enim certo certius non solum non sequitur ex praedeclaratis, sed etiam non sine gravissimo errore posset sustineri.

In primis, quaestiones istae quandoque intime connectuntur cum dogmate quo edocemur fuisse in apostolis clausum atque ultimo sigillatum catholicae revelationis depositum.

Nam in hoc deposito procul dubio continetur totus atque integer scripturae canon, et ideo, si verum de fide est quod eidem deposito nihil post apostolos accrescere potuit, necesse quoque est ut per apostolos ipsos vel aliquem ex eis, libri canonici omnes et singuli fuerint Ecclesiae commendati. Hoc autem esse non potuisset, si aevo apostolico posteriores exstitissent. Quisquis igitur altae criticae placitis ductus, redactionem vel unius libri, puta quarti evangelii, scriptori vel scriptoribus attribuet secundi vel tertii saeculi, iste in doctrina fidei gravissime errabit, imo propositionem enuntiabit quae necessario nexu connectitur cum propositione haeretica. Non ergo *omnis* quaestio de calamo quo usus est Spiritus Sanctus in sacris libris conscribendis de illis quaestionibus est, quae liberae criticorum operationi relinquuntur.

Praeterea, contingit quandoque ut scriptor sacer sese nominet in ipso textu inspirato, sicut videre est in plerisque epistolis apostolicis, necnon in evangelio et apocalypsi Ioannis. Nam quartum evangelium his verbis concluditur: *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec.* Discipulus nempe de quo paulo supra dictum fuerat: *Quem diligebat Iesus, qui et recubuit in coena super pectus eius.* Et quis, quaeso, erit discipulus ille scriptor, quem diligebat Iesus, quique in coena recubuit super pectus eius, nisi Ioannes apostolus? An forte dicent critici, verba evangelica aliam pati interpretationem? Aut ibi esse postillam textui inspirato posterius additam, non dictante Spiritu Sancto? Sed missis nunc aliis rationibus, tantisper interrogo, cuiusnam sit decisio de textibus inspiratis vel non inspiratis. Altae forsitan criticae, an Traditionis et Ecclesiae? Et ne in presenti effugium quaerant ex parte textuum qui sunt vel non sunt de rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, (quam distinctionem schola critica non recte assequitur, ut videbitur infra), solum nunc observo, tantum abesse quin textus illi ad res fidei indifferenter se habeant, ut modernis rationalistis causa negandi authen-

ticitatem evangelii sub Ioannis apostoli nomine evulgati, ea potissimum sit : quia nimirum dogma de Verbo quod erat in principio apud Deum, quodque caro factum est et habitavit in nobis, originis esse neoplatonicae, et secundo vel tertio saeculo resultasse ex casuali evolutione seu adaptatione ideae christianae ad tunc praevalentes Alexandrinorum philosophorum doctrinas, persuadere volunt. Quorum placitis imbutus quidam novellae scholae auctor non timuit in recentissimo opere sequentes haereses crude asserere: *Theoria Verbi incarnati fuit inventa quando evangelium praedicatum est non solis proselytis Iudaismi, sed etiam gentilibus qui hellenicam educationem acceperant* (1). Et rursus : *Hellenizatio christianismi per fidem Verbi incarnati fuit causata per statum culturae intellectualis primorum gentilium conversorum* (2). Et adhuc apertius : *Ex conatu spontaneo fidei ad sui ipsius definitionem venit progressive ad lucem graeca interpretatio messianismi christiani, quatenus Christus filius Dei et hominis, praedestinatus salvator, transformatus est in Verbum carnem factum, revelatorem Dei in humano genere, idque per adaptationem ideae christianae ad metaphysicam Platonis et Philonis* (3). Et iterum : *Orthodoxi Patres non habuerunt conscientiam mutui accepti a sapientia hellenica, et ideo plus minusve condemnani Platonem, Philonem, et Origenem, quamvis secundum veritatem historiae, dogmata Trinitatis et Incarnationis sint dogmata graeca ex fonte philosophorum emanata* (4). Dices fortasse quod haereses istae non habent necessariam connexionem cum personalitate redactoris quarti evangelii, sitne ille Ioannes apostolus, vel non sit. Et id tibi confiteor. Verumtamen, nec etiam habent amplius locum, si semel Ioannes auctor asseritur. Proinde ad hominem dico, textum supra memoratum: *hic est discipulus ille qui.... scripsit haec*, non

(1) Loisy, l' Evangile et l' Eglise, pag. 136.
(2) Ibid. pag. 138-139.
(3) Ibid. pag. 139.
(4) Ibid. pag. 140.

de illis esse quos tu adiudicares criticae sub eo pretextu, quod ad res fidei nihil attineant. Vide ergo iterum, quomodo quaestiones de scriptoribus biblicis non sunt universim loquendo, de reservato criticae iure, quasi nullo cum doctrina sacra nexu colligatae.

Sed quoniam res agitur quae multis nunc videtur liberae uniuscuiusque appretiationi relicta, et quasi nullius consequentiae in ordine ad fidem, liceat eam penitus discutere, specialiter transferendo quaestionem ad auctorem Pentateuchi.

Praecedentis conclusionis confirmatio, *ex solutione quaestionis : Utrum sine gravi errore in materia fidei dici possit, Pentateuchum non fuisse scriptum a Moyse.*

I. — Sane vero, Moysen non scripsisse Pentateuchum, opinio est quam a prima eius origine ad haec usque tempora nostra, scriptores et apologetae catholici omnes uno ore exploserant velut religioni maxime contrariam et tanquam ab incredulis, seu atheis seu deistis seu rationalistis, ad convellenda fidei christianae fundamenta data opera adinventam, summo studio confutarant.

« Quod Moyses sit auctor Pentateuchi, pro explorato « semper habuere unanimi tot saeculorum consensu tam « Iudaei quam Christiani, ut Huetius demonstrat. Verum, « cum Spinosa, Hobbes, Balingbrock, Voltaire, aliique incre- « duli, ut S. Scripturae auctoritatem et authentiam statim « in limine subruant, praefracte negent Moysen esse Penta- « teuchi auctorem, provide ipsorum cavillationes confu- « tarunt Huetius, Dem. Evang , prop. 4, c. 14 ; Calmet, Praef. « in Genesim ; Goldhagen, Introd. in S. Script. prop. 2, « sect. 1, aliique. Nos idem praestabimus, incipiendo a Vol- « tairii deliriis, etc. » (1) — « Unanimis semper fuit Iudaeo- « rum et Christianorum sententia, Pentateuchi auctorem « esse Moysen. Primi omnium constantem hanc traditio-

(1) Weith, Pentateuchus contra incredulos propugnatus, c. 1. n. 5.

« nem aperte impugnarunt Hobbes et Spinosa, a quorum « opinione non multum recedit Isaac Peyrerius. Inventas « ab iis scriptoribus difficultates studiosissime collegit, am- « plificavit, eaque styli elegantia et facilitate qua nemini se- « cundus erat, ornavit Voltaire : *Traité de la tolérance, Phi- « losophie de l' histoire, Dictionnaire philosophique, Que- « stions sur l' Encyclopédie, la Bible expliquée*, etc. Singularem « et relatae mox opinioni cognatam sententiam amplexus « est Richardus Simon, in Historia critica V. T. » (1) — « Quin- « que libros Moysen conscripsisse, in superiore huius nostri « operis parte me adeo probasse confido ut nulla praeterea « videatur necessaria esse demonstratio. Verum quia Hobbes « in opere inscripto *Leviathan*, Peyrerius in *Systemate praea- « damitico*, Benedictus Spinosa in *Tractatu theologico-politico*, « Moysen Pentateuchi auctorem esse negant, ob eam rem iterum « in hoc argumento versandum est ut cumulatissime ab- « solvatur (2) ». — « Pentateuchi opus Moysi auctori depu- « tandum esse, post tot luculentas in idem argumentum « scriptas lucubrationes, frustra prorsus a nobis in praesen- « tiarum demonstraretur. Post diuturnam sane ultra 3000 « annorum possessionem, nemo in Moysen litigator admit- « titur, nisi iuris sui non dubia tantum et ambigua, sed evi- « dentia plane et perspicua documenta protulerit. Quae autem « a recentioribus incredulis promuntur argumenta, multo « illa perspicuitate longissime absunt » (3) — « Quotquot « de rebus Iudaicis scripserunt, sive Iudaei, sive Christiani, « sive Ethnici, de antiquitate et auctoritate Pentateuchi « nullum unquam dubium obmoverunt usque ad Spinosam, « Hobbesium, Peyrerium, et quosdam vanissimos olim hae- « reticos. Horum theistae vestigia secuti, ut religionem chri- « stianam quaqua via evertant, Moysen personis romanen-

(1) Stattlerus, De auctorit. S. Script. a. 1.
(2) Marchini, Prolegom. S. Script., part. 2, a. 1.
(3) Calmet, Prolegom. in Pentat.

« sibus, et legem Mosaicam ementitis narratiunculis ac-« censent » (1).

Et longum profecto, fastidiosumque esset producere tot alia testimonia ex quibus apertissime constat, hanc fuisse a temporibus exorti philosophismi, per saecula duo cum dimidio, fixam constantemque positionem apologiae catholicae contra impietatem rationalisticam : Moysen esse certe auctorem librorum qui sub eius nomine vulgantur, *idque ad causam defendendae religionis omnino pertinere.*

Aliter equidem nunc videtur viris doctis, catholico nomine gloriantibus, in quorum libris et periodicis contraria positio invenitur. Sed illud accurate notandum, quod omnes eorum in hac etiam parte lucubrationes, non sunt nisi reproductio opinionum et conclusionum quas saeculo XIX mediante, post principales rationalisticae criticae promotores in Germania, vulgavit Ernestus Renan, sive circa auctorem Pentateuchi (2), sive circa modum seu processum redactionis historicae in Pentateucho (3). Quo fit ut in eis non tam catho-

(1) Wirceburg., De Relig. Diss. 6, Sect. 1.

(2) « La rédaction définitive des livres contenant l' histoire « ancienne d' Israel ne remonte pas probablement au delà de l' an « 750 avant J. C..... L' opinion qui attribue la rédaction du Pentateuque à Moïse parait assez moderne, et il est bien certain que les « anciens Hébreux ne songèrent jamais à regarder leur législateur « comme un historien... Les expressions *loi de Moïse, loi de Jehovah « donnée par Moïse*, n' impliquent pas que Moïse fut regardé comme « l' auteur de l' ensemble historique du Pentateuque tel que nous « le possédons, etc.» .Renan Histoire générale des langues sémitiques, l. 2, c. 1, § 2.

(3) « On a très bien aperçu dans ces dernières années où il fallait « chercher l' analogie des procédés qui ont présidé aux transforma-« tions successives des écritures historiques des Hébreux. C' est dans « l' historiographie arabe. Lorsque l' on compare en effet les unes « aux autres les diverses classes d' historiens musulmans, on recon-« nait que tous ne font guère que reproduire un fond identique, dont « la première rédaction se trouve dans la Chronique de Tabari. L' ou-« vrage de Tabari n' est lui-même qu' un recueil de traditions juxta-« posées sans la moindre intention de critique, plein de répétitions,

licos audiamus quam rationalistas ipsissimos qui nescio qua singulari sorte, quave stupenda fortuna, quoddam veluti repetitionis instrumentum et publicitatis organum in catholicis illis obtinuerunt. Non est igitur cur de eis in praesenti ratio habeatur. Neque enim nova rationalisticae sapientiae editio, ubicumque inventa et a quibuscumque illustrata atque adornata, poterit impedire quin simpliciter et absque restrictione verum sit, sententiam quae tenet Moysen certissimum Pentateuchi auctorem, sententiam esse quae apud Ecclesiae scriptores universaliter constanterque habita est ut cum causa fidei et defensione revelationis intime connexa. Nec sane immerito, ut statim apparebit.

II. — Ulterius enim nunc considerandum est quod ad doctrinam fidei aliquid potest dupliciter pertinere. Vel quia contentum in ipso fidei obiecto, quod a Deo nobis revelatum, sufficienter ab Ecclesia est propositum. Vel quia, etsi forte extra amplitudinem revelationis exsistens, nihilominus cum obiecto fidei ita est connexum atque cohaerens, ut ad eius custodiam, defensionem, propositionem, explicationem, credibilitatem requiratur, eo nimirum modo qui explicari solet ubi de obiecto secundario ecclesiastici magisterii.

« de contradictions, de dérogations 'à l' ordre naturel des faits.... « L' historiographie hébraïque a traversé des degrés analogues. Le « Deutéronome nous présente l' histoire arrivée à sa dernière pé- « riode, l' histoire remaniée dans une intention oratoire, où le nar- « rateur ne se propose pas seulement de raconter, mais d' édifier. « Les quatre livres précédents laissent eux-mêmes apercevoir les « sutures de fragments plus anciens, réunis, mais non assimilés dans « un texte suivi. Cette hypothèse, présentée d' abord comme un « hardi paradoxe au siècle dernier, est maintenant adoptée de tous « les critiques éclairés en Allemagne. On peut différer sur la division « des parties, sur le nombre et le caractère des rédactions successives, « on ne peut plus douter du procédé, qui amena au 8ème siècle avant « notre ère, le Pentateuque et le livre de Josué à leur état définitif ». Renan, ubi supra. — Ibi ergo habes legem et prophetas.

Interim ergo permittamus authenticitatem Pentateuchi secundum quod ad Moysen refertur auctorem non esse a Deo revelatam, adeoque non pertinere primo modo ad fidei doctrinam. Numquid idcirco, gravissima censura non erit digna propositio authenticitatem negans ? Sed attende, quaeso, quod authentia illa quam maxime facit ad fidei credibilitatem, et in tantum quidem, ut si semel vel negetur, vel in dubium adducatur, eo ipso tollantur magna ex parte externa revelationis argumenta a Deo disposita ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset ; quae argumenta, testante Vaticano Sess. 3, cap. 3, sunt imprimis miracula et prophetiae.

Et re quidem vera, si Pentateuchus non est genuinum opus illius auctoris sub cuius nomine hactenus fuit universaliter receptus, prae primis aufertur ab eo *omnis valor historicus*. Neque enim cum qualibet verosimilitudine poterit adscribi auctori coaevo, qui oculatus testis exstitisset eorum quae narrantur in Exodo, Levitico, Numeris, et Deuteronomio, quique ex certa traditione maiorum instrui potuisset de factis in Genesi consignatis. Imo, ad hoc ipsum increduli contra Moysen auctorem impetu facto ruunt, ut res Pentateuchi ad legendas, seu mythos, seu imaginationis popularis procreationes libere reducant ; et in hoc quoque, supra memoratos catholicos habent pedissequos, fidelesque discipulos. Ecce ergo capite truncatur historia populi Dei. Nihil iam valent antiqua miracula. Successio religionis, *saltem secundum quod consideratur in fidei praeambulis*, fit incerta. Harmonia duorum testamentorum fluctuat in aere. Praeciditur miranda illa ab Adam ad Moysem, et a Moyse ad Christum, prophetiae evolutio atque continuitas, in qua Christus ipse per oracula successiva, per oracula concordantia, per oracula semper magis praecisa pro magis magisque appropinquante temporum plenitudine, fuit annuntiatus. In summa, tollitur de medio grande illud credibilitatis signum de quo Augustinus in epistola ad Volusianum : « Quem non « moveat ad credendum tantus ab initio ipse rerum gesta-

« rum ordo, et ipsa connexio temporum praeteritis fidem « de praesentibus faciens, priora posterioribus, et recen- « tioribus antiqua confirmans ? Eligitur unus e gente Chal- « daeorum, pietate fidelissima praeditus, cui promissa di- « vina post tantam saeculorum seriem novissimis temporibus « complenda prodantur, atque in eius semine omnes gentes « habiturae benedictionem praenuntiantur... Propagatur ex « illo numerosissimus populus multiplicatus in Aegypto... « Educitur ex Aegypti servitute gens valida, pulsisque impiis « gentibus, in terra promissionis perducta et constituta, « regno etiam sublimatur. Deinde... variis flagellata cla- « dibus et prosperitatibus consolata, usque in Christi in- « carnationem declarationemque perducitur. Quem Chri- « stum Dei Filium, Deum in carne venturum, moriturum, re- « surrecturum, in caelum ascensurum, praepollentissimo suo « nomine in omnibus gentibus dicatos sibi populos habiturum, « inque illo remissionem peccatorum salutemque aeternam « futuram esse credentibus, omnia gentis illius promissa, « omnes prophetiae, sacerdotia, sacrificia, templum, et cuncta « omnino sacramenta sonuerunt. Venit et Christus. Complen- « tur in eius ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, « resurrectione, ascensione, omnia praeconia prophetarum... « Quae tandem mens avida aeternitatis, vitaeque praesentis « brevitate permota, contra huius divinae auctoritatis lu- « men culmenque contendat ? ». Egregie quidem, o Augustine, modo de factis quae adducis, *historice constet*. Nunc autem, cum Pentateucho, utpote incertae originis incertique auctoris, nulla humana fides sit, artificialis et imaginaria invenitur ista constructio, cui basis deest, et primum aedificii molem sustentans fundamentum.

Sed iam argumentum crescit, quia si Pentateuchus authenticus non est, quomodo adhuc authenticae prophetiae posteriores, puta Isaiae, Ieremiae, Danielis, et aliorum ? Non enim, puto, afferri poterunt fortiores rationes pro his quam pro illo. Et si valent argumenta criticorum contra Moysen, valebunt alia eiusdem valoris, vel ut verius dicam,

eiusdem levitatis contra caeteros (1). Et consequentia ipsis etiam factis facile confirmatur, quia habemus iam proto–Isaiam et deutero–Isaiam. Habemus quoque pseudo–Danielem. Habebimus mox pseudo–Ieremiam, pseudo–Michaeam, atque ita porro, et nihil remanebit nisi lacera quaedam vaticiniorum compilatio, de quibus nemo sciet unde orta, a quibus edita, ad quam epocham referenda, etc.

Accedit quod semper intellexerunt maiores nostri, ideo Deum permisisse casum Iudaeorum, et tam grandi miraculo conservasse hunc populum in sua dispersione inter gentes, ut idem ille populus authentiae prophetiarum testis omni exceptione maior exsisteret. « Omnes gentes, ait Augustinus, « Serm. 374, n. 2, a Romanis subactae, in Romanorum iura « transierunt. Haec gens et victa est, et in lege sua mansit, « quantum ad Dei cultum attinet, patrias consuetudines ri- « tumque custodivit... Propter quid, nisi propter testimonium « veritatis ? Sparsi sunt ubique Iudaei portantes codices « quibus Christus praedicatur, et sicut praedictus est prae- « sentatur, ut iam paganis possit ostendi. Profero codicem, « lego prophetam, ostendo impletam esse prophetiam. Du- « bitat paganus ne forte hoc ipse confinxerim. Inimicus « meus habet hunc codicem antiquitus sibi a maioribus com- « mendatum. Ambos inde convinco. Iudaeum, quia id prophe-

(1) Quod argumenta criticae in hac parte, (praeterquam non nova, ut videre est apud Bossuet, Hist. univ. part. 2, c. 29), sat etiam levia sint, ipsorum criticorum diserta confessio est. Fatentur enim se *constanter* operari supra hypotheses plus minusve verosimiles. Verum admirationem facit quod eadem *interna argumenta* quibus plerique nituntur, ut Pentateuchum Moysi abiudicent, *eadem ipsissima* ab aliis critico-philologis, non minoris certe auctoritatis, habentur e contra pro positivis authentiae indiciis. Scribit enim Rosenmuller, Proleg. in Pent. § 2: « Ordo orationis non ubique commodus, « et oratio ipsa progreditur saepe per disrupta sine nexu fragmenta, « haud raro singulari clausula terminata. Quae arguunt auctorem non « continenter scribentem, sed saepius interruptum, qualem novimus « Moysen, tot tantisque negotiis obrutum, continuisque migrationi- « bus distractum, etc. ».

« tatum et completum ego cognovi. Paganum quia non ego « hoc confinxi ». At vero, si testimonium Iudaeorum fallit quoad libros Mosaicos, eritne tandem alicuius ponderis quoad reliquos ? Rursus ergo labefactantur signa clara, facilia, obvia, omnium intelligentiae accommodata, quae Deus ipse in sua providentia disposuit, ut demum remittamur ad falsissimas illas et vanissimas rationes credibilitatis, verae fidei theologicae penitus destructivas, quas praedicant novi inventores systematis immanentiae.

Sic igitur iam apparet, authenticitatem Pentateuchi prout ad Moysen refertur auctorem esse quam maxime de iis quae in fidei praeambulis fixa inconcussaque manere debent, ne fides ipsa in discrimen primum adducatur, donec suis velut propugnaculis destituta, in plenam tandem abeat ruinam.

III. — Sed quod sub una consideratione de praeambulis fidei est, sub alia consideratione esse potest de fidei obiecto. Sicut resurrectio Christi, prout historica demonstratione cognoscibilis, praecipuum quemdam in signis credibilitatis quae sunt praeambula ad fidem, obtinet locum. Et secundum quod asserta in symbolo et Scripturis divinitus inspiratis, fide divina credi debet et creditur.

Porro, ad Pentateuchum quod attinet, videtur Moyses sat aperte eius auctor indicari in ipso textu inspirato. Declarationem sumere liceat ex critico qui adversariis suspectus esse non potest. « Quoad argumenta ex ipso Pen- « tateucho petita quae Mosen illius auctorem arguant, sub « finem operis (*Deut. XXXI*, 9-26) disertis verbis Moses te- « statur esse hunc integrum librum a principio ad finem a « se conscriptum, proceribus populi et sacerdotibus tra- « ditum, ut in adyto sacri tabernaculi penes arcam foe- « deris custodiatur, et septimo quoque anno, diebus festis « tabernaculorum universo populo praelegatur. Et in o- « pere ipso passim, nunc singulas leges, nunc rerum gestarum « narrationes a se in hoc libro consignata esse Moses ait. « Ita *Exod. XVII*-14, insidias quas Amalecitae Hebraeis

« itinere defatigatis struxerunt, praelium quod consecutum « est, et decretum illis futuro aevo excidium, Moses dicit « se divino jussu inscripsisse libro incepto haud dubie, et « in quo iam plura exaraverat, ut inde colligitur, quod cum « articulo scripsit..., quo innuit, se de certo quodam et sa- « tis noto libro loqui. Postquam Israelitae cum Iehovah foedus « pepigissent ad montem Sinai, et leges a Mose accepissent, « scripsit Moses omnia verba Iehovae in libro foederis quem « universo populo praelegit, *Exod. XXIV*-4-7. His praeceptis « cum postea plura alia addita essent, iterum iussus est Moses « ea litteris consignare, *Exod. XXXIV*-27. Porro *Numer.* « *XXXIII*, 1-2, Moses profectiones et itinera Israelitarum, « prouti ibi leguntur ex Iehovae mandato perscripsisse di- « citur. Numerorum liber clauditur, XXXVI-13, his verbis : « *Haec sunt mandata atque iudicia quae mandavit Dominus* « *per manum Moysis ad filios Israel in campestribus Moab* « *supra Iordanem contra Iericho.* Denique in Deutoronomio « quo legum in tribus qui praecedunt libris traditarum « ἀνακεφαλαιωσίς, explicationes et supplementa continentur, « Moses in suis ad populum adhortationibus iterum iterum- « que hanc legem (XVII, 18-19 ; XXXI, 9-11), et huius legis « librum (XXVIII-61 ; XXIX, 9-26) commemorat. Imprimis « notabilis est locus, XXVIII-61, ubi in oratione qua Moses « Israelitis, si divinis praeceptis non obtemperarint, infausta « omnia minatur, inter alia haec leguntur : *Insuper et universos* « *languores et plagas quae non sunt scriptae in volumine legis* « *huius inducet Dominus super te, donec te conterat.* Ex quo « sequitur, Mosen hunc librum in quo comminationes istae « perscriptae erant, populo tradidisse, adeoque sermones suos « ipsum litteris mandasse » (1).

In Novo quoque Testamento innumera loca sunt in quibus a Christo et apostolis adscribuntur Moysi libri Pentateuchi. Dicunt quidem Christum et apostolos citasse hos libros sub nomine et titulo sub quo vulgabantur, nihil de vero

(1) Rosenmuller, Proleg. in Pentat. 2.

auctore affirmare intendentes. Et non vacat eiusmodi assertionem in sua generalitate discutere. Solum nunc dico, textus esse qui talem interpretationem evidenter excludunt. Sic, cum Ioan. V-45, Christus Iudaeis dicit: *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis,* an de quodam incognito auctore loquitur, qui apud vulgus nomen Moysis obtinuerat, an non potius de vero illo Moyse quem legislatorem, institutorem, et fundatorem vere habuit Synagoga? Puto responsionem non posse esse dubiam. Porro de illo vero Moyse subiungit Christus: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit.*

Item cum dicitur 2 Cor. III, 13-15 : *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem eius, quod evacuatur.... Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum :* de quo Moyse agitur secundo loco? Nonne de illo eodem de quo in priori? ubi sine dubio sermo est de ipso legislatore Iudaeorum, qui Exod. XXXIV, de monte descendens, velata facie populo loquebatur. Aut forte superius, verus Moyses in medium adducitur, inferius vero Moyses existimatus tantum? Nunc autem, si ille idem verus et non existimatus Moyses, teste Scriptura, *legitur usque in hodiernum diem*, ergo, eadem Scriptura teste, auctor est librorum qui ei attribuuntur (1).

(1) Iis qui tanta tamque incomprehensibili levitate quaestionem tractant ultra modum gravem, et cum veritate christianae religionis per omnia connexam, liceat proponere testimonium viri, natione et religione Iudaei, directoris Parisiensis periodici: *Revue Sémitique*, qui in dicto periodico recensens duo novissima egregia opera P. Cereseto, (*Tre classi di dottori*, et *Ipotesi del P. Hummelauer e di altri autori moderni su l' autenticità del Deuteronomio di Mosè*), sic scribit:

« Le Révérend P. O. C. Cereseto, Professeur d' exégèse et *Consultore* « de la Commission pontificale pour les études bibliques s' efforce, dans « ses deux ouvrages précités, d' entraver la pénétration des idées de « la critique biblique protestante dans le clergé catholique romain.

Haec igitur sint dicta ut appareat quod etsi ad rationem scripturae inspiratae formaliter in quantum huiusmodi, non referat quis fuerit instrumentalis auctor, falsissime tamen in thesi generali inferretur, attributionem sacrorum librorum ad hos vel illos scriptores, nihil interesse

« Le mouvement déviant et plein de menaces pour la quiétude « du catholicisme traditionnel, trouva des partisans dans deux ec- « clésiastiques d' un rang considérable, à savoir Mgr. Mignot, évêque « d' Albi, et le P. Hummelauer. Dans une lettre sur la critique bibli- « que, Mgr. Mignot formula une série de dix-huit propositions qui « répercutent assez fidélement les opinions de l' École libre allemande. « De son côté, le P. Hummelauer se prononça en faveur des mêmes « idées dans ses ouvrages exégétiques...

« Il faut avouer que la question est d' une gravité extraordinaire « pour la conscience chrétienne en général. Etant par tempérament « fort peu théologien, je combats depuis de longues années les con- «clusions historiques de cette École en contestant la validité de « ses prémisses par des raisons puisées, tantôt dans l' exégèse bibli- « que elle-même, tantôt dans les monuments littéraires des autres « peuples sémitiques. Entre cent autres divergences, je relèverai « ces deux seules: Selon ma conviction, les trois premiers chapitres « de la Genèse *sont l' oeuvre d' un seul auteur*, malgré la différence des « noms divins *Elohim* et *Yahwé*, qui y sont successivement employés. « D' autre part, je nie formellement que le Code sacerdotal puisse « être un produit postexilique, ou qu' on puisse discerner, dans les « premiers livres prophétiques, la marche régulière d' un progrès « d' idées religieuses. Quant à la question relative à l' origine mo- « saïque du Pentateuque, tel qu' il nous est parvenu à travers les géné- « rations, je l' ai toujours considérée comme un problème secondaire « et purement historique.

« La situation n' est pas la même pour le chrétien de n' importe « quelle secte. Dans des passages nombreux de l' Evangile, Jésus et « les Apôtres à sa suite, invoquent formellement l' origine mosaïque « du Pentateuque, celle d' Isaïe II, ainsi que l' origine davidique des « Psaumes, pour en tirer des dogmes fondamentaux de la nouvelle « Foi, comme la divinité du prédicateur galiléen, sa messianité, son « caractère de victime expiatoire des péchés de ses croyants, sa ré- « surrection, etc. L' authenticité du livre de Daniel leur sert de preuve « que Jésus reviendra à la fin des siècles, sur les nuées du ciel, pour « rétablir sur terre son royaume céleste et mettre fin à la puissance

doctrinae fidei, sed semper esse de iis quaestionibus quae liberae criticorum appretiationi relinquuntur. Et sic concludetur disputatio de ipsa inspirationis notione. Sequitur iam altera huius nostrae disquisitionis pars : de his quae ad inspirationem consequuntur.

« de Satan, censé la source principale de toutes les iniquités du genre « humain. L'affirmation des critiques que les livres précités n'ap- « partiennent pas aux auteurs *nommés par Jésus*, implique de la part « de ce dernier, non seulement l'ignorance du véritable état de choses, « mais un mensonge débité sans vergogne devant un public crédule, « à la fin intéressée et impie de se faire adorer comme un dieu. *On « n'a pas besoin d'être théologien pour apprécier la justesse absolue « de ces dernières remarques, qui appartiennent au P. Cereseto.* Les « rationalistes ont tenté de se tirer d'embarras en disant que Jésus « n'a pu contredire les légendes généralement admises par son au- « ditoire. Mais les faits démentent absolument ce subterfuge désespéré ; « témoin son opposition aux lois concernant le repos du sabbat, son « exaltation de Jean-Baptiste au-dessus des prophètes, son allocu- « tion mordante à l'adresse des pharisiens et d'autres faits analogues. « Ceux qui, comme moi, assistent de loin à cette grave controverse, « ne peuvent s'empêcher d'y voir l'aube d'une transformation « radicale du christianisme. En Allemagne, la personnalité théolo- « gique de Jésus, malgré les louanges dont on le comble, se réduit « à bien peu de chose. D'atténuation en atténuation, on est déjà « arrivé à rejeter la totalité des récits concernant Jésus, et à ne laisser « à celui-ci que trois ou quatre apophtegmes dont l'originalité est « d'ailleurs plus que douteuse. Dans leur bouche, les termes Christ, « chrétien, christianisme, sont des concessions provisoires à la rou- « tine traditionnelle, et en réalité vides de tout sens.

« Renan a eu le courage de le dire ouvertement ; ainsi on saura « au moins à quoi s'en tenir, et le progrès de l'élaboration de la nou- « velle religion ne sera pas entravé par des équivoques trompeuses. « Le P. Cereseto n'aime pas les *demi-mesures ;* il pose le dilemme « tranché : Foi ou apostasie ! En témoin désintéressé, nous nous bor- « nons à exposer la pensée substantielle du savant polémiste ». J. Halevy.

PARS ALTERA

DE HIS
QUAE AD INSPIRATIONEM CONSEQUUNTUR

Deinde dicendum est de his quae consequuntur ad inspirationem. Et primo de sensu spirituali scripturae sacrae. Secundo de intentione eius ad res fidei et morum per se terminata. Tertio de absoluta eius inerrantia. Quarto de conventionibus, usibus, et formis litterariis quas natura eius non patitur. Quinto de subordinatione criticae ad traditionem et magisterium ecclesiasticum in omni exegesi scripturaria.

CAPITULUM PRIMUM

DE SENSU SPIRITUALI SCRIPTURAE SACRAE

« Haec autem omnia in figura contingebant «illis». 1 Cor X-11.

Est igitur scripturae sacrae prima proprietas, quod habeat quemdam sensum qui in nullo alio libro humana industria concinnato esse potest, quique spiritualis seu mysticus dicitur, quia sub littera latens sicut spiritus in corpore, magno est mysterio obvolutus. Et huius quidditas est per prius breviter declaranda.

§ 1.

« Auctor sacrae scripturae est Deus, in cuius potestate « est ut non solum voces ad significandum accommodet, « quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et « ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet « proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces « etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio qua « voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est « sensus historicus vel litteralis. Illa vero significatio qua « res significatae per voces, iterum res alias significant, di- « citur sensus spiritualis qui super litteralem fundatur, et « eum supponit ». Ita S. Thomas in prima parte, Q. 1, a. 10. Ubi primo ponit principium generale, deinde eruit conclusionem ex generali principio fluentem, tertio explicat propriam rationem sensus spiritualis secundum quod a litterali condividitur

I. — De principio autem generali statim suboritur dubitatio, cum non ita primo intuitu appareat quomodo verum sit, hominem non posse accommodare res ad significandum. Nam et poetae et oratores et ii omnes quibus permittuntur allegoriae, continuo res adhibent in usum significationis. Neque solum in dicto, verum etiam et in facto, quemadmodum ex. gr. narrant historiae de illo antiquo, qui cum rogavisset ut in quodam coetu silentiariorum admitteretur, et vase usque ad summum aqua pleno coram apposito, responsum ei fuisset completum iam esse academicorum numerum, non propterea destitit ab incepto. Sed folium rosae decerpens, caute imposuit in superficie aquae, et tanta quidem dexteritate ut vas non redundaret, hoc modo eleganter exprimens quod sicut in vase pleno fuerat adhuc locus foliolo rosae, sic et in plena academia, exiguo homunculo. Uno demum verbo, actum est de symbolismo, actum est de metaphoris et allegoriis, si semel principium admittatur, solius Dei esse accommodare res ad significationem aliquorum.

At vero considerandum est quod *voces* sunt in praesenti non solum vocabula proprie dicta, verum etiam omnia ea quae ad significandum, vel artificiose componuntur, vel imaginarie finguntur, ita scilicet ut sub ea forma sub qua significant, ad nihil aliud sint ordinata; sicut apparet in supradicto folio rosae superficiei aquae imposito, vel in fictis similitudinibus per quas ars poetica veritatem rerum solet praesentare. Proinde, *res* nunc dicuntur illa sola quae cursum suum peragunt sub Dei providentia; quae nullo adventitio artificio disponuntur in significandi finem, sed formam sibi connaturalem independenter ab omni ulteriori repraesentationis habitudine vel scopo, secundum seipsa omnino habere intelliguntur. Cogita ex. gr. populum Israel captivum in Aegypto, a Moyse in signis et portentis eductum de captivitate, transeuntem mare rubrum, per quadraginta annos in deserto ambulantem, manducantem panem de caelo missum, bibentem aquam de petra miraculose manantem, et tandem post innumerabiles casus pertingentem ad terram promissam. Ibi certe nihil artificialis compositionis est, sed pura et simplex evolutio eventus historici; cui si figuralis quaedam significatio insit, inerit utique non per modum vocis, sed per modum rei (1).

Hoc itaque pacto evidenter apparet, solius Dei esse, accommodare res ad significationem aliquorum. Nam cum

(1) Ne ergo confundas distinctionem quae nunc est inter *voces* et *res*, cum illa quae introducitur in sacramentis inter *res* et *verba*. Nam in sacramentis tam res quam verba ad nihil aliud ordinantur nisi ad significandum, solumque differunt quoad significandi modum, quatenus verba signa sunt arbitraria et ex sola positiva institutione hominum, res vero signa symbolica per quamdam analogicam similitudinem fundatam in natura. Hic autem, *res* sunt ea quae proprium cursum peragunt sub gubernatione divinae providentiae, formaliter in quantum huiusmodi. Et ideo ea quae in sacramentis dicuntur res, reducuntur ad genus vocum secundum praesentem considerationem, dicente Augustino, l. 19 c. Faust. c. 16: *Quid enim sunt aliud quaeque corporalia sacramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia et temporalia?*

Deus solus sit omnium eventuum per infallibilem providentiam ordinator, solusque habeat eventus ipsos dispositioni suae subiectos sicut ordinationi typographi subduntur litterae alphabeti, solus quoque potest cursum eorum ita quandoque temperare ac moderari, ut ponat in eis ad alias res habitudinem signi ad signatum et figurae ad figuratum. Et hac de causa rectissime infert S. Thomas, Quodl. 7, a. 16 : « Sicut « enim homo potest adhibere ad aliquid significandum, *ali-* « *quas voces vel similitudines fictas*, ita Deus adhibet ad si- « gnificationem aliquorum, *ipsum cursum rerum suae pro-* « *videntiae subiectarum* ». Non ergo de principio generali relinquitur dubitandi locus.

II. — Sequitur iam conclusio principii. Et primo quidem, quod in caeteris scripturis humanae originis, nulla alia significatio quaerenda sit praeter illam quae vocibus inest, si tamen voces nunc sumas sensu illo adaequato qui supra fuit declaratus, secundum quod sub vocibus concluduntur omnes sermonis figurae vel fictae similitudines quae apud homines ad significationis usum adhiberi solent. Sequitur secundo, quod in scripturis divinis, praeter significationem quae subest vocibus, possit etiam alia inesse significatio, indita rebus per voces significatis. Et dico tantum quod *possit* inesse, quia ex principio a priori nihil plus concludere licet. At vero, quod de facto ita se res habeat, certissime colligitur, tum ex disertis ipsarum scripturarum asseverationibus, tum ex consentiente totius traditionis testimonio.

Et sane, Gal. IV-22, ait Apostolus : *Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit... Quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta.* Et nota hic, duo esse allegoriae genera. Alia est allegoria communis, nimirum in verbis, qua sacra etiam scriptura utitur, sicut apparet in parabolis Christi, in parabola Nathan ad David 2 Reg. XII, et alibi saepissime. Alia vero est allegoria in rebus, quae nonnisi analogice convenit, cum praecedente, et soli scripturae sacrae propria est : Quatenus vera quidem secundum immediatum verborum sensum narratur historia, sed

in ea re quae narratur, secretior quaedam latet altioris rei significatio. Et haec est allegoria de qua nunc Apostolus, quia illa de duobus Abrahae filiis historia vere sicut narratur contigit, sed res gesta ulteriorem habebat alterius cuiusdam rei significationem, duorum scilicet testamentorum veteris et novi. — Rursus, 1 Cor. X, 1-14, cum prius commemorasset ea quae antiquis Israelitis in deserto acciderunt, conclusit dicens : *Haec autem in figura facta sunt nostri.* Et infra : *Haec autem omnia in figura contingebant illis.* Ac si dixisset : Quaecumque antiquis illis contigisse memoravi, fuerunt typi, figurae, seu tabellae quaedam praenuntiae eorum quae in Ecclesia Christi futura erant, Et ideo Augustinus l. 22 c. Faust. c. 24 : « Dico, inquit, illorum hominum « non tantum linguam, verum etiam vitam fuisse prophe- « ticam, totumque illud regnum gentis Hebraeorum ma- « gnum quemdam quia et magni cuiusdam, fuisse pro- « phetam ». — Et eadem quoque conclusio est ex Heb. VII, ubi prosequitur Apostolus figuralem similitudinem Melchisedech ad Christum ; et ex Rom. V-14, ubi Adam dicitur fuisse forma futuri ; et ex 1 Petr. III-21, ubi asseritur in arca et diluvio exstitisse typum baptismi tanquam antitypi, id est tamquam rei per typum illum significatae et praenuntiatae ; denique ex aliis plurimis sive evangelii sive apostolicarum epistolarum locis, ubi de signo Ionae prophetae, de serpente aeneo, de manna in deserto, de duobus geminis Esau et Iacob, atque ita porro.

Traditionis autem auctoritas in hac parte adeo conspicua est, ut nescias quid in tanta abundantia tantaque ubertate potissimum eligas. Dicit *Hilarius* in Psalm. 134, n. 1 : « Secundum apostolum, quae in lege sunt, umbra « est futurorum. Quae in ea gesta fuerunt, allegorumena « sunt, non negligenter audienda sunt, quia sub corporalium « gestorum fide in exemplum sunt spiritualium operum « constituta ». — Dicit *Hieronymus*, Prolog. in Isaiam : « Post « historiae veritatem, spiritualiter accipienda sunt omnia. « Et sic Iudaea et Ierusalem, Babylon et Philistiim, Moab

« et Damascus... intelligenda sunt, ut cuncta quaeramus « in sensu ; et in omnibus his, quasi sapiens architectus, « Paulus apostolus iaciat fundamentum, quod non est aliud « praeter Christum Iesum ». — Dicit *Nazianzenus* l. 2 Carm. VII ad Nemesium : « Est etiam apud nos duplex sensus « divinae scripturae, unus internus et spiritalis, alter vero « externus. Structurae admirabilis uterque est sensus. Ille « quidem a paucis, iste vero a pluribus percipitur ». — Dicit *Cyrillus*, Glaphyr. in Genes. l. 6, n. 1 : « Varie ac multifa- « riam sacra scriptura salutis per Christum typos praedi- « cit.... Quemadmodum enim pictoriae artis magistri varias « colorum figuras umbris inducentes, ad ameniorem aspe- « ctum eas perducunt, multumque gratiae ac decoris pi- « cturae conciliant : ita etiam Deus quam plurimis typis « mysterii (incarnationis) pulchritudinem subtiliter praemon- « strat, ut intelligentes veluti in figuris, atque iis veluti prae- « ludiis seu praeexercitamentis usi, ad veritatem susci- « piendam paratiores sacrae disciplinae candidati efficiantur... « Porro, videat quis id quod dixi veluti in umbris significantem « Iacob ; quaeque de eo scripta sunt, et quod in historia ob- « scurius videbitur, explicabimus ». — Dicit *Augustinus*, l. 22. c. Faust. c. 24 : « Quod ad eos quidem attinet qui illic « (in gente Hebraeorum) erant eruditi corde in sapientia Dei, « non solum in iis quae faciebant ; quod autem ad caeteros « ac simul omnes illius gentis homines, in iis quae in illis « vel de illis divinitus fiebant, prophetia venturi Christi et « Ecclesia perscrutanda est ». — Dicit *Ambrosius* l. 1 de Abraham c. 4 : « Illa quae gessit Abraham ut de ancilla su- « sciperet sobolem, in figuram facta sunt, et secundum al- « legoriam dicta. Allegoria est cum aliud geritur, et aliud « figuratur. Sicut etiam ipse Apostolus docet..., duos popu- « los ostendens de Abrahae generatione manare : unum « Iudaeorum, qui legis syllabis serviat, eo quod de ancilla « in servitutem videatur esse generatus ; alterum Christia- « norum, qui ad remissionem peccatorum caelestis gratiae « libertatem acceperit ». — Dicit *Chrysostomus*, Hom. in illud

Pauli : Nolo vos ignorare, n. 34 : « Ut ostendat (apostolus) « magnam esse Legis veteris cum Nova cognationem, et illa « fuisse horum figuram, et futurorum umbram... Vide cogna- « tionem figurae cum veritate, ac veritatis prae typo ex- « cellentiam. Neque enim omnino alienum oportet esse typum « a veritate, alioquin typus non esset. Neque rursum par est « exaequari typum veritati... Ne igitur in veteri (testamento) « totum a me requiras, sed si qua parva et obscura acce- « peris aenigmata, tecum bene actum esse puta ». — Dicit *Cassiodorus*, praef. in Psalt. c. 1 : « Prophetia est aspiratio « divina quae eventus rerum, aut per facta, aut per dicta « quorumdam, immobili veritate pronuntiat... Multis autem « modis gratiae istius munera praestabantur. Sed ut de plu- « rimis pauca complectar, acta est per operationes hominum « ut fuit arca Noe, et sacrificium Abrahae, et transitus maris « rubri ; per nativitatem quoque geminorum Esau et Iacob, « qui futurarum rerum sacramenta gestabant ». — Dicit « *Gregorius* l. 1 in Ezech. Hom. 9, n. 29 : « Liber sacri eloquii « intus scriptus est per allegoriam, foris per historiam. Intus « per spiritalem intellectum, foris autem per sensum lit- « terae simplicem, adhuc infirmantibus congruentem ». — Et haec quidem speciminis gratia, ex doctrina Patrum re- lata sufficiant.

III. — His iam praemissis, veram notionem sensus tam litteralis quam spiritualis accipere licet.

Illa ergo prima significatio qua voces significant res, per- tinet ad primum sensum qui est sensus historicus vel litteralis. Sed hic iterum nota, formaliter accipiendos esse terminos, secundum distinctionem superius factam inter voces et res, prout de vocibus et rebus nunc loquimur. Itaque ad sensum litteralem plane pertinent ea etiam omnia quae in scripturis per simplices sermonis figuras, verbalesve allegorias dicun- tur. Verbales enim figurae seu allegoriae nequaquam termi- nant significationem ut res, quia non clauduntur in cursu eventuum historico, sed solum adhibentur in artificiale si- gnificandi instrumentum. Hinc, si traditionali interpretationi

Cantici canticorum inhaereas, concludes Canticum esse *omnino litteraliter* de Christo et Ecclesia. Et ratio est quia secundum traditionalem ac fundatissimam huius libri intelligentiam, non est ibi eventus historicus, utputa matrimonium Salomonis cum filia Pharaonis (3 Reg. III-1), qui historice narretur ; non reale factum humanorum amorum immediate per verba relatum, cui tamen facto ulterior inesset significatio spiritualis unionis Christi et Ecclesiae. Sed est allegoria poetica, adeoque pure verbalis, in qua sub nuptialis dramatis forma, directe exprimuntur sensus caelestis sponsi ad animam fidelem, et animae fidelis ad caelestem sponsum Christum (1). « Salomon divinitus inspiratus, « Christi et Ecclesiae laudes, et sacri amoris gratiam, et ae- « terni connubii cecinit sacramenta ; simulque expressit « sanctae desiderium animae, et epithalamii carmen, ex- « sultans in spiritu, iucundo composuit eulogio, figurato « tamen. Nimirum velabat et ipse instar Moysis faciem suam, « non minus forsitan in hac parte fulgentem, eo quod illo « adhuc in tempore nemo aut rarus erat, qui revelata facie « gloriam istam speculari sufficeret. Igitur pro sui excellentia « recr nuptiale hoc carmen huiusmodi titulo praesignitum, ut « merito Cantica canticorum singulariter appelletur, sicut « is quoque cui canitur, singulariter est dictus : Rex regum « et Dominus dominantium » (2). — Et de sensu quidem litterali haec sedulo notanda occurrebant. Nunc ea quae ad sensum spiritualem attinent, nullius iam negotii esse possunt.

Illa vero significatio qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis qui super litteralem fundatur et eum supponit. — In quo quidem observabis

(1) Cf. Grandvaux, Etude sur le vrai sens du Cantique, (La Sainte Bible, collect. Lethielleux). « Tout ce que nous avons à dire « dans cette partie de notre travail, montrera que pour s' élever au vrai sens du Cantique des Cantiques, il faut y voir une allégorie, *et « une allégorie littérale* ». Pag. 13.

(2) Bernardus, Serm. 1 in Cantica, n. 8.

pulchram analogiam inter verbum Dei scriptum et Novae Legis sacramenta. Nam in sacramentis N. L., praeter significationem ritus exterioris qui dicitur sacramentum tantum, attenditur significatio rei per exteriorem ritum immediate significatae, quae appellari solet res et sacramentum. Et sic etiam est in praesenti. Res enim illae per voces significatae quae iterum res alias significant, tanquam res et sacramentum quodammodo se habent. Et secundum quod typica significatione sua referuntur vel ad Christum et Ecclesiam, vel ad vitae christianae regulam, vel ad mysteria futurae gloriae, tripartitam afferunt sensus spiritualis divisionem, in allegoricum, tropologicum, et anagogicum. « Sicut enim dicit Apostolus ad Heb. VII, lex vetus figura est « novae legis, et ipsa nova lex, ut dicit Dionysius in libro de « ecclesiastica hierarchia, est figura futurae gloriae. In nova « etiam lege, ea quae in capite (Christo) sunt gesta, sunt « signa eorum quae nos agere debemus. Secundum ergo quod « ea quae sunt veteris legis significant ea quae sunt novae « legis, est sensus allegoricus. Secundum vero quod ea quae « in Christo sunt facta, vel in iis quae Christum significant, « sunt signa eorum quae nos agere debemus, est sensus mo- « ralis. Prout vero significant ea quae sunt in aeterna gloria, « est sensus anagogicus » (1).

Propriissimus itaque spiritualis interpretationis locus est vetus testamentum, quod totum typicum fuisse noscitur, ut splendido specimine ostendit Augustinus in toto libro duodecimo contra Faustum, incipiens a principio in quo Deus creavit caelum et terram, et perducens seriem propheticorum

(1) S. Thomas, ubi supra. — Sed nota quod haec nomina, *allegoricus, tropologicus, anagogicus,* subsequenti usu theologorum, potius quam nativa sua vi, ad significandas species sensus spiritualis determinata sunt. Proinde, si quis sensum litteralem ex communi allegoria verbali resultantem, allegoricum vocare vellet, de verbis non esset disputandum. Et similiter, si anagogicum vel tropologicum appellaret scripturae sensum in locis illis qui de aeterna gloria vel regulis morum litteraliter tractant. Cave ergo possibilem confusionem.

eventuum usque ad tempora reditus populi Israel a Babylonica captivitate. Propriisimum tamen dixi spiritualis interpretationis locum vetus testamentum, non unicum. Nam certe evangelia, dum narrant gesta Christi ante consummatam eius passionem per quam fuit abrogatum testamentum vetus, et dedicatum novum, dicente apostolo : *testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet dum vivit qui testatus est :* evangelia, inquam, aliqua ratione conveniunt cum libris antiquae legis, et propterea, non tropologicum modo, aut anagogicum, verum etiam allegoricum sensum suscipiunt (1). A consummata autem passione et deinceps, discrimen in eo est, quod non debuerunt amplius ea quae novi testamenti sunt, typice praefigurari. Adhuc tamen relinquitur locus sensui anagogico vel tropologico. Anagogico quidem, secundum quod ea quae ad futuram beatitudinem pertinent, fuerunt nobis figurata in circumstantiis resurrectionis et apparitionum Christi. Tropologico vero, secundum quod in transitu Christi a mortali ad immortalem vitam, fuit datum sensibile exemplar cui nostra moralis vita conformetur, iuxta illud Rom. VI-9: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur... Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel ; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos, existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro.*

Quod autem ait S. Thomas ubi supra, in responsione ad 1^um^, ex solo sensu litterali trahi posse argumentum, id non est propter maiorem eius auctoritatem intrinsecam, sed quia sensus spiritualis innotescere non potest nisi per ea loca in quibus veritas sub rerum allegoriis alibi delitescens, litteraliter enuntiatur, et idcirco efficacia argumenti ad litteralem sensum semper reducitur. Caeterum etsi ad demonstrationem dogmatum sensus spiritualis minime inserviat, ad confirmationem tamen eorumdem valet quam plu-

(1) Vide *de Verbo incarnato*, ubi de nativitate, miraculis, et passione Christi, Q. 36, 43-45, et 46. Item *de Ecclesia* in prooemio.

rimum, nam consonantia tot figurarum quibus adeo ad vivum delineatae et expressae sunt res novi testamenti, est non leve argumentum ad confirmationem fidei, quo etiam contra infideles uti possumus. Unde Augustinus l. 12 c. Faust. c. 7 : « Ex illis quae figuris involuta sunt, si quaedam velut « sub uno aspectu quasi contexta ponantur, ita coniungunt « in contestatione Christi voces suas, ut cuiusvis obtusi « surditas erubescat ».

§ 2.

Reliquum est ut ex catholica illa doctrina de sensu spirituali scripturae sacrae, quaedam conclusiones eruantur contra *largam scholam* Biblicorum.

Et prima conclusio sit, quod veritas in hoc capitulo hactenus declarata conciliari omnino non potest cum mythica indole quam novatores illi generatim attribuunt veteri testamento. Unde etiamsi haec eorum monstruosa opinio aliis ex capitibus, utique tot ac tantis, non repugnaret, jam esset explodenda hoc solo nomine, quod de medio tollit sensum illum soli Scripturae proprium, quam in ea unanimi consensu agnoverunt maiores nostri, apostolicae traditionis testes authentici. Nam si sensus spiritualis nihil aliud est quam significatio qua res significatae per voces iterum res alias significant, super veram realemque historiam fundetur oportet. Et si significatio parabolarum allegoriarumve verbalium non supergreditur modum sensus litteralis, ut supra ostensum est, multo minus, puto, significatio puerilium earum imaginationis popularis procreationum quae mythi dicuntur. Denique, divinum illud quod in sensu spirituali signum elucet, in hoc praecise reponitur, quod Deus solus utpote solus potens disponere et ordinare mundi eventus sicut scriba ordinat et disponit apices describendos in charta, possit quoque significare aliqua, non iam per signa vocalia aut similitudines fictas, sed per ipsum realem cursum rerum suae providentiae subiectarum. Et ideo Patres unanimiter

adstruunt historicam veritatem tanquam unicum ac necessarium spiritualis sensus fundamentum. « Post historiae « veritatem spiritualiter accipienda sunt omnia », inquit Hieronymus, Prolog. in Isaiam. Et Gregorius l. 1 Moral. n. 56 : « Qui ad spiritualem intelligentiam mentem sublevat, a ve- « neratione historiae non recedat ». Et Hilarius in Psalm. 123, n. 5 : « Fides historiae non periclitatur, si rebus effectus « inesse et connexam sibi extrinsecus significantiam existi- « memus ». Et inter alia erronea quae in Origene notant Epiphanius, Hieronymus, et alii, illud quoque invenitur, quod allegoricus semper interpres exsistat, historiae fugiens veritatem : « Quod sic paradisum allegorizet, ut historiae aufe- « rat veritatem ; pro arboribus angelos, pro fluminibus vir- « tutes coelestes intelligens, totamque paradisi continen- « tiam tropologica interpretatione subvertat.... Recede ab « haeresi Origenis, et a cunctis haeresibus, dilectissime » (1).

(1) Hieronymus, l. contra Ioannem Hierosolymitanum, n. 7-8 — Cf. etiam l. 5 in Ierem. c. 27-29.

Hinc quoque apparet quid sentiendum de principio recepto in schola historico-theologica, quo statuunt figuram et historiam sese mutuo excludere: quatenus si aliquod factum figuram continere inveniatur, eo ipso historicum non est; si historicum sit, eo ipso figuram continere non potest. Exemplum inter alia multa sumere liceat de capite sexto Ioannis.

Unus praefatae scholae auctor, Alfredus Loisy, in suo voluminoso commentario super Ioannem, vult totum caput sextum, incluso facto multiplicationis panum, esse de Eucharistia: pro quanto scilicet factum praecedit ut figura mysterii, totusque consequenter sermo, cuius factum causa occasionalis adstruitur, de eodem mysterio est. Et hucusque quidem bene. Sed ex orthodoxa illa exegesi in vi sui principii venit ad conclusionem haereticam, qua tum facti tum sermonis Christi negatur realitas sive historicitas. Inde enim firmat generale sui operis assertum: Evangelium Ioannis non esse nisi mysticam quamdam contemplationem seu religiosam meditationem, saeculo tertio descriptam, in qua sub symbolismo factorum imaginariorum, propositae inveniuntur ideae christianae pro statu evolutionis quem in hoc eodem saeculo obtinebant.

Caeterum constat quod perniciosissimo principio semel suppo-

Altera quoque conclusio sit, quod si sensus spiritualis totus quantus est, suum habet in historia fundamentum, vice etiam versa, verae historiae fidem haud raro firmat et tutatur, pro quanto scilicet suppeditat clavem intelligendi rationem certarum circumstantiarum quae alias, vel supposititiae, vel otiosae, vel minus dignae commendatione narrationis divinitus inspiratae viderentur. Quod quidem multis prosequitur Augustinus, l. 12 c. Faustum, c. 39 : « Si Ismael et Isaac homines nati, duo testamenta significant, « quid credendum est de tot factis, quae nullo naturali usu, « nulla negotii necessitate facta sunt ?.... Verbi enim gratia, « numquid, si oportebat adiutorium viro feminam fieri, « etiam hoc necessitas ulla cogebat, vel ulla suadebat u- « tilitas, ut de dormientis latere fieret ? Si causa evadendi « diluvii opus erat fabricari arcam, quid opus erat mensuras « eius, aut ipsas potissimum fieri, aut etiam scriptis ad reli- « gionem posteritati propagandis commemorari ? Si propter « genus reparandum animalia includi oportebat, quid opus « erat illo potissimum numero, septena de mundis, bina de « immundis ? Aditum ad arcam fieri necessitas utique cogebat; « in latere autem fieri, vel etiam memoriae commendari « per litteras, quid cogebat ? Immolare filium iubetur A- « braham ; iussus hoc fuerit, ut eius obedientia tali etiam « examine probata posteris innotesceret ; convenientius li- « gna portaverit filius, ne pater senexque portaret ; non sit « postea filium ferire permissus ne orbitate gravissima se « feriret : numquid etiam si nullo effuso sanguine rediretur, « minus esset probatus Abraham ? Aut si iam opus erat per- « fici sacrificium, etiamne, ut ille aries in vepre adhaerens « cornibus appareret, ad ullum augmentum victimae perti-

sito, licebit totam historiam sacram ad fictiones ideales reducere. Quodnam, quaeso, miraculum Christi in quo figura invisibilium mysteriorum gratiae non invenies ? Quodnam factum in veteri oeconomia conspicuum, cui respectu Christi et Ecclesiae figurae ratio non conveniat, dicente apostolo: *Omnia haec in figura contingebant illis.*

« nebat ? Sic omnia cum considerantur, et quasi superflua « necessariis contexta inveniuntur, admonent humanum a- « nimum, prius aliquid significare, deinde quid significent « quaerere. Itaque etiam ipsi Iudaei qui Christum nolunt « talibus rerum, non tantum dictarum, sed etiam gestarum « figuris praenuntiatum videri, coguntur a nobis discere « quid illa significent. Quae nisi aliquid significare concedant, « divinae auctoritatis libros ab ineptarum fabularum igno- « minia non defendunt ».

Ultima denique conclusio esse potest, quod cum spirituales sensus ad splendorem fidei catholicae tantopere conferant, multae sunt. in scripturis historicae narrationes, quae cum aliunde indifferentes prorsus, et nullius emolumenti videri possent, nihilo tamen minus, praedictorum sensuum ratione, dicendae sunt omnino esse de illis rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, a quibus ad sua placita contorquendis, per decretum Concilii Tridentini, omnis humana critica iam dudum iussa est abstinere. Sed de his ipsis sic dictis *rebus fidei et morum*, propter quaestionis gravitatem, aequum est ut specialis consideratio habeatur. Huc igitur spectabit capitulum sequens.

CAPITULUM SECUNDUM

DE INTENTIONE SCRIPTURAE AD RES FIDEI ET MORUM PER SE TERMINATA

« Omnis scriptura divinitus inspirata uti-
« lis est ad docendum, ad arguendum,
« ad corripiendum, ad erudiendum in
« iustitia ».

2 Tim. III - 16.

« Ad coercenda petulantia ingenia, decernit (sacrosanta « Synodus) : ut nemo suae prudentiae innixus, *in rebus fidei « et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*, « sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra « eum sensum quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, « cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione scriptu- « rarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum « Patrum ipsam scripturam interpretari audeat, etiam si « huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore edendae « forent ». Ita Tridentinum in notissimo illo decreto de editione et usu sacrorum librorum. Ex cuius tenore statim deducitur quod non omnia ac singula in sacris contenta libris possunt dici *res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*. Alias redundaret specificatio ista, quae nisi sensum haberet limitativum seu restrictivum, frustra omnino ac superflue apponeretur. Sed summopere interest ut recte intelligatur quid veniat ibi nomine rerum fidei et morum. Et ad hoc ipsum, primum omnium, per praeambuli modum, recolenda sunt quaedam principia alibi tradita, ubi de obiecto fidei materiali (1).

(1) De virtutibus, thes. 10.

§ 1

Obiectum materiale fidei dupliciter sumi potest. Uno quidem modo mere materialiter, pro eo quod cadit de facto sub divina revelatione praescindendo a peculiari fine in quem revelantis fertur intentio. Et sic, ad obiectum fidei indiscriminatim et eodem titulo pertinent omnia quaecumque in scriptura divinitus inspirata proponuntur (prout et ea ratione qua proponuntur, sicut alias dictum est), quia omnibus et singulis de facto aequaliter applicatur formale fidei motivum, quod est Dei loquentis auctoritas. Non ergo hoc sensu accipies distinctionem inter res quae sunt vel non sunt fidei et morum, quasi alia forent in scriptura de quibus esse debet fides, alia vero de quibus esse non debet, sed liberum unicuique maneret, pro arbitrio et lubitu ea credere vel discredere. Certo enim certius, supposita nunc inspiratione ad omnes et singulas scripturae partes sese extendente, positio huiusmodi nil minus sonaret quam apertam impietatem. Nisi forte in tantum quis desipiat ut dicat Deum esse fide dignum cum revelat trinitatem personarum et amplius non esse cum testatur factum qualecumque ad rerum humanarum ordinem pertinens ; quod absit omnino. Sub hac ergo consideratione nec est nec esse potest discrimen differentia, vel gradus, qua late patet divinae revelationis seu inspirationis ambitus, quia non minoris est infidelitatis discredere punctum vel minimum de cuius revelatione constat, quam discredere articulum etiam primarium inter principales.

At nunc venit alia obiecti materialis consideratio, in qua ratio iam habeatur intentionis dirigentis divinam revelationem seu inspirationem. Deus enim in revelando se habet sicut in humanis magister ad discipulos, et quidem magister peculiaris cuiusdam disciplinae. Quemadmodum enim apud nos, alius docet geologiam, alius physicam, alius mathesim, alius medicinam, et singulus quisque ita semper se gerit, ut quidquid ab eo docetur, doceatur in ordine ad principale

obiectum scientiae cuius doctor est et magister : sic etiam accidit in revelatione Dei. Unde statim consequitur quod cum res revelatae a Deo ad specialem quemdam veritatum ordinem determinentur, quin tamen omnes ac singulae aequalem in praedicto ordine gradum obtineant, locus utique iam erit quibusdam distinctionibus in iis quae materiale obiectum fidei constituunt. Et quamvis distinctiones istae non huc vergant aut vergere possint, ut maioris credibilitatis alia prae aliis esse dicantur, faciunt tamen quam maxime ad intelligendum cur et quomodo non omnia revelata sint aequaliter nobis cognitu necessaria; praesertim vero, cur et qua de causa non quoad omnia infallibile medium vel conservationis vel authenticae interpretationis debuerit a Deo provideri.

Sciendum itaque est, obiectum fidei primarium, quod attributionis vocant, esse Deum ipsum ut finem supernaturalem, quia sub revelatione divina et fide theologica caetera non cadunt, «nisi secundum quod habent aliquem ordinem «ad Deum, prout scilicet per aliquos divinitatis effectus «homo adiuvatur ad tendendum in divinam fruitionem» (1). – Id certe nos docet Apostolus, Heb. XI-1, cum dicit : *Est autem fides sperandarum substantia rerum*. Nam quocumque modo accipiatur ibi substantia, sive cum S. Thoma pro eo quod est prima in nobis futurae beatitudinis inchoatio primumque fundamentum (2), sive cum aliis pro eo quod iam ex nunc sperandis rebus tribuit quamdam in mente nostra subsistentiam (3), semper verum est fidem principaliter versari circa illius beatitudinis obiectum quam sperare debemus ; quod quidem obiectum nihil aliud est nisi Deus ipse ut in intuitiva visione possidendus. – Et eadem quoque conclusio erit ex iis quae paulo infra subduntur : *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quia inquirentibus se re-*

(1) S. Thomas, 2-2, Q. 1, a. 1.
(2) S. Thomas, 2-2, Q. 4. a. 1, et de Verit. Q. 14, a. 1.
(3) Estius, Comment. in epist. ad Heb.

munerator sit. Nam ibi intendit Apostolus id in quo tota doctrina recapitulatur, et velut in compendio abbreviatur. Unde et communi consensu theologi consequenter docent, haec duo esse ab omnibus explicite scienda et credenda, necessitate etiam medii. Nunc autem, quid sibi vult illud, *quia est et quia inquirentibus se remunerator sit?* Nempe, *quia est* profecto ut substans suae ipsius revelationi, cum de necessitate credendi sermo sit ; ac per hoc, quia est sub ea ratione sub qua hominibus proponitur ut finis transcendens naturae ordinem ; illum dico ordinem in quo nonnisi per ea et in iis quae facta sunt, invisibilia eius cognoscuntur. Quare statim subiungitur : *Et quia inquirentibus se remunerator sit.* Remunerator scilicet illius remunerationis quae sola in scripturis novi testamenti ubique annuntiatur, et quae est remuneratio supradictae aeternae vitae. Si ergo totum de integro obiectum fidei continetur et veluti incardinatur, tum in esse divino prout finis est naturam excedens, tum in providentia prout se extendit ad omnia quae a Deo temporaliter dispensantur ac disponuntur in hominum salutem, cuncta ibi profecto collineant in Deum finem supernaturalem, qui idicirco obiectum attributionis rectissime ponitur. — Et hoc idem egregie confirmatur ex hoc quod videmus Scripturam, quae quoddam depositorium est revelatae veritatis, incipere per genesim mundi, et desinere in apocalypsim aeternitatis, omnem viam generis humani in ordine ad Deum inter haec duo extrema comprehendendo. Initium quippe est in verbo Dei educentis universum de nihilo (Genes. I). Finis est in verbo Dei revocantis hominem ad se in gloria caelesti (Apocal. XXI-XXII). Denique intermedium in informatione morum reponitur, necnon et in propositione tam historica quam dogmatica mysterii incarnationis Christi Domini, qui simul via est et teminus, terminus quo perveniendum est, et via qua ad terminum pervenitur.

His iam praemissis, sine difficultate intelliges quaenam ea sint quae in scripturis, speciali nomine rerum fidei et morum insigniuntur. Sunt enim ea quae *directa intentione* fuerunt

divinitus inspirata, ratione habita scopi quem Deus revelans sive inspirans sibi praestituebat. Illa dico omnia quae quolibet modo faciunt ad notitiam vel speculativam vel affectivam finis, necnon et mediorum conducentium ad finem, utputa praeceptorum, consiliorum, sacramentorum, et totius demum oeconomiae regni Christi Redemptoris a prima eius praeparatione statim post lapsum protoparentum, usque ad perfectam eius constitutionem in Ecclesia novi testamenti. Et licet in his adhuc occurrat distinctio inter ea quae sunt de substantia doctrinae, et ea quae solum sunt de complemento eius, utpote ad penitiorem tantum cognitionem veritatum salutis ordinata, (ex quo quidem multiplices exoriuntur necessitatis gradus quoad propositionem, praedicationem, cognitionem, et explicitam credibilium fidem), omnia tamen sine ulla contradictione in ordinem eorum veniunt, quae a Tridentino dicuntur ad aedificationem doctrinae christianae pertinere.

At praeter haec, inveniuntur in scripturis aliqua, quae non directa intentione inspirata perhibentur, sed pure *per concomitantiam*, propter connexionem mere materialem cum caeteris. Illa dico adiuncta, quae ex sese ad fidei doctrinam undequaque indifferentia, in unum nihilominus historiae sacrae corpus coalescere debuerunt, eo quod sine illis ipsa sacra historia, humano saltem et connaturali modo exarari non poterat (1). Cogita multas circumstantias chronologicas,

(1) Nulli sane dubium esse potest quin voluerit Deus, cuius providentia disponit omnia suaviter, ut sacra historia pertinens ad praeparationem, annuntiationem, praefigurationem adventus Christi Redemptoris, consueto modo exararetur. Unde inspirando scriptores sacros, accommodavit se modo ordinario quo alias solet historia confici, praesertim cum propositum intentionis esset ut in iisdem libris simul cum formalitate scripturae sacrae, haberetur quoque distincta formalitas documentorum quibus idem accederet auctoritatis genus ac aliis transactorum temporum monumentis, idque in ordine ad iudicium credibilitatis, cuius fundamenta naturali rationi independenter ab auctoritate divina innotescere debent. Ideo, uti iam in superio-

physicas, geographicas, genealogicas in libris veteris testamenti consignatas. Quod Adam secundum vulgatam vixerit annis nongentis triginta, Seth annis nongentis duodecim, Enos annis nongentis quinque. Quod nomen unius fluviorum paradisi fuerit Phison; alterius, Gehon. Quod Cain genuerit Enoch, Enoch Irad, Irad Maviael, etc. Item, quod Paulus reliquerit penulam suam Troade, quod et advenienti Romam christiani occurrerint ad Appii forum ac tres tabernas, aliaque sexcenta huiusmodi. Et certo quidem certius, sine discussione et velut a priori constat, talia esse eiusmodi, ut nemo ad ea addiscenda, ac per hoc, explicite credenda obligetur. Imo constat nullam fuisse necessitatem ut per specialem Dei assistentiam impediretur in versionibus vel quibuslibet transcriptionibus originalium scripturarum, error amanuensium sive interpretum, quoniam infallibilis horum conservatio ad fidelium utilitatem minime intererat. Ex quo etiam bene explicatur quomodo in codicibus vel versionibus scripturae quas nunc prae manibus habemus, distingui possint res diversae auctoritatis, quin tamen liceat distinctionem hanc ad ipsa originalia, prout ab hagiographis prodierunt, extendere. Constat denique, non requiri in supradictis rebus authenticam Ecclesiae interpretationem sive propositionem, easdemque res hac de causa contradistingui in Tridentino a rebus fidei et morum, ut supra, in quibus nemini licet interpretari Scripturam contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum. Licet enim

ribus dictum est, character vere historicus in omnibus servari debuit. Et simile quid animadvertendum de apostolicis epistolis, quorum plura adiuncta ad doctrinam quidem adiaphora sunt, sed tamen exhibent signa authenticitatis documentorum, talesque promunt characteres, quibus omnis suppositionis suspicio procul removeatur. « Les seules épitres de S. Paul, si vives, si originales, si fort du temps, « des affaires et des mouvements qui étaient alors..., suffiraient pour « convaincre les esprits bien faits, que tout est sincère et original dans « les écritures que les apôtres nous ont laissées ». Bossuet, Histoire universelle, Part. 2, chap. 28.

sub eo tenore quo ex Dei inspiratione descenderunt, *res fidei* dicendae sint, non tamen *res fidei facientes ad aedificationem doctrinae christianae* (1). Ex qua quidem speciali earum conditione id demum consequitur quod mox dictum est : opus non fuisse aut peculiari providentia ut incorrupte conservarentur in scripturae editionibus, aut magisterio authentico ut cognitioni et explicitae fidei christianorum proponerentur.

Et distinctio quidem inter ea quae, formula abbreviata, *res fidei et morum* vocantur vel non vocantur, in eo quem diximus sensu fuerat a theologis hactenus intellecta, exposita, et tradita.

§ 2.

Nunc autem alia est interpretatio novellae scholae criticorum. Et primo quidem nonnulli opinati sunt aliquando, sic accipienda esse ea quae in Scripturis nomine rerum fidei et morum veniunt, quasi contraponerentur aliquibus aliis quae nullo modo nulloque sensu ad fidei obiectum pertinerent. Et quia aliunde videbant, tam late patere fidei obiectum quam late patet divina revelatio, negandam ex conse-

(1) Oppones forsitan auctoritatem Pauli, 2 Tim. III-16, ubi dicitur omnis scriptura divinitus inspirata utilis esse ad docendum. Nam *divinitus inspirata* afficit absque limitatione omnem scripturam. Ergo et *utilis, etc.* Ergo non relinquitur locus obiecto accidentario, condistincto a rebus fidei et morum.

At respondeo quod aliter atque aliter pro rei natura, duo haec praedicata afficiunt subiectum *omnis scriptura*. Sicut si dicerem: totus ille liber est scriptus ab Augustino, et est valde utilis ad theologiam. Certe intelligerent omnes, primum dici de toto libro secundum totalitatem etiam materialem, non autem secundum, quoniam in omni libro inveniuntur quaedam obiter dicta, vel ad ornamentum, vel ad aliquem finem accidentarium qui per se non facit ad principalem libri finem.

quenti existimaverunt integralem scripturae inspirationem, asserentes etiam solos textus dogmaticos esse a Spiritu Sancto. Qui error iam fuit in superioribus satis confutatus, et expresse damnatur in Encyclica *Providentissimus Deus*, in qua edocemur non esse tolerandam opinionem dicentium, inspirationem ad res fidei et morum, nihilque praeterea, pertinere; quoniam secundum antiquam et constantem Ecclesiae fidem, libri omnes atque integri quos Ecclesia tanquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante conscripti sunt.

Sed huius erroris correctio vix desideratum attulit fructum, quia retinuerunt exegetae nostri errorem alium, ex quo per diversam viam ad easdem nunc, quod ad exegesim attinet, consequentias deveniunt. Et consistit alius ille error in eo quod res fidei et morum restringunt omnino ad solam dogmatum substantiam, ac veluti siccam ossaturam. Assumunt enim repertorium solemnium definitionum Ecclesiae, (nam magisterium ordinarium pro sufficienti regula generatim videntur non habere) ; deinde extrahunt propositiones quae tanquam de fide ibi notantur, et si qua in scripturis respondeant illismet propositionibus sic nude acceptis, atque in ea praecise mensura, nec plus nec minus, in qua correspondent, ista esse aiunt res fidei et morum, nihilque praeterea. Diceres aliquid simile ossibus aridis de visione Ezechielis, antequam daret Dominus super ea nervos, et succrescere faceret carnes, et superextenderet cutem et insufflaret spiritum. Caeterum, quaecumque in libris sacris praedicta dogmata illustrant, exponunt, clarificant ; quaecumque de vitis sanctorum exempla dantur ; quaecumque historica facta providentiam Dei, oeconomiam salutis, et successionem religionis commendant : omnia, inquam, summatim reponuntur extra categoriam rerum in quibus solis regula traditionalis interpretationis tenemur. Et quia nihil iam in interpretationis negotio cogit sive consensus Patrum sive Ecclesiae magisterium, ecce tibi novam exegesim, plenam inauditis hactenus mythis, fabulis, fictionibus, quas admissi-

biles esse volunt, imo et admittendas, absque ulla nota heterodoxiae (1).

Nunc autem, hanc eorum acceptionem quoad res fidei et morum, esse per omnem modum erroneam, multiplici argumento demonstratur.

I. — Primum argumentum sumitur ex ipsissimis Tridentini verbis, quae restrictam criticorum interpretationem omnino non patiuntur. Res, inquit Concilium, *fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium.* Atqui ad aedificationem doctrinae christianae profecto non sola pertinet abstracta dogmatum substantia. Nam et ad aedificationem domus non soli pertinent lapides quibus principales muri constant, non solae trabes quae structuram sustentant, non sola contignatio nuda, ad usum habitationis procul dubio per se insufficiens. Ad aedificationem quoque humani corporis non sola requiritur compages ossaturae, et ideo, cum eductus esset Ezechiel in spiritu Domini, et dimissus in medio campi qui erat plenus ossibus, ut prophetante eo, ossa illa arida reviviscerent, primo quidem accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam ; se-

(1) L' autorité de la tradition a un objet déterminé: *les choses de « la foi et des moeurs qui ont trait à l' édification de la doctrine chré- « tienne.* La substance doctrinale des onze premiers chapitres de la « Genèse est facile à résumer. Ils enseignent Dieu créateur du « monde et de l' humanité, providence toute puissante, juste et mi- « séricordieuse, l' unité de l' espèce humaine, la déchéance primitive « avec l' espoir de relèvement. Ces doctrines se présentent dans la « Bible sous forme concrète; en elles-mêmes, ce sont des idées qui « expliquent des faits généraux, l' existence du monde, celle de l' hom- « me, et l' origine du mal. L' autorité de la tradition garantit-elle « absolument l' exactitude historique de la forme sous laquelle les « doctrines sont présentées, ou seulement les doctrines elles-mêmes ? « Pour que la forme sous laquelle ces doctrines sont présentées dans « la Bible dût être considérée comme vraie historiquement par l' au- « torité de la tradition ecclésiastique, il faudrait deux choses: d' a- « bord que les faits appartinssent à l' obiet de la foi, secondement « que la tradition fût unanime à les présenter comme tels ». Loisy, Etudes bibliques. Les onze premiers chapitres de la Genèse.

cundo ascenderunt super ea nervi et carnes ; tertio extenta est in eis cutis desuper ; quarto venit spiritus, et insufflavit super interfectos istos, et vixerunt, steteruntque super pedes suos. Et quiddam simile etiam est in aedificatione doctrinae christianae, ita ut nihil magis absonum excogitari possit quam reductio rerum fidei et morum in scripturis sanctis ad sceletum illum seu larvalem et omnino evisceratam doctrinae formam quam nobis obtrudunt novi exegetae.

Ut autem speciale sumatur exemplum de undecim primis capitibus Geneseos, dico intolerabile esse quod ipsi affirmant, volentes nihil aliud nos in iis edoceri, nisi quod Deus creavit mundum et hominem, quod provisor est iustus et misericors, quod ex uno viro et una femina caeteri omnes propagati sunt, et quod humanum genus lapsum est in suo capite Adam, accepta deinde promissione reparationis. Nihil ergo ad aedificationem doctrinae christianae attinebunt sex creationis dies, et septimus ille in quo requievit Deus ab omnibus operibus suis ? At contrarium docet Deus ipse in promulgatione decalogi, Exod. XX-11. Contrarium Apostolus, Heb. IV, ubi disserit de requie quae nobis in futura vita repromittitur. Contrarium quoque Sancti Patres et Doctores, sive cum propriam rationem requiei Dei et sanctificationis diei septimae tam sublimiter exponunt (1) ; sive cum harmonicam ostendunt concordantiam inter opus Dei creatoris et opus Christi redemptoris, qui ex hoc quod sexta die creatus est homo, sexta quoque feria humanae restaurationis implevit arcanum, sabbato autem in sepulcro requiescens, resurrectionis quae octava die ventura erat, expectabat eventum (2); sive denique cum mysteria enarrant quibus apud nos dominica dies consecratur (3). Quidquid enim illud sit, in quo oporteat determinate reponere analogiam illorum dierum

(1) Cf. August. l. 4 de Genes. ad litt. c. 15; S. Thom. 1ª Part. Q. 73 per totum etc.

(2) Cf. Beda, l. 4 in Marcum, c. 15.

(3) Cf. Bossuet, Elévations sur les mystères. III-7.

Geneseos cum diebus hebdomadae nostrae, id saltem ratum fixumque apud omnes est, analogiam aliquam exsistere, et non ex mytho seu fabula desumi, et in omni hypothesi solidum atque obiectivum praebere fundamentum documentis quae exhinc eruuntur. Quomodo igitur ad res fidei et morum ista non pertinebunt ? (1).

Nihil etiam videbis ad aedificationem doctrinae christianae attinens, in plasmatione corporis hominis de limo terrae, in qua tuae originis dignitas contra deliramenta Darwinistarum tam efficaciter vindicatur ? (2). Nihil in Eva e latere Adam educta, et de costa eius procreata, quidquid Apostolus dicat, Eph. V-32, de sacramento magno in Christo et Ecclesia ? (3).

(1) Hic nota duplicem confusionem apud auctorem paulo supra citatum. — Prima consistit in hoc quod pro eodem omnino accipit res fidei et morum, et res in quibus unanimis SS. Patrum interpretatio est: quasi scilicet *ex hoc solo* quod deest interpretationis unanimitas, *statim* concludere liceret, non esse ibi aliquid quod ad doctrinae christianae aedificationem quavis ratione pertineat. Sed hoc nihil minus est quam negare possibilitatem omnis veri progressus in intelligentia veritatum fidei. Et mirum sane, si homines qui aliunde toti sunt in errore evolutionismi praedicando, excessu nunc directe contrario, a censu rerum ad aedificationem doctrinae pertinentium excludant in globo omne id in quo diversa dixerunt Patres, hoc solo nomine, quia concors exegesis non fuit. — Altera et potissima confusio est, quia auctor non distinguit inter discordantiam secundum quid, et discordantiam simpliciter. Et valde quidem sibi complacet in enumerandis opinionibus contradictoriis quae prodierunt de situ paradisi terrestris, cum tamen concretam eius realitatem, praeter unum quem sciam Origenem, omnes tueantur. Et simile est de diebus Genesos, quia etsi Patres discordent circa determinatam eorum quidditatem, minime tamen circa obiectivitatem quae omnem fabulae suspicionem procul removeat.

(2) Cf. Pignataro, de Deo Creatore, thes. 37.

(3) « Dieu tire la femme de l' homme même, et la forme d' une « côte superflue qu' il lui avait mise exprès dans le côté. Mais pour « montrer que c' était là un grand mystère, et qu' il fallait regarder « avec des yeux plus épurés que les corporels, la femme est produite « dans une extase d' Adam, et c' est par un esprit de prophétie qu' il

Adhuc, nihil ad aedificationem doctrinae christianae facit historia tentationis, et ipse ordo praevaricationis quae incipit in muliere, tum per mediatricis mulieris suggestionem persuadetur viro, ac demum in viro universum inficit genus ? Nihil, inquam, ad intelligentiam oeconomiae redemptionis nostrae, quam tota traditio christiana agnovit tanquam ordini ruinae e diametro oppositam, ita ut in ea, veteri Evae nova Eva, veteri Adae novus Adam respondeat, et quidquid diabolus ad perditionem nostram machinatus fuerat, divina quadam et stupenda recirculatione contra ipsum retorqueatur ? (1).

« connut tout le dessein d' un si bel ouvrage... *Mon Dieu ! que de* « *vains discours je prévois dans les lecteurs au récit de ce mystère !* « *Mais pendant que je leur raconte un grand et mystérieux ouvrage* « *de Dieu, qu' ils entrent dans un esprit sérieux, et, s' il se peut, dans* « *quelque sentiment de cette admirable extase d' Adam, pendant laquelle :* « *aedificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulie-* « *rem...* Sans nous arrêter davantage à des questions curieuses, et « remarquant seulement en un mot ce qui paraît dans le texte sacré, « considérons en esprit cette épouse mystérieuse, c. à. d. la sainte « Eglise tirée et comme arrachée du sacré côté du nouvel Adam pen- « dant son extase, et formée pour ainsi parler, par cette plaie; dont « toute la consistance est dans les os et dans les chairs de Jésus-Christ « qui se l' incorpore par le mystère de l' incarnation, et par celui de « l' eucharistie qui en est une extension admirable. Il quitte tout « pour s' unir à elle. Il quitte en quelque façon son père qu' il avait « dans le ciel, et sa mère la synagogue d' où il était issu selon la « chair, pour s' attacher à son épouse ramassée parmi les gentils. « C' est nous qui sommes cette épouse; c' est nous qui vivons des « os et des chairs de J. C., par les deux grands mystères qu' on vient « de voir ». Bossuet, Elévations, V-2.

(1) « En même temps qu' un homme et une femme perdaient « le genre humain, Dieu qui avait daigné prédestiner un autre homme « et une autre femme pour les relever, a désigné cet homme et cette « femme jusque dans ceux qui nous donnaient la mort. Jésus-Christ « est le nouvel Adam. Marie est la nouvelle Eve.... Tout convient à « ce grand dessein de la bonté divine: un ange de ténèbres intervient « dans notre chute; Dieu prédestine un ange de lumière qui doit « intervenir dans notre réparation. L' ange de ténèbres parle à Eve

Adiaphora quoque est historia Cain et Abel, ubi tam insignis elucet figura de Christo et populo deicida ? Purum ornamentum litterarium erit tremendum illud diluvii flagellum quod teste ipso Domino Matth. XXIV-37, necnon et Petro, 2 epist. III-6, in iudicii universalis ostensionem praecessit ? Fidei veritatem non illustrat Noe inebriatus et nudatus in tabernaculo suo, in quo Christi crucifixi opprobrium cernitur ; Cham irridens, seu Iudaeus nuntians cum derisione ignominiam eius ; Sem denique et Iaphet, id est primitiae circumcisionis et plenitudo gentium, cum pietate et faciebus aversis ad patrem accedentes, quasi detestantes scelus parricidarum ?

Haec igitur ex undecim prioribus Geneseos capitulis, brevis speciminis gratia sint summatim recensita, ut noveris quam sit abnormis interpretatio criticorum quoad *res fidei et morum* a Tridentino memoratas, quasi nempe illae res nihil plus importarent quam quae locum habent in fidei symbolis, aut catalogis praeceptorum. Sed ab eiusmodi interpretatione, praeter alia permulta removere eos debuissent vel sola verba non frustra a Concilio apposita : *ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium.*

II. — Secundum argumentum sumi potest ex auctori-

« encore vierge; l' ange de lumière parle à Marie qui le demeura tou-
« jours. Eve écouta le tentateur et lui obéit; Marie écouta aussi l' ange
« du salut, et lui obéit. La perte du genre humain qui se devait con-
« sommer en Adam commença par Eve; en Marie commence aussi
« notre délivrance; elle y a la même part qu' Eve a eue à notre malheur,
« comme Jésus-Christ y a la même part qu' Adam avait eue à notre
« perte. Tout ce qui nous a perdus se change en mieux. Je vois pa-
« raître un nouvel Adam, une nouvelle Eve, un nouvel ange. Il y a
« aussi un nouvel arbre, qui sera celui de la croix, et un nouveau fruit
« sur cet arbre, qui détruira tout le mal que le fruit défendu avait
« causé. Ainsi l' ordre de notre réparation est tracé dans celui de
« notre chute; tous les noms malheureux sont changés en bien pour
« nous, et tout ce qui avait été employé pour nous perdre, par un
« retour admirable de la divine miséricorde, se tourne en notre fa-
« veur ». Bossuet, Elévations, VIII-3.

tate Scripturae. Nam ubicumque documenta sunt ad docendum, ad corripiendum, ad arguendum, ad erudiendum in iustitia, ut dicitur 2 Tim. III-16, ibi quoque res sunt fidei et morum aedificationi doctrinae christianae idoneae. Atqui ipsamet scriptura semetipsam explicans atque interpretans, materiam docendi, arguendi, corripiendi, erudiendi, expresse assumit ex nuda etiam et simplici veteris testamenti historia reduplicative in quantum historia est. Si de hoc dubitas, lege caput quartum epistolae ad Romanos, ubi docet Apostolus quod non ex legis operibus contingit iustificatio, sed ex fide in Deum quae Abrahae reputata fuit ad iustitiam ante datam ei circumcisionem ; et quod idem Abraham ex iustitia fidei constitutus est pater omnium credentium, dum credidit promissum sibi a Deo semen, cum tam ipse quam uxor eius Sara annos excessissent aptos ad generandum. Lege caput nonum et undecimum, ubi iterum historia, Genes. XVIII-XXV, et 3 Reg. XVIII-XIX, in argumentum assumitur. Item caput quartum epistolae ad Galatas. Item caput secundum et quintum epistolae Iacobi. Item 1 Petr. II, 5-15. Lege praesertim splendidam illam pericopen epistolae ad Hebraeos, ubi fidem magnifice commendat Apostolus ex actis patrum a mundi exordio usque ad David et prophetas, enarratque quanta per fidem patrarint et passi sint, nec tamen plenam adhuc acceperint retributionem : « Fide plurimam hostiam « Abel... Fide Henoch... Fide Noe.... Fide qui vocatur A- « braham.... Fide et de futuris benedixit Isaac.... Fide Iacob « moriens.... Fide Ioseph.... Fide Moyses... Et quid adhuc « dicam ? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, « Barac, Samson, Iephte, David, Samuel, et prophetis. Qui « per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti « sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, exstinxé- « runt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt « de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt « exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos « suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptio- « nem, ut meliorem invenirent resurectionem ; alii vero lu-

« dibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres. « Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gla- « dii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus capri- « nis, egentes, angustiati, afflicti. Quibus dignus non erat « mundus ; in solitudinibus errantes, in montibus et spe- « luncis et in cavernis terrae. Et hi omnes testimonio fidei « probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis « melius aliquid providente, ut non sine nobis consum- « marentur. Ideoque et nos, tantam habentes impositam « nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos « peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis « certamen ». Adhuc lege quatuor ultima capita libri Sapientiae, necnon et Ecclesiasticum, XLIV-L, ubi eadem et fidei et morum instructio est, nisi quod Apostolus documenta historiae ulterius protrahit usque ad Machabaeos, et ad heroica illa martyria quae in secundo libro, VI-VII, aeternae memoriae sunt commendata.

Haec sane vel sola satis essent ad explodendam singularem eam atque inauditam criticorum inventionem, dum scilicet in narratione factorum nihil aliud vident praeter formam aliquam litterariam, quae cum ratione sui nullius valoris sit, et ad res fidei et morum per se nihil attineat, liberae ac phantasticae eorum exegesi relinquatur, etiam contra evidentem atque unanimem totius traditionis sensum. Et mirum rursus si homines, quibus unicus nunc probatus argumentandi locus historia positiva est, ad hunc excessum devenire potuerint, ut dicerent facta qua talia, esse extra ordinem rerum quibus nos in Scriptura erudit Deus, quibus corrigit, quibus arguit, quibus fidem nostram firmat, spem roborat, et ad omne opus bonum animum accendit ! aut eumdem esse disciplinae fructum sintne illa vere historica, an imaginaria potius et fabulosa !

Nunc autem, si ad aedificationem christianae doctrinae sacra veteris testamenti historia omnino dicenda est pertinere, quanto magis illa evangelii. Christus enim est qui *coepit facere et docere*, et non tam per praecepta theoretica

quam per divinissimae vitae exempla viam nobis salutis demonstravit. « Oportet ad beatitudinem tendentes se- « cundum virtutem disponi. Ad virtutem autem et verbis et « exemplis provocamur. Exempla autem alicuius et verba tanto « efficacius ad virtutem inducunt, quanto de eo firmior boni- « tatis habetur opinio. De nullo autem homine puro infal- « libilis opinio bonitatis haberi poterat, quia etiam sanctissimi « viri in aliquibus inveniuntur defecisse. Unde necessarium « fuit homini, ad hoc quod in virtute firmaretur, quod a Deo « humanato doctrinam et exempla virtutis acciperet. Propter « quod ipse Dominus dicit: *Exemplum dedi vobis, ut quemad- « modum ego feci, ita et vos faciatis* » (1). Vide igitur utrum sacram scripturam, *in rebus fidei et morum*, contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, itemque contra unanimem Patrum consensum, ad tuos sensus non contorqueas, si forte facta quae in quarto evangelio proponuntur, ad nescio quam idealem formam reducas, quae theoriis quibusdam, quantumvis per revelationem a Deo acceptis, involucro esset, et ut critici dicunt, litterario vestimento.

III. — Tertium tandem argumentum sit ex ordine quem Scriptura habet in oeconomia religionis. Re enim vera, si oporteret nos, ut adversariis placet, res fidei et morum in scripturis accipere, illud statim sequeretur, scripturas ipsas in hac oeconomia prorsus redundare, et se habere instar accessorii superflui, quod absit omnino.

Et probatur consequentia, quia ad quid, quaeso, ingens illud scripturae volumen, si fidem nostram non instruit nisi quoad solam substantiam dogmatum, quorum propositio intra terminos brevissimi symboli seu catechismi facile posset contineri ? Fuit equidem convenientissimum ut a Deo inspiraretur scriptura, quae esset in adiutorium ecclesiastico magisterio, tanquam medium conservationis revelatarum

(1) S. Thomas, l. 4, c. Gent. c. 54.

veritatum, et fons specialis unde in fidei praedicatione doctrina promeretur. Non quod per solam traditionem de ore in os, ipsa nuda dogmatica veritas non potuisset absolute conservari, sed quia ad connaturaliorem conservandi modum congruebat ut pro potiori saltem dogmatum parte, orali traditioni fixum quoque inspiratae scripturae instrumentum adiungeretur. Verumtamen, praeterquam quod sub hoc respectu non consideratur nisi necessitas secundum quid, prout scilicet necessarium dici potest id per quod melius et convenientius pervenitur ad finem, constat evidenter quod si ad solam dogmatum ossaturam intentionem Scripturae terminatam supponas, nunquam invenietur ea quae in operibus sapientiae Dei necessario adesse debet, medii ad finem iusta proportio. Et in hoc sensu rectissime dixit Bellarminus, l. 4 de verbo Dei, c. 12 : « Finis scripturae praecipuus non est, « ut sit regula fidei, sed ut variis documentis, exemplis, « adhortationibus, nunc terrendo, nunc instruendo, nunc « minando, nunc consolando adiuvet nos in hac peregrina- « tione. Hinc enim est, quod scriptura non est unum opus « continuum, quale esse deberet regula fidei, sed continet « varia opera, historias, conciones, vaticinia, carmina, epi- « stolas, etc. Quem finem expressit Paulus. Rom. XV-4 : « *Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta* « *sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem* « *habeamus.* Et 2 Petr. I-13 : *Iustum autem arbitror, quamdiu* « *sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione.* Et « III-1 : *Hanc ecce vobis, carissimi, secundam scribo epistolam,* « *in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem,* « *etc.* ».

Quae igitur cum ita sint, dicendum est duas fuisse principales rationes inspirationis Scripturae. — Prima fuit, quia non sola abstracta dogmata seu aridi fidei articuli erant nobis a Deo manifestanda, sed ea quoque omnia quae ad eorum illustrationem faciunt, ut sunt prophetiae, historiae, figurae, exempla, et alia id genus innumera ex quibus doctrinae christianae suus accedit decor et ornatus. Haec enim doctrina,

sine multiplicibus factis eam illustrantibus, sine splendore veterum vaticiniorum ac figurarum, sine cognitione circumstantiarum in quibus acta sunt mysteria redemptionis nostrae, sine notitia viarum civitatis Dei inde ab initio mundi, non esset ut par est hominibus accommodata. Ideo ergo requirebatur omnino scripturae instrumentum, quandoquidem, secluso inutili miraculo, impossibile fuisset ut in tanta factorum circumstantiarumque varietate, sola oralis traditio multipliciter non deficeret, prout cuique consideranti statim apparebit. — Altera quoque necessitatis ratio fuit, ut haberet Ecclesia divinas commonitiones, consolationes, promissiones, suggestiones, non tantum per interpositos relatores et praecones, sed etiam velut immediate de ipsius Dei ore acceptas. Quippe, inter verbum Dei scriptum et traditum id demum distat, quod verbum traditum se habet sicut relatio verborum amici per alios ad nos facta, verbum autem scriptum sicut epistola, propria amici ipsius manu exarata, in qua procul dubio multo maiorem vim ad commovendum omnis cordatus agnoscet. Unde Gregorius, l. 4 epist. 31 : « Quid est autem scriptura sacra, nisi quaedam epistola om-« nipotentis Dei ad creaturam suam ? » Et Augustinus, Serm. 2 in Psalm. 90, n. 1, itemque Enarr. in Psalm. 149, n. 5 : « Sion vera et Ierusalem vera aeterna est in coelis, quae est « mater nostra. Ipsa nos genuit, ipsa est ecclesia sanctorum, « ipsa nos nutrivit, ex parte peregrina, ex magna parte im-« manens in coelo... Ibi sunt et angeli cives nostri. Sed quia « nos peregrinamur, laboramus ; illi autem in civitate expe-« ctant adventum nostrum. Et de illa civitate unde peregri-« namur, litterae nobis venerunt ; ipsae sunt scripturae « quae nos hortantur ut bene vivamus... Venerunt ad nos « litterae de patria nostra, ipsas vobis recitamus ».

Si ergo ea est principalis scripturae ratio quam diximus, si insuper ne dubium quidem esse unquam potuit quin intentio eius ad res fidei et morum semper terminetur, consequens profecto est ut praedictas res fidei et morum quae-

ramus, non in solis abstractionibus, sed et in historiis, exemplis, typis, commonitionibus, aliisque id genus supra memoratis, quibus maxima ex parte Biblia constant. Sic quoque et non aliter, eidem scripturae vere conveniet proprietas illa, ex inspirati libri essentia promanans, quam enuntiat Apostolus ubi ait: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.*

CAPITULUM TERTIUM

DE INERRANTIA SCRIPTURAE SACRAE

« Est autem Deus verax ».
Rom. III-4

Absolutam scripturae sacrae inerrantiam esse firmissimum dogma catholicae religionis, nemo prudens negaverit. Nam etsi in hac parte non possit afferri solemnis et diserta alicuius concilii vel pontificis definitio, praecise quia in praeteritis temporibus necessitas huiusmodi definitionis non occurrit, satis perspicua est universalis ac perpetua Ecclesiae praedicatio, cui insitus cunctorum fidelium sensus per omnia respondet. Quis enim christianus audiens hac de re testimonia Patrum, non in iis statim agnoscet unum e principiis quae in fide nostra instar fundamentorum sunt ? Ait *Augustinus*, epist. 82, n. 3 : « Solis eis scripturarum libris « qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem ho- « noremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo « aliquid errasse firmissime credam... Alios autem ita lego, « ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non « ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi « vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod « a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi « frater, sentire aliud existimo. Prorsus, inquam, non te ar- « bitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel « Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore ca- « reant, dubitare nefarium est ». Ait *Hieronymus*, epist. 105, n. 5 : « Si in Evangeliis ac Prophetis perversi homines inve- « niunt quod nitantur reprehendere, miraris si in tuis libris... « quaedam a recta linea discrepare videantur ? » Ait *Nazianzenus*, Orat. 2, n. 105 : « Neque enim nobis in mentem veniat

« exsistimare, ea temere litterarum (sacrarum) monumen-
« tis commendata fuisse, atque inanem quamdam rerum
« et verborum turbam esse ad oblectandos audientium ani-
« mos compositam..... Haec sane ludant fabulae et gentiles
« qui de veritate parum solliciti, verborum lenocinio quasi
« praestigias quasdam auribus atque animis offundunt. At
« nos, qui Spiritus diligentiam vel usque ad levem apicem
« et lineam trahimus, nunquam, nec enim fas est, ne minimas
« quidem actiones ab iis a quibus memoriae proditae sunt,
« temere perscriptas et elaboratas, memoriaque ad haec
« usque tempora conservatas esse concedemus ». Ait S. Thomas, Quodl. 12, a. 26 ad 1^um^ : « Hoc tamen tenendum est, quod
« quidquid in sacra scriptura continetur, verum est. Alias,
« qui contra hoc sentiret, esset haereticus ». Et in I^a^ Part. Q. 68, a. 1, ubi de opere sex dierum agere incipit, duas cautiones, adhibendas esse praemittit : « Primo quidem, ut ve-
« ritas Scripturae inconcusse teneatur. Secundo, cum scriptura
« divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni
« aliquis ita praecise inhaereat, ut si certa aliqua ratione con-
« stiterit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturae
« esse credebat, id nihilominus asserere praesumat, ne Scri-
« ptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via cre-
« dendi praecludatur ». Unde rectissime Melchior Canus in principio operis de locis theologicis observat : « Libros sacros
« et canonicos appellamus, quos Spiritu Sancto dictante,
« sacri auctores exceperunt. Quos igitur tales esse constiterit,
« eos dubio procul certissimos ac verissimos esse credemus.
« Nisi enim fundamentum hoc fideliter ieceris, corruet ci-
« vitas illa Dei, cuius fundamenta in montibus sanctis, et in
« scripturis principum qui fuerunt in ea. Quarum scriptu-
« rarum auctor est, non homo, sed Deus ».

Quocirca, omnes qui in Scripturis errores admiserunt, notati sunt nota haereseos. In qua haeresi fuerunt olim Anomaei, teste Epiphanio, Haeres. 76 in fine : « Cumque
« urgeri rationum vi, ac male haberi coeperint, effugiunt ac
« prosiliunt : Et ista, inquiunt, apostolus tanquam homo

« dixit ». Item Manichaei, si Augustino credas, l. 2. c. adversarium legis et prophetarum, c. 2 : « Hoc totum propte« rea molitus est, ut si quando aliquid de apostolica pro« ferretur epistola, ubi attestantur evangelio lex et pro« phetae, hoc dicat apostolum, non sapientibus et perfectis, « sed Iudaeis locutum fuisse quasi Iudaeum, etc. ». Item Erasmus, de quo Bellarminus l. 1 de verbo Dei, c. 6 : « Nostro « saeculo, inquit, Erasmus eamdem haeresim renovavit, si« quidem in annotationibus suis ad 2^{um} et 27^{um} caput Matthaei, « non obscure scripsit non esse metuendum ne totius scrip« turae corruat auctoritas, si levis aliquis error in ea de« prehendatur, praesertim cum evangelistas memoria lapsos « Augustinus concedat, et negari nullo modo posse videatur ». Sed antiqua haec haeresis intimo saltem nexu connectebatur in mente suorum auctorum, cum negatione dictationis divinae sese ad omnes et singulas Scripturae partes extendentis. Neque enim hactenus somniaverant posse errorem aliquem, cuiuscumque tandem ordinis sit, de revelatione Dei descendere. Soli nostrae aetati reservabatur novus ille sui generis progressus : incredibilem dico quorumdam biblicorum opinionem, qui scientificos vel historicos errores in Scripturis admissibiles esse existimaverunt, etiam in sensu composito divinae inspirationis. Imaginantur namque inspirationem quam *oeconomicam vocant*, contradistinguentes doctrinam quam nos Deus docere intendit, a modis sub quibus docet et proponit eam. Et de doctrina quidem quae terminat intentionem Dei inspirantis, ultro fatentur quod non est et non potest esse nisi veritas, quanquam veritas illa semper contineatur in ordine fidei et morum, eo utique sensu restrictissimo de quo dictum est in capite praecedenti. At vero, per ipsos nihil prohibet quominus forma sub qua veritas dogmatica dictata est a Deo, sacris litteris consignanda, iis erroribus sive scientificis sive historicis fuerit referta, quibus pro temporum vel locorum diversitate praeoccupatae erant mentes hominum ; eorum videlicet hominum, per quos condebantur, et ad quos tanquam ad proximos atque immediatos lectores

dirigebantur scripturae sacrae. Caeterum addunt nihil incommodi inde esse timendum, eo quod Scriptura coordinatur ad Ecclesiam, quae est constituta interpres eius infallibilis (1).

Quae igitur cum ita se habeant, videndum est primo, quibus de causis biblici nostri ad eam opinionem devenerint, quae sensui christiano, ne dicam communi, tam aperte repugnat. Secundo, quibus argumentis illam utcumque firmare conentur. Tertio, quomodo fuerit insubsistens ista opinio expresse condemnata per Encyclicam *Providentissimus Deus*.

§ 1.

Et certo quidem certius, vel a priori existimandum esset, viros catholico nomine adhuc gloriantes, non sine gravissimis rationibus, imo vero nonnisi evidentia ineluctabili coactos,

(1) Ita Alfredus Loisy, Etudes bibliques, p. 60: « La vérité des « Ecritures est une vérité que l' on peut dire, à certains égards, *éco-* « *nomique*. Elle est coordonnée à l' infallibilité de l' Eglise qui l' inter- « prète. La forme sous laquelle cette vérité a été présentée d' abord, « implique relativement à nous, beaucoup d' imperfections que l' on « peut, au point de vue de la science moderne, qualifier d' erreurs, « mais qui, n' étant pas l' obiet de l' enseignement révélé contenu « dans la Bible, *jouissent au point de vue théologique, d' une sorte de* « *vérité proportionelle comme condition inévitable de la révélation dans* « *les temps bibliques* ». Revera capiat qui potest. — Idem auctor paulo supra, sequentia principia, velut ex cathedra definiens, proposuerat: « L' inerrance de la Bible ne peut impliquer la vérité absolue de tout « son contenu et de toutes ses propositions, quel que soit leur objet. « Un livre absolument vrai pour tous les temps, dans tous les ordres « de vérité, n' est pas plus possible qu' un triangle carré. Un livre, « même divin, est toujours un livre... Un livre absolument vrai « pour tous les temps serait, s' il pouvait exister, inintelligible pour « tous les temps. Un livre vrai selon la science d' aujourd' hui ne sera « plus tout à fait vrai selon la science de demain ». Si demonstrationem desideras, nimium forte desideras. Numquid enim evidens tibi non est, tam repugnare librum absolutae veritatis, quam repugnat quadratus triangulus? evidens autem dico, instar principiorum quae ex ipsa perceptione terminorum, velis nolis, statim admittuntur?

ei quae mox dicta est, theoriae subscripsisse. Nam etsi multi nunc inveniantur, quibus apprime convenit quod de Atheniensibus Act. XVII-21, scriptum legitur: *Athenienses autem omnes et advenae hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi*, ipsa tamen novitas nequaquam habere potest illimitatam vim alliciendi animos, praesertim cum ad eos limites devenitur, ubi locus est dicto poetae: Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi. Non ergo intervenire hic potuit sola novitatis illecebra, sed graviores procul dubio rationes in causa esse debuerunt, quas, antequam ad ulteriora progrediamur, opus est considerare.

Primo ergo notant, Scripturam aperte errare in re astronomica quoad systema mundi. Nobis enim exhibet solem sese moventem circa terram, terram autem immobilem. Dicit astra esse luminaria ad usum hominis facta, ex quibus duo omnium maxima sunt sol et luna. Docet quoque Deum fundasse terram super aquas, et caelos desuper velut tentorium extendisse. Atqui haec omnia, uti nunc omnibus notum est, contradicunt in terminis veritati scientificae (1). — Quod si timide respondeas, scripturam loqui eo ipso modo quo etiamnum loquuntur moderni astronomi omnes, quoties circumlocutionibus technicis uti non coguntur (2); terram

(1) « Les auteurs bibliques, en tout ce qui touche aux sciences « de la nature, auraient partagé les opinions de leur temps qui au- « jourd' hui sont reconnues fausses, et de ce chef il y aurait dans la « Bible quantité d' énoncés en contradiction avec la vérité scienti- « fique. On lit en effet dans l' Ecriture que la terre est à jamais immo- « bile; que Dieu l' a fondée sur les eaux; que les cieux la couvrent « comme un pavillon; que les astres sont de simples luminaires de- « stinés au service de la terre, et dont les plus grands sont le soleil « et la lune, etc. ». Alfred Loisy, Etudes bibliques, p. 39.

(2) « Poveri astronomi, se per non parere antiquati dovessero « dire: La terra è a tal punto della sua rotazione, che i raggi del sole, « tenuto pur conto della rifrazione atmosferica, incominciano ad appa- « rire sul nostro orizzonte! Il volgo dice semplicemente: Il sole si leva, « e col volgo parleranno gli astronomi sino alla fine del mondo, se

ab Ecclesiaste dici stare in aeternum, non absolute, sed per oppositionem ad perennem generationum sibimet deinceps succedentium vicissitudinem (1) ; solem ac lunam luminare maius et luminare minus a Moyse per respectum ad nos verissime appellari ; denique, sacros scriptores adhibuisse in hymnis et canticis et psalmis easdem locutiones quas usque hodie poetae passim usurpant, quin unquam vel minimam aut erroris aut ignorantiae in rebus physicis suspicionem de se suppeditent : si timide, inquam, simplices et obvias responsiones opponas, quas a puero omnes didicimus, sciendum tibi est responsiones istas iam amplius non valere. Superest igitur ut absque scrupulo teneas esse in Bibliis enuntiationes multas quae cum scientifica veritate contradictorie opponuntur, quanquam errores mox memorati nondum inveniantur nisi in iis quae sunt *obiter dicta*. Sed ecce tibi aliquid gravius.

Secundo ergo proclamant necessitatem adhaerendi conclusionibus quas scientia moderna definitivas fecit. Conclusiones autem sunt eiusmodi, ut pleraeque narrationes in libris veteris Testamenti consignatae, tanquam historice

« prima non perdono il senno. Perchè sempre il linguaggio, che deve « essere popolare e spontaneo, è conforme alle apparenze e alle prime « impressioni. Tocca al filosofo, scrutatore delle riposte cagioni, cercar « la realtà, non sempre rivelata dalle più ovvie esperienze sensibili. « Tuttavia non dovrà pretendere di mutare, ma solo d' interpretare « a chi studia, il linguaggio che per necessaria legge di natura s' è « introdotto. Poteva dunque lo scrittore del sacro testo ottimamente « sapere che il periodo diurno è dovuto al rotar della terra, saper che « la diversa declinazione del sole nelle varie stagioni viene dal moto « annuo del nostro globo e dall' inclinazione dell' eclittica sull' equa- « tore, eppure scrivere che il sole appare in oriente e gira ad occi- « dente, etc.». Mattiussi, *Di una improvvida concessione intorno alia infallibilità della Bibbia*, Milano, 1893.

(1) Eccl. I-4: *Generatio praeterit, et generatio advenit : terra autem in aeternum stat.* Super quo commentans Hieronymus ait: « Quid hac « vanius vanitate, quam terram manere quae hominum causa facta « est, et ipsum hominem terrae dominum in pulverem repente dissolvi ? »

falsae debeant omnino haberi (1). Oppones fortasse, definitivas istas scientiae conclusiones, definitivas non esse nisi in phantasia suorum assertorum, vel benevola credulitate discipulorum. Nonnulla quoque, confirmationis gratia, afferes exempla. Utputa exemplum de definitivis illis encyclopedistarum saeculi decimi octavi conclusionibus quantum ad fabulosum characterem relationum Abrahae et Ioseph cum regibus Aegypti, quas mox ineunte saeculo decimo nono, nil minus quam definitivas ostendebat hieroglyphorum inventio et interpretatio. Item exemplum de conclusione pariter definitiva, et post repertas tabellas in El-Armana statim antiquata, qua ante annos vix viginti, artem scribendi in populo Israelitico, nonnisi tribus aut quatuor saeculis post Moysen et Iosue inventam decernebant (2). Adhuc observabis, quotidie evenire ut puri etiam rationalistae definitivas suorum conclusiones contra facta biblica penitus explodant, et solidissimis destruant argumentis (3). *Nossignore !!* Valet

(1) « Quelques-uns vont jusqu' à dire qu' il y a dans la Bible « des erreurs de fait plus graves que les *obiter dicta* dont il était que- « stion tout-à-l' heure. Les récits de la création n' auraient rien d' hi- « storique et le déluge aurait été aussi tout autre chose que ce que l' on « raconte. Les patriarches antédiluviens et plusieurs des postdiluviens « n' auraient pas existé, mais pourraient être la personnification « de peuples, de villes, d' événements historiques très reculés ». Loisy, ubi supra.

(2) « L' écriture en Israel est postérieure à Moïse et à Josué de « 300 ou 400 ans. Les siècles sans écriture n' engendrent et ne trans- « mettent que des fables ». Renan, histoire du peuple d' Israel, Tom. I, 10ème, édition, pag. 181, note 3.

(3) Accipe speciminis gratia testimonium unius notissimi scriptoris e schola rationalistarum, in ephemeride *Revue bleue, 9 Août 1902 :* « J' ai comparé le récit de l' éruption du Mont-Pelé (Martini- « que) à celui de l' éruption du volcan qui détruisit les villes désignées « sous le nom de Sodome et de Gomorrhe, et l' on a vu avec quel accent « de vérité il nous était parvenu à travers des siècles innombrables. « On pourrait multiplier les vérifications. Le déluge lui-même, nié « par une école de savants, reprend aujourd' hui quelque crédit et « revient en faveur auprès de ceux-là mêmes qui avaient démontré

enim scientia rationalistarum cum contra Biblia pugnat, sed cum Biblia confirmat, amplius non valet, quia tunc sufficientem independentiae sponsionem ac veluti fideiussionem minime suppeditat.

Tertio, prodigiosam antiquitatem mundo et generi hu-

« son impossibilité géologique. Peut-être avons-nous aidé à cette « évolution en découvrant les traces manifestes d' un cataclysme « qui submergea la Perse durant l' époque quaternaire, et en faisant « souvenir du texte original de la Bible, où il est parlé d' une inon- « dation qui aurait eu son origine dans le déversement d' une mer, « et que grossirent seulement les cataractes du ciel, (Genes. VII, 11- « 12, et VIII-2). Les vallées comprises entre les deux chaînes de mon- « tagnes, qui semblables à deux immenses murailles, soutiennent la « Perse à mille et douze cents mètres d' altitude, sont comblées sur « une profondeur considérable par des galets roulés, du sable, et de « la terre. Il est même facile de vérifier, grâce à la multiplicité des « forages entrepris pour la construction des galeries souterraines qui « conduisent à fleur du sol les eaux sous-jacentes, que les dépôts al- « luvionnaires ne présentent, au moins jusqu' à 120 mètres de pro- « fondeur, aucune stratification, et qu' ils se distinguent entre eux « par le volume des galets plus gros dans le Nord que dans le Sud, « et dans les couches profondes qu' à la surface. On peut reconnaître « à ces premiers indices qu' un courant d' une extrême violence, dé « terminé sans doute par la rupture d' un barrage naturel et l' irru- « ption d' une mer, se précipita sur le Nord-Ouest de la Perse et s' épa- « nouit vers le Sud où il se déversa, partie dans les déserts de la Bir- « manie, partie dans la zône comprise entre le Fars et le golfe Per- « sique. A mesure que le flot s' avançait et que sa vitesse diminuait, « il laissait tomber des fragments de roche de moins en moins lourds. « D' un autre côté, quand on vient de l' ancienne Arménie et que « l' on s' engage dans les défilés qui conduisent en Perse, leurs parois « verticales apparaissent polies sur une grande hauteur et sillonnées « de profondes rainures creusées suivant la direction à peu près ho- « rizontale des plans de stratification. Dès que l' on a franchi les « passes du Nord, et que s' ouvrent les côtés de l' angle formé par « les deux chaînes qui comprennent la Perse, les stries disparaissent, « et en même temps commence la région des plateaux. Cette seconde « observation confirme la première, et montre bien que dans cette « région voisine du pays habité par les ancêtres d' Israel, il se produisit « un cataclysme hydraulique épouvantable, dont les hommes purent

mano attribuendam esse docti exegetae non dubitant. Et quia relative recens est iuxta Scripturam apparitio hominis super terram, reliquum est ut concedamus historiam biblicam, qua historiam esse falsam, minimeque factis consentaneam (1). — Repones iterum, multa forsitan esse quae huius argumenti vim satis superque enervare viderentur. Codices quoad supputationem annorum inter se non concordare, ita ut in hac parte errores amanuensium seu transcriptorum legitime possint et debeant praesumi. Nihil cogere ut series patriarcharum sive ante sive post diluvium, velut series hominum sibi invicem immediate succedentium, nullis suppressis intermediis, accipiantur. Falsum praesertim esse principium unde procedunt, cum supponunt hominem lentissimo et continuo progressu e statu informi ac penitus silvatico ad statum civilizationis sese reduxisse, cum diserte testentur Scripturae, et quidem in re ad fidem et mores

« être témoins. et dont le souvenir et le récit sont restés aussi bien « dans la Bible que dans les légendes de la Chaldée et de la Grèce.

« Un second livre que les fouilles de Suse ont également confirmé, « est la meghillah d' Esther. Les exégètes y ont attaché une impor- « tance secondaire, et beaucoup d' entre eux ne veulent y voir qu' un « conte ridicule fait à plaisir par un narrateur ignorant. Il présente « au contraire un tableau parfait de la cour des Grands Rois... Com- « bien l' on relèverait dans les livres des Juges ou des Rois de ces « faits réputés faux, combien l' on citerait de ces soi-disant preuves « infirmant les récits bibliques, et qui tournent à la confusion de leurs « auteurs!

« La morale, c' est que la raison humaine est bien fragile, et qu' « elle embrasse un espace si limité, qu' il faut appeler de ses jugements « dès que son champ d' action s' élargit; c' est que nous ne savons « presque rien, et que la vérité substituée à l' erreur n' est qu' une « hypothèse mise à la place d' une conjecture, dont la valeur per- « siste jusqu' au jour où une nouvelle supposition ruinera de la même « manière la vérité d' hier et l' erreur d' avant-hier ». Jane Dieulafoy. *A propos d' une ville détruite.*

(1) « On dit aussi qu' il y a une chronologie biblique pour les « temps primitifs, et que cette chronologie est insuffisante, artificielle, « inexacte ». Loisy, ubi supra.

iuxta ipsos biblicos pertinente, quod perfectus exivit homo e manibus sui Creatoris : ita nimirum ut non sit cogitanda civilizatio tanquam terminans motum eductionis e barbaria, sed magis barbaria, ubicumque inventa est, tanquam in termino reposita motus inversi, corruptionis scilicet et degenerescentiae. Tandem, non magis esse fidendum calculis doctorum magistrorum in aestimanda antiquitate humanitatis, quam fidendum erat exempli gratia, iudiciis peritorum circa authenticitatem tiarae regis Saitaphernis. Si enim periti quandoque tam turpiter errant, ut res a coaevis confictas artificibus, pro monumentis remotissimorum temporum habeant, quo non divagabuntur palaeontologi in materia quae arbitrariis aestimationibus multo magis patet, et longe maioribus obscuritatibus involvitur, et pro homine moderno causas continet erroris pene in infinitum multiplicatas ! (1) — His tamen non obstantibus, adhuc tibi fir-

(1) « Les faux en matière d' antiquité sont d' usage courant, « et beaucoup d' objets que nous considérons avec respect dans les « vitrines des collectionneurs, ont souvent été confectionnés dans « la banlieue par des artistes ou même par de simples ouvriers qui a- « vaient besoin d' argent.... Ce n' était pas un naïf au sens absolu du « mot, ce malheureux M. Chasles dont on s' est tant moqué autre- « fois, et à qui un faussaire était arrivé à vendre successivement, d' a- « bord des lettres confidentielles des rois de France, y compris les « Mérovingiens, puis des lettres des grands personnages de la Rome « antique, puis des billets doux d' Aspasie à Périclès, puis enfin au « bout de plusieurs années une carte-poste d' Adam à Eve. Je dis: « carte-poste, parce que la missive était très courte. On l' avait écrite « en caractéres hébraïques anciens sur une vieille écorce d' arbre. « Comment Chasles qui était membre de l' Institut, qui était l' auteur « de travaux appréciés, a-t-il pu y croire ? Que sais-je ? Cela est venu « peu à peu. Les premiers faux avaient toute l' apparence de l' au- « thenticité...

« Il n' y a pas que la France où ces choses-là arrivent; il n' y a « pas que Chasles qui ait été trompé. Voici quelques années à peine, « on annonçait au musée de Berlin l'arrivée d' une collection nom- « breuse et tout à fait extraordinaire de poteries moabites couver- « tes d' inscriptions, de figures et d' ornements, et telle qu' aucun

miter credendum erit, talem esse biblicam chronologiam quae historicae veritati per omnia contradicat, et ex hoc quoque capite absolutam Scripturae inerrantiam non sustineri.

Quarto observant notabiles quasdam concordantias scri-

« pays de l' Europe n' en pouvait montrer de semblable. C' était, « comme on dit aujourd' hui, une révélation. L' art moabite ignoré « jusque-là, allait enfin prendre rang parmi les arts anciens! Et quel « art que l' art moabite! l' art de ce peuple ennemi des Hébreux, tou- « jours en guerre avec les tribus de Juda et d' Israel, dont la Bible « à chaque page raconte les défaites et dissimule les triomphes! L' art « moabite! C' était de quoi faire tressaillir de joie l' Allemagne sa- « vante, du Danube à la Baltique, et du Wéser à la frontière de Russie. « Elle tressaillit en effet. Les terres cuites arrivèrent à Berlin. Je vous « laisse à penser de l' enthousiasme. Clermont-Ganneau qui a raconté « toute cette histoire, après y avoir joué un rôle capital, affirme que « ces terres cuites qui devaient représenter des rois ou des dieux, res- « semblaient énormément aux bonshommes en pain d' épices de la « foire du Trône. Mais qu' importe? Des sculpteurs primitifs ont « peut-être inspiré les fabricants de pain d' épices. Tous les primitifs « se ressemblent. Les Orientalistes berlinois se mirent aussitôt à « l' oeuvre. N' y avait-il pas des inscriptions à déchiffrer?.... L' art « du pain d' épices moabite était donc officiellement reconnu. Les « jornaux scientifiques de l' Allemagne le soumettaient à leurs judi- « cieuses critiques. Quelques-uns lui trouvaient une grâce naïve, d' au- « tres vantaient sa sobriété. Que ne disent pas les critiques d' art? « Cependant le savant allemand préposé au déchiffrement des inscri- « ptions n' avançait pas en besogne... Enfin la lumière se fit, la vé- « rité éclata. Le pain d' épices moabite était fabriqué par un brave « garçon, un Arabe, pur artiste de sa nature, mais très commerçant « de tempérament, qui voyant la passion des Européens pour les vieil- « leries, s' était imaginé d' inventer un art aussi antique que nouveau. « Tranquillement, il s' était mis à fabriquer de petits bonshommes, « n' écoutant que son inspiration et sa fantaisie, puis il les avait fait « cuire au four, puis pour leur donner l' air ancien, il les avait fait sé- « journer dans un puits, et les avait frottés de toutes sortes d' immon- « dices. Pour les inscriptions, ayant vu la stèle de Mesa, quand elle fut « apportée à Jerusalem, il en avait copié les lettres un peu au hasard, « et les avait mises dans un ordre quelconque au bas de ses statuettes « et à l' entour de ses vases. Le tout, acheté par un diplomate et en

pturalium narrationum cum fabulis gentium. Quas quidem concordantias studium linguarum semiticarum, inventio cuneiformium inscriptionum, et continuae orientalistarum inquisitiones omni die evidentiores faciunt. Quanquam non tantae molis res ista erat, quia litterae classicae tam graecae quam latinae ad eamdem observationem iamdudum abunde suffecerant. Quis enim exempli gratia, non animadverteret in tragoedia Aeschylis *Prometheus vinctus*, adumbrationem eorum omnium quae narrantur a Moyse circa tentationem et lapsum hominis in paradiso terrestri, necnon et promissum mulieris semen, serpentis caput contriturum? praesertim cum de hoc futuro salvatore Mercurius in fine dicat: *Talis aerumnae finem ne expecta, o Prometheu, priusquam deorum alius laborum tuorum successor exstiterit, volueritque ad tenebricosum descendere orcum, et ad caliginosam tartari profunditatem* (1). Quis non biblicos agnosceret gigantes, posterioremque turris Babel aedificationem, in sequentibus Ovidii versibus: *Affectasse ferunt regnum coeleste gigantes,*

« voyé à Berlin, avait révolutionné l' Allemagne savante, et forte-
« ment ému le monde archéologique.

« En Angleterre c' est la même chose... Il s' agit d' une Bible.
« Ah! mais! pas d' une Bible ordinaire. Elle a été écrite, celle-ci, par
« Moïse en personne, écrite après le passage de la mer Rouge... La
« forme des caractères atteste une antiquité si reculée, que le doute
« n' est pas possible. Le *British Museum* a mis l' oeuvre de Moïse dans
« une vitrine et se prépare pour l' acheter. Le manuscrit allait être
« acheté quand tout à coup il fut démontré que la Bible de Moïse
« avait été découpée dans un des rouleaux rituels de certaines syna-
« gogues, rouleaux qui sont en cuir, et qui ont, parait-il, un aspect
« tout à fait vénérable. Cet aspect avait été rendu plus vénérable
« encore par des bains d' huile, par des frottements de bitume, et
« par d' autres procédés plus ou moins sales. En fait, la Bible exha-
« lait une odeur à rendre l' âme. Elle aurait empoisonné le plus beau
« musée de l'Angleterre... Entrons donc dans nos musées avec la foi
« du charbonnier. Croyons à l' authenticité parfaite de tout ce qui
« s' y trouve. Mais, hors de là, méfions-nous! » Edouard Lockroy. *L' Eclair*, Mercredi 25 Mars 1903.

(1) Aeschyles, Prometheus vinctus, vers. 1026.

altaque congestos struxisse ad sidera montes. Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympum fulmine, et excussit subiectum Pelion Ossae? Quis etiam legens in primo libro Metamorphoseos eiusdem Ovidii, quomodo evolutum sit chaos, fuerintque in initio elementa suis quaeque composita locis; quomodo ornatum coelum astris, tellus animantibus ultimus omnium conditus homo; quomodo denique aurea prima sata est aetas, cui deinde aetas successit argentea, tum aerea, tum ferrea, donec bello Superis a gigantibus indicto, orbem Iupiter diluvio perdere statuit, solo Deucalione sospite et in Parnasso monte recepto, ubi *cum consorte tori parva rate vectus adhaesit:* quis, inquam, evidentem parallelismum non notavit cum prioribus undecim Geneseos capitulis? Quis Adamum in Saturno liberos devorante, vel Noe in Iano duplicem habente faciem, senilem unam qua veterem respicit mundum aquis diluvii destructum, iuvenilem alteram qua in mundum novum de se iam nasciturum laetos coniicit oculos, expressum non arbitrabitur? Eadem ergo narrata inveniuntur tum apud Moysen, tum apud antiquos gentium poetas. Sed si ista sunt falsa commenta in mythologiis graecis vel aegyptiacis vel babylonicis, eruntne demum veritas in Bibliis? Dicendum itaque superest quod Deus inspirans scriptores sacros sese accommodavit communi antiquorum hominum *mentalitati*, dum scilicet prae scopo quem intendebat docendi veritates divinas ac morales, adhibuit quidem falsas legendas quae ubique admittebantur, sed eas epuravit ab omni naevo dogmatico, quin imo vehiculum illas fecit sublimissimae altissimaeque doctrinae religiosae (1). — Conclusionem eiusmodi tu forsitan miraberis, eo quod antiquatis veteris apologiae praeiudiciis adhuc retineris. Existimabas

(1) De incredibili hoc argumento quo vertitur in instrumentum destructionis quod hactenus in confirmationem veritatis sacrarum scripturarum semper fuerat acceptum, vide librum Alfredi Loisy: *Les mystères babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse*. Paris, Picard, 1901.

enim quod ipsae gentium fabulae, in eo in quo concordant, fundum quemdam veritatis historicae indubitanter ostendunt multis licet phantasticis absurdisque chimaeris adulteratum. Quippe in quolibet rerum ordine, proportionata effectui causa quaerenda est. Si autem imaginatio populorum recte assignatur explicandis dissimilibus varietatibus, nonnisi irrationabiliter poneretur principium communium atque universalium traditionum, cuiusmodi illae sunt de originali quodam innocentiae et felicitatis aevo, de serpente tentatore, de lapsu generis humani in praesentem miseriae et aerumnarum statum, de reparatore promisso, de impietate gigantum, de catastrophe diluvii, atque ita porro. Hinc ergo deducebas quod si qua harum rerum narratio forte inveniretur, super caeteras omnes resplendens sicut sol super tenebras, narratio pura, simplex, limpida, sublimis, rectaeque consentanea rationi, ipsa procul dubio habenda foret tanquam accipiens ab aliis testimonium absolutae veritatis, nedum esset trahenda in consortium communis falsificationis. Deducebas praesertim, removendam fore vel solam suspicionem derivationis tam sublimis libri a corruptis fabularum fontibus, quoniam ab impuro purum vix oritur, et etiam in naturalibus, aqua sincera non solet e fonte coenoso emanare, dum e contra contingit frequentissime ut e fonte purissimo unda primum profluens, postmodum in suo decursu, multorum foedetur aut corrumpatur admixtione heterogeneorum elementorum ; quapropter, si unum ab altero derivatum oporteret necessario agnoscere, longe longeque verosimiliorem videri derivationem fabulae a Scriptura quam Scripturae a fabula. Haec, inquam, tu deducebas secundum regulas antiquae sapientiae. Sed cum in eis regulis nescio quod logicae vitium inventum sit, revera concludendum nunc est, Scripturam equidem ab omni naevo esse immunem quoad dogma religionis, sed esse in eadem conditione cum paganis mythologiis quantum ad caetera.

Quinto enumerant antilogias inventas in Scripturis. De Antiocho v. g. narratur 2 Mach. I-13, quod occisus est a

sacerdotibus in templo Naneae ; et infra IX-28, dicitur quod Persepoli fugiens, dum Iudaeos ad internecionem perdere meditaretur, maximis viscerum doloribus a Deo percussus, cum foetore intolerabili scaturientibus e corpore vermibus, naturali morte occubuit. Item, Genes. XI-12, Sale dicitur filius Arphaxad, et Luc III-36, filius Cainan, de quo, si versionem septuaginta excipias, nullum vestigium reperitur. Rursus, 1 Reg. XVII-55, Saul quaerit ab Abner de qua stirpe oriundus esset David progrediens contra Goliath, cum tamen David Sauli ignotus tunc esse non posset, siquidem factus iam antea fuerat ipsius Saulis armiger et commensalis, 1 Reg. XVI-21. Adhuc, in censu populi quem sub finem regni sui David fieri iusserat, numerantur 2 Reg. XXIV-9, octingenta millia virorum fortium de Israel, et Iuda quingenta millia ; at 1 Par. XXI-5, numerantur mille millia et centum millia de Israel, de Iuda vero quadringenta septuaginta millia. Item in evangeliis plurimae notantur discordantiae, tum quoad infantiam Salvatoris, tum quoad facta vitae publicae, tum denique quoad circumstantias passionis, et praesertim apparitionum post resurrectionem. His autem, aliisque eiusdem generis difficultatibus, in suppositione absolutae Bibliorum inerrantiae, nusquam datae sunt responsiones quae vere satisfaciant (1). — Ad haec tamen reponi

(1) « On a relevé certaines contradictions qui se trouvent dans « les livres historiques de l' ancien Testament. Le livre de Samuel « se contredit quand il présente David comme écuyer de Saul, qu' il « fait ensuite dire au roi, lorsque David s' avance contre Goliath: « *Quel est donc ce jeune homme?* et qu'Abner commensal de Saül et de « David, répond: *Je n' en sais rien.* Quoiqu' on lise au livre des Para- « lipomènes, que le prophète Elie envoya une lettre au roi Joram de « Juda, il ne paraît pas que cette lettre ait pu être écrite, puisque « le prophète avait quitté ce monde avant la mort de Josaphat père « de Joram... On pourrait ajouter que les évangélistes se contredisent « assez fréquemment sur les circonstances de temps et même de lieu « qu' ils attribuent aux mêmes faits, ainsi que sur d' autres détails « historiques. Saint Luc change l' ordre attribué par saint Mathieu « à la seconde et à la troisième tentation du Christ. Les synoptiques

forsitan posset, assertionem istam de insufficientia responsionum videri sat temere prolatam ; non ita hactenus inter catholicos iudicatum fuisse, et pro appretiatione mere subiectiva iure meritoque haberi quidquid absque probatione ulla contra communem prudentum existimationem noviter affirmatur. Nimis durum se exhibere eum cui antilogiae evangelicae adhuc irreductibiles viderentur post multiplices valdeque rationabiles solutiones datas a nostris commentatoribus, et tam probabilibus conciliationis modis hucusque propositis praeferenda nunc appareret radicalis illa solutio qua in libris divinitus inspiratis errores essent admittendi (1). Quoad vetus testamentum, rationem in primis habendam esse hodierni status codicum in nominibus et numeris, ne forte ad originales scripturas transferas difficultates quae ex solis versionibus seu apographis originem ducunt (2). De Antiocho etiam non esse valde curandum, tum quia valde incertum est an de eodem Antiocho in utroque loco sermo sit (3), tum quia dato quod de Antiocho Epiphane agatur in epistola quae initio libri relata invenitur, adhuc solidae non desunt explicationes (4). In summa, tantam esse subiectivitatem in aestimandis huiusmodi rebus, ut non ignobilis scriptor de schola rationalistarum inveniat positivum veritatis historicae documentum in ea ipsa Saulis in-

« disent que le Christ commença à prêcher en Galilée après que Jean-« Baptiste eut été emprisonné, tandis que selon le quatrième évangile, « Jésus aurait déjà enseigné avant la captivité du Précurseur... Les « divergences de ce genre sont nombreuses dans les Evangiles ». Loisy Etudes bibliques, ubi supra.

(1) Quoad concordantiam evangelicam vide nonnulla documenta: *de Verbo incarnato*, Q. 36; Q. 46, thes. 48; et Q. 55, thes. 54.

(2) Cf. Cornely, *Introductionis in utriusque Testamenti libros compendium.* De Paralipomenon auctoritate, n. 2.

(3) Cf. Patrizi, *De consensu utriusque libri Machabaeorum*, Introd. n. 10.

(4) Cornely, op. cit. De utriusque Machabaeorum auctoritate divina n. 5.

terrogatione, 1 Reg. XVII-35, quam encyclopedistae afferebant in demonstrationem apertae contradictionis (1). — Haec et alia similia responderes argumento quod ex biblicis antilogiis deducunt exegetae nostri. Sed iterum, causa finita est, quia ea est in hac parte critica evidentia, ut non aliam patiatur rei iudicatae demonstrationem (2).

Superest tamen ut hanc suam positionem de multiplicibus Bibliorum erroribus in re tam scientifica quam historica, cum dogmate inspirationis conciliabilem critici ostendant. Et hic opus, hic labor. Suntne igitur quaedam rationum momenta quibus possibilitas conciliationis, non dico nunc, persuadeatur, sed vel a longe, etiam insinuetur ?

§ 2.

Et quomodo esse possent, si omne dictum Scripturae est dictum Dei, si Deus est prima veritas, si a prima veritate falsum aliquid dici, prorsus impossibile et contradictorium est ? Certe S. Thomas quaerens utrum fidei quae per Scripturam divinam a Spiritu Sancto traditam docetur, possit subesse falsum, repsondet : « Nihil potest cadere sub fide

(1) « Saül était un névropathe sujet à des attaques de fureur « *démoniaque*, atteint du délire de la persécution. Dans une fan- « taisie de despote malade, envieux et jaloux d' un triomphe qu' on « lui avait ravi, n' aurait-il pas feint d' ignorer le vainqueur de Goliath, « bien qu' il lui eût offert des armes avant le combat ?... Loin d' être « une anomalie, cette conduite ne serait-elle pas la conséquence de « son état morbide... un prodrome régulier, un symptôme caractéri- « stique des crises à venir, la première manifestation de la haine ma- « ladive qu' il allait concevoir pour David ? La suite du récit donne « à cette conjecture un certain degré de vraisemblance, *et change les « soi-disant contradictions du morceau en un signe d' authenticité* ». Marcel Dieulafoy, *Le roi David*, c. 5.

(2) A tous ces faits *dont l' évidence critique ne réclame pas en gé- « néral d' autre démonstration*, beaucoup de théologiens répondent « par une fin de non recevoir ». Loisy, ubi supra.

« nisi in quantum stat sub veritate prima, sub qua nullum « falsum stare potest, *sicut nec non ens sub ente, nec malum « sub bonitate* ». (1). In quo quidem, puto, merum enuntiat purae etiam rationis principium, quod nulla tergiversatione eludi unquam poterit, quamdiu stabit in mentibus hominum conceptus subsistentis et absolutae Veritatis, quae est Deus O. M. Unde, cum apud quosdam declivioris aetatis theologos occurrit quaestio per longum et latum agitata, an Deus vel per se vel per alium, vel de ordinaria vel de absoluta potentia fallere aut mentiri possit, contra tam vanam disputationem sensus intimus protestatur, et unusquisque apud se, notabili cuidam progressui adscribendum censet, quod tam otiosa problemata in scholis hodiernis locum iam non habeant. *Est autem Deus verax*, inquit Apostolus, Rom. III-4. Et Christus Dominus, Ioan XVII-17 : *Sermo tuus veritas est.* Et supra : *Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere... Spiritum veritatis qui a Patre procedit... Cum autem venerit ille Spiritus veritatis.* Denique 1 Ioan. II-21 : *Omne mendacium ex veritate non est.*

Neque ullum invenire est effugium in ea quam fingunt *oeconomica inspiratione*, distinguentes inter id quod intendebat Deus homines edocere, et id quod loco medii adhibuit ad proponendum doctrinam religionis. Eiusmodi enim conceptio, si eo vergat ut in medio ad finem praedictum possibilis fallacia asseratur, destruit primo sanctitatem, deinde vero sapientiam Dei. — Destruit sanctitatem, quia dicere falsum ad docendum verum, idem est ac facere malum ad procurandum bonum. Id autem certo certius intrinsece malum est. Alioquin, inquit Apostolus Rom. III-8, *quid adhuc et ego tanquam peccator iudicor ? Et non, sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere, faciamus mala ut veniant bona ; quorum damnatio iusta est.* Et ratio est notior quam ut indigeat explicari, quia nimirum finis legitima non facit media, ac per hoc, intentio docendi veritatem nusquam

(1) S. Thomas, 2-2, Q. 1, a. 3.

abstulit a falso testimonio deformitatem mendacii. Unum ergo de duobus : Vel non est Scriptura in omnibus suis partibus inspirata, sed quoad partes non inspiratas Deus mere permissive se habuit. Vel si, ut fert praesens quaestionis status, omnia fuerunt dictante Deo conscripta, distinctio inter id quod dictavit Deus, et id ad quod, sive cuius causa dictavit, prorsus impertinens est ad praefixum scopum ponendi in tuto summam Dei veracitatem infinitamque sanctitatem. — At si destruitur sanctitas, salvane erit sapientia, cuius est iusta et proportionata media ad finem ordinare ? Sed quomodo, quaeso, libri illi fidem meam obtinebunt de coelestibus et supramundanis rebus, si quoad res quae meae cognitioni subiacent, mendosi inveniuntur ? Recte Beda alicubi redarguit illos Pharisaeos qui tentantes Christum, signum de caelo quaerebant ab eo : « At tu, inquit, « qui calumniaris ea quae oculis vides, manu tenes, utilitate « sentis, quid feceris de iis quae de caelo venerint ? Utique « respondebis, et magos in Aegypto multa signa fecisse de « caelo ». Quidni ergo aliquis esset, Scripturam pariter redarguens in hunc modum : At tu, quae nequidem in rebus sub me positis veritati consentiens deprehenderis, utquid fidem iubes de his quae sunt supra me ? Numquid fallax in minimis, et in maximis verax ? Me decipiens ubi errorem detegere valeo, et infallibiliter me docens ubi iam non valeo ? Scio equidem novos biblicos ad haec dicturos esse, quod deprehensio errorum in bibliis, nonnisi posterioribus scientifici progressus aetatibus erat reservata, et quod biblia sunt nec plus nec minus, id quod esse debebant ut a *primis* suis lectoribus intelligerentur (1). Sed cum de hac sua assertione iuxta consuetum, nullam prorsus afferant probationem, praeferenda forte tibi videbitur sententia Augustini : « Ad- » misso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso ali- « quo mendacio, nulla illorum librorum particula rema-

(1) « La Bible est ce qu' elle devait être pour être comprise de « ses premiers lecteurs ». Alfredus Loisy, Etudes bibliques, pag. 25.

« nebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis « vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula « ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur » (1).

Unde iam vides quo loco reponenda sit paritas illa quam identidem insinuant inter Ecclesiam et Scripturam, quasi nimirum ex hoc quod Ecclesia non est infallibilis nisi in rebus fidei et morum, idem quoque concludendum foret de Scriptura. — In quo quidem primum omnium observandum est quod nonnisi ineptissime Scriptura cum Ecclesia comparatur. Simile enim est ac si loco comparandi Aeneidem cum Iliade, et Virgilium cum Homero, comparares Homerum cum Aeneide, et cum Iliade Virgilium. Proinde, dum comparatio in praesenti instituitur, oportet comparare Scripturam cum definitionibus Ecclesiae, et Ecclesiam ipsam cum Deo auctore scripturarum. Sed sic disponendo comparationis terminos, cui non absurda videbitur paritas ? Paritatem dico inter infallibilitatem Ecclesiae et infallibilitatem Dei ? Haec quippe est absoluta et per essentiam. Illa vero est tantum participata per gratuitum assistentiae charisma, et hac utique de causa non habet sphaeram illimitatam, sed omnino ad eos limites determinatur quos praestituit assistentis Dei voluntas et sapientia. — Quid si nunc secundo observares quod infallibilitas Scripturae ad solas res fidei et morum restricta, poneret Scripturam ipsam longe infra Ecclesiae definitiones ? Nam si recte de infallibilitate Ecclesiae sentis, confiteri debes quod infallibilitas ista exercitium supremi magisterii semper et necessario comitatur, ita scilicet ut nulla opus sit inquisitione de servatis vel non servatis certis quibusdam conditionibus sed ex hoc solo quod aliquid a supremo illo magisterio credendum proponitur, eo ipso accipi debeat tanquam conforme veritati, et inerrantiae charactere signatum. Nec obstat omnino infallibilitatis limitatio ad determinatum quemdam ordinem rerum, quia pars eius non minima in hoc prae-

(1) August. epist. 28, n. 3.

cise consistit, quod magisterium tali ac tanto charismate auctum nunquam possit extra sui proprii obiecti campum in ipso definiendi actu excurrere. Atque hinc demum efficitur ut in ecclesiasticis definitionibus non oporteat separare pretiosum a vili, et verum a falso, sed sit in eis purissima et sincerissima veritas. At Scriptura de facto excurrit extra ordinem rerum quae fidei et morum dicuntur. Unde si ad eas res inerrantia eius restringeretur, contineret falsitatem mixtam veritati, et talem quidem falsitatem quae nata esset, ut supra ostensum est, omnem eius auctoritatem funditus destruere.

Nec demum ulla ratio habenda est considerationis quam afferre solent, ut persuadeant vitari et corrigi inconvenientia ex biblicis erroribus alias enascitura, per hoc quod Ecclesia magistra veritatis, infallibilisque interpres nobis provisa sit. Nam hic est deus ex machina, quem reservant et in promptu habent pro omni casu desperato. Destruunt unam post aliam omnes dogmatum demonstrationes quae ex fonte tam scripturali quam traditionali deducuntur, et cum interrogas ubinam tandem aliquando quaerendum erit dogmaticae veritatis fundamentum, ecce tibi Ecclesiae infallibilitas. Abeunt in quamlibet temeritatem, ipsas primas fidei bases in ruinam et scandalum multorum convellendo, et cum ab eis petitur ut tantae suae licentiae rationem reddant, respondent id exigere progressum scientiae, nihil obtineri posse nisi aliquid sub periculo sit, caeterum adesse infallibilem Ecclesiam quae potens est cunctos, si occurrant, reprimere errores. Sicut si pueri admoverent ignem ad quatuor angulos domus, et interrogati quo animo id facerent, responderent : quia sunt in civitate ad extinguenda incendia vigiles constituti (1). Eadem igitur nunc quoque, ad Biblia quod attinet, ultima responsio erit : Biblicos quidem errores qui accommodabantur infantili antiquorum hominum mentalitati, iam non esse in eadem conditione quoad nos ; adhuc tamen nihil

(1) Vulgo, *pompieri*.

sequi incommodi, eo quod adest infallibilis Ecclesia quae separabit pretiosum a vili, et praeibit tanquam luminis columna ad omnem epuratae veritatis inventionem (1).

At ne in longius abeat ista disputatio, satis iam erit annotare duo. — Notandum primo, quod non est cogitanda infallibilis Ecclesia, ut cui per novas revelationes assistat Spiritus Sanctus. « Neque enim, ait Vaticanum, Petri succes-« soribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam « doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente, traditam « per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte cu-« stodirent et fideliter exponerent ». Quapropter, cum in de-posito apostolico nequaquam contentum inveniatur prin-cipium de mixtione veritatis cum errore in libris canonicis, multoque minus criterium quo in iisdem purum ab impuro discerni queat, statim apparet quomodo, seclusa revelatione nova, nullus remaneat locus iudicio infallibili in ordine ad selectionem quam somniant novi exegetae. — Notandum praesertim secundo, quod valde accidentale est in praesenti, an possent vel non possent vitari inconvenientia ex biblicis erroribus secutura, quia suprema atque indeclinabilis quaestio semper redit: Possitne ad errorem quoque sese extendere inspi-ratio illius qui summa, absoluta, et subsistens Veritas est (2).

§ 3.

Hinc Leo XIII in encyclica *Providentissimus Deus:* « Dolendum multos esse qui antiquitatis monumenta, gen-« tium mores et instituta, similiumque rerum testimonia,

(1) « Ce que le progrès de la science scripturaire paraît enlever « au prestige de l' Ecriture, manifeste la nécessité du magistère ecclé-« siastique. La critique fait ainsi l' apologie de l' Eglise contre les sectes « fondées sur l' autorité de la Bible seule ». Alfredus Loisy, Etudes bibliques, pag. 59.

(2) Vide alia multa ad idem argumentum pertinentia in egregio opere recens edito a S. Schiffini S. I., *Divinitas Scripturarum adversus hodiernas novitates asserta et vindicata*, c. 6-7, ubi rationes criticorum dilucide solvuntur.

« magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, « sed eo saepius consilio ut erroris labes in sacris libris de- « prehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infir- « metur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo fa- « ciunt, nec satis aequo iudicio. Qui sic fidunt profanis libris « et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne « suscipio quidem erroris possit subesse, libris vero Scriptu- « rae sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe « discussa, vel parem abnuunt fidem. Fieri quidem potest, « ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte « exciderint ; quod considerate iudicandum est, nec facile « admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum. « Fieri etiam potest ut germana alicuius loci sententia per- « maneat anceps, cui enodandae multum afferent optimae « interpretandi regulae. At nefas omnino fuerit, aut inspira- « tionem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangu- « stare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec « enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus « sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes inspi- « rationem divinam ad res fidei et morum, nihilque praete- « rea, pertinere, *eo quod falso arbitrentur, de veritate sententia- « rum cum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit « Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam dixerit.* « Etenim libri omnes atque integri... Spiritu Sancto dictante « conscripti sunt. *Tantum vero abest ut divinae inspirationi « error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem « excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat , quam « necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino « erroris auctorem esse.* Haec est antiqua et constans fides « Ecclesiae ».

His igitur convicti tum rationibus tum auctoritatibus, plerique biblici, verbo saltem tenus, recesserunt ab inconsulta concessione errorum in Scripturis. Sed nunc adinvenerunt novos dicendi modos, qui ad rem quod attinet, in idem reincidunt. De quibus iam dicendum venit in capitulo quod sequitur.

CAPITULUM QUARTUM

DE FORMIS LITTERARIIS SCRIPTURAE SACRAE

« Dei Filius Iesus Christus... non fuit *est*
« et *non*, sed *est* in illo fuit».
2 Cor. I. 19.

Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae quae fecerat Dominus Deus, inquit Scriptura, Genes. III-1. Et genesiacum quidem serpentem plerique nostri biblici ut mythum habent. Quis enim, quaeso, adhuc crederet serpentem cum muliere colloquentem ? Certe iamdudum incredibile visum fuerat imperatori Iuliano, et omnibus encyclopedistis post Voltaire (1). Quanquam, ut verum dicamus, vulgo christianorum non tanta in hac re difficultas hactenus occurrerat Unde magnus ille Sanctus Cyrillus quem Voltaire mentiendo ridet, quasi qui non habuerit quomodo satisfaceret Iuliano sciscitanti : *serpentem qui cum Eva loquitur, quo tandem usum sermone dicemus ? an humano ? quid a fictis Graecorum fabulis ista differunt ?* ille, inquam, magnus Sanctus Cyrillus simpliciter et sine tergiversatione responderat : « En rursus Graecis « ea fabulis similia esse dicit. Compertum igitur habet, et « fabulas esse, et anicularum garritus, nihilque aliud... Sed « nos, o bone, nequaquam istud de sancta et divinitus inspi- « rata scriptura dicimus. Fabulosum namque in ea prorsus

(1) « J' aurais bien voulu parler à ce serpent, puisqu' il avait « tant d' esprit. Mais auparavant je voudrais bien savoir quelle lan- « gue il parlait. L' empereur Julien le demanda au grand saint Cy- « rille qui ne put satisfaire à cette question ». Voltaire, Question de Zopata.

« nihil, veritatis plena sunt omnia. Miror autem quod acutis-
« simus licet, et intimarum, ut ipse opinatur, disciplinarum
« non imperitus, et extra res sensuum mentem aliquando at-
« tollens non intelligat, improbi et malorum principis daemonis
« efficacia factam esse vocem malignitatis suae praetextum
« serpentem obtendentis... Quod si ipse non credit, non pro-
« pterea percipi veritas nequit. Ille autem veris non assen-
« tiens, merito rideatur » (1). Verumtamen id pro nunc non admodum refert. Fuerit enim genesiacus serpens verum animal quod occupavit Satanas ; fuerit mera species, obiectiva quidem et externa, sed artificiose a diabolo formata et assumpta ; fuerit denique purus simplexque mythus decursu temporum in populari imaginatione procreatus : semper in forma serpentina fidelissimam figuram habes calliditatis illius spiritus nequam, qui et versutissimus deceptor, et tortuosissimus sophista, et omnium insinuator atque insufflator haeresum est. Quod et in biblica, ut aiunt, quaestione, ex iis quae his ultimis annis post publicatam encyclicam *Providentissimus Deus*, excogitata, dicta, et scripta sunt, iterum iterumque luculenter apparuit.

Declaraverat Pontifex, antiquam esse et constantem Ecclesiae fidem quod inspiratio sese ad omnes et singulas Scripturae partes extendens, non modo falsitatem excludit omnem, sed tam necessario excludit et respuit, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino falsitatis auctorem esse. Porro huic declarationi quae opinionem capite praecedenti expositam directe impetebat, plerique sese laudabiliter et nulla interposita mora subiecerant, editis etiam in publicum haud dubiis suae submis-

(1) Cyrill. Alex. l. 3 c. Julianum. — « Nous qui avons vu les dieux « occuper très réellement tous les meubles de nos salons, et les mou-« voir à leur gré, nous qui avons vu l'extension de cette possession « de la matière inanimée à la matière animale, bien loin d' avoir peine « à comprendre la possession du serpent génésiaque par une grande « force spirituelle, nous ne comprenons même plus ceux qui ne peu-« vent comprendre ». Mirville, Tom. 2, p. 422.

sionis documentis. Credidisses igitur causam esse finitam, et ita finitam ut nequidem locus esset optativae clausulae quae alias adiici solet : utinam finiatur error. Sed vanam fiduciam mox monstravit eventus. Nam post aliquod tempus, prostrata opinio novis palliata nominibus, novas resumebat vires, *et ecce serpens inter pomifera paradisi latitans ligna, ut incautos quosque decipiat* (1). Quippe retinebantur omnia fundamenta praecedentis sententiae. Adhuc astronomia Scripturae est in aperta oppositione cum veritate scientifica. Adhuc plurimae narrationes in libris praesertim veteris Testamenti consignatae, tanquam historice falsae haberi debent. Adhuc concordantiae inventae inter facta biblica et babylonica mysteria ostendunt, vel dependentiam Bibliorum a mysteriis illis, vel certe communem quamdam originem ab eodem fonte fabuloso. Adhuc irreductibiles in sacris libris antilogiae sunt, quas nulla unquam exegetarum peritia ad sensum contradictionis expertem reducere valebit. Haec, inquam, omnia intacta servabantur. Et nullus tamen in Scripturis error ? Ita plane. Quia error in aliquo libro non est, nisi illud quod materialiter a veritate alienum est, proponatur ut veritas. Quia, quid proponatur ut veritas, quid vero non, ex genere litterario uniuscuiusque libri determinandum est. Quia unumquodque litterarium genus suam habet propriam speciem veritatis, et non est eadem veritatis species quaerenda in tractatu didactico ac in parabola vel allegoria, non eadem in poemate seu *romanzo* ac in historia, imo vero, neque in historia scripta secundum criteria moderna ac in historia scripta secundum usus et conventiones antiquorum, praesertim orientalium. Quia denique, si ad theologiam pertinet adstruere integralem Scripturarum veritatem, quae consequenter ad integralem earumdem inspirationem iustissime asseritur, opus tamen Criticae est determinare, assignare, et definire propriam singulis libris *veritatis speciem*, quae ex eorum *formis litterariis* tota quanta dependet. Haec

(1) Synodica Concilii Francofordiensis ad praesules Hispaniae.

est paucis expressa, substantia novi systematis, sed praestat ut primum omnium, ingeniosa illa biblicorum inventio in extenso referatur.

§ 1.

Principii loco statuunt : Quod etsi Deus vere sit auctor librorum sacrorum, tamen non unicus, sed principalis tantum. Quod scriptores biblici, utpote ad amanuensium conditionem nequaquam reducendi, veri quoque auctores fuerunt, et nec plus nec minus auctores ac alii quicumque scriptores profani. Quod ad ipsos proinde pertinebat adoptare sibi certas formas litterarias, seu certa genera compositionis, consentanea quidem tum usibus sui temporis tum proprii inclinationi ingenii, et de integro sarta tectaque servanda sub inspiratione divina, cui nullus repugnat scribendi modus, ex iis quos usus hominum consecravit. Et quoniam ex genere litterario adoptato semper sumenda est indicatio *speciei veritatis* quae in unoquoque libro proponitur, tota quaestio tandem reducitur ad genera litteraria a biblicis scriptoribus assumpta, necnon et ad regulas per quas secundum varias temporum ac locorum circumstantias illa regebantur.

Speciatim autem loquendo de libris qui formam historicam prae se ferunt, distinctione opus esse aiunt. Quandoque enim forma illa nihil plus est quam purum instrumentum ad inculcandum efficacius veritatem aliquam vel philosophicam vel moralem, et tunc sensus libri non in ordine et linea historiae est quaerendus. Quandoque e contra, intentio fertur in historiam qua talem, et tunc, sed tunc tantum, fallax est liber si non consonet factis, verax si secus. Quanquam vehementer erraret quisquis crederet divisionem hanc esse adaequatam, quasi nihil inter duo divisionis membra caderet medium. Imo genera intermedia sunt fere infinita, et exemplum idoneum accipies ex iis quae nostris diebus dicuntur *romanzi istorici*. Caeterum, cum nunquam satis inculcari possit nullum genus indignum esse auctoribus in-

spiratis, eo quod in omnibus par invenitur idoneitas ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in iustitia, non est profecto cur dicantur genera litteraria ab hagiographis assumpta in exceptione esse reposita. Reducenda ergo sunt ad communes categorias.

I. — Nunc vero res est notissima, quod apud omnes populos historia primitiva longe longeque distat ab historia rigorosa. Nulla enim gens est quae unquam penetravit mysterium suarum originum, sed solum sunt vulgatae in populo traditiones, sunt legendae, sunt mythi quorum valor realis a nemine potest exacte delimitari. Historicus ergo referens narrationes quae suo tempore currunt ut eas conservet ad perpetuam memoriam, proponet illas, nec plus nec minus, *pro quanto valent*, atque hinc procreabitur in ordine historiae speciale quoddam scripti genus, cuius egregium specimen suppeditat Titus Livius, ubi romanae gentis initia describit. At si inspiratio divina, ut saepe dictum, nihil humani a se alienum novit, curnam, quaeso, illud ipsum genus in litteris quoque sacris locum non haberet ? Curnam non in Genesi reperiretur, ubi non unius populi modo, sed mundi et ipsius humanitatis narrantur exordia ? Sane vero, vel sola ratio a priori id iam vehementer suaderet, quia si historia primitiva omnium populorum pertinet ad genus semi-mythicum et semi-historicum, quanto magis ad idem genus ea censebitur pertinere narratio, quae prae caeteris omnibus altius ascendit in densa illa ac mysteriosa caligine originum ! Praeterea argumentum a posteriori vix tibi dubium in hac parte relinquet. Nam etsi fatendum sit infinitam esse distantiam inter Genesim et caeteras cosmogonias quoad doctrinam theologicam et moralem, elementumque mythicum in litteris paganis multo magis dominari, et sub formis etiam prorsus ridiculis ac plane monstruosis, adhuc tamen affinitates narrationum evidentiores sunt quam ut a quoquam negentur. Ergo in Genesi quoque mythi sunt et legendae, salva interim perfecta huius libri veracitate, quia attento genere litterario, omnia facta in eo relata proponuntur sub beneficio, ut

vulgo dicitur, inventarii ; omnia etiam, sive historica, sive non, vestimento sunt verissimae ac purissimae ideae religiosae (1).

II. — Sed iam a genere praehistorico quod singularem ubique prae se fert mixtionem fabulae et realitatis, veniendum est ad genus aliud quod circa historica, ut aiunt, tempora, occupatur. In quo quidem, si ratio habeatur moris universaliter recepti apud quosvis scriptores, videbitur evidens intentio narrandi eventus ut absolute reales et in seipsis veros. Ideo, concludet quispiam, historicos Scripturae libros, ab Exodo saltem et deinceps, habere oportebit tanquam concretae realitati factorum ad amussim respondentes, ne alias, mendaces vel fallaces inveniantur, quod absit. Et tamen, *eppure !* quot etiam hic distinctiones faciendae !

Considerandum enim occurrit quod historici biblici vixerunt aliquibus saeculis ante nos, et nemo nescit quam periculosum sit iudicare res antiquas secundum criteria moderna. Quis enim, quaeso, vel tantisper versatus in litteratura graeco-latina, non animadvertit quanta sit distantia inter veteres et nos quoad conceptum historiae ? Apud nos historia est scientia ; apud veteres vero, ars. Nos sumus pho-

(1) « Si (les premiers chapitres de la Genèse) ne sont pas ri-« goureusement historiques, c' est qu' ils n' ont pas été inspirés pour « contenir une histoire exacte, mais ils ont été inspirés pour être ce « qu' ils sont. S' il est vrai que le cadre de certains récits ait été fourni « à l' écrivain sacré par d' anciennes légendes venues de la Chaldée, « et que ces légendes ne présentent pas un caractère historique, c' est « que la mise en scène de la narration scripturaire est destinée seule-« ment à faire valoir l' idée fondamentale, qu' elle revêt d' une forme « sensible en rapport avec l' état d' esprit de l' auteur humain et de « ses contemporains... On ne nie pas l' inspiration d' une parabole « en disant que la vérité de la parabole n' est pas à chercher dans « les termes figuratifs, mais dans le sens figuré. Les termes figuratifs « n' ont qu' une vérité relative, une valeur de proportion, selon « qu' ils sont aptes à faire valoir la morale du récit, et la parabole « tout entière est vraie, bien que ses éléments ne soient pas vrais de « la même manière ». A. Loisy, Etudes bibliques, p. 28.

tographi, illi pictores. Unde eam sibi libertatem assumebant, quam nullus modernus licitam putaret ; sicut cum Titus Livius construit de integro sermones et discursus nusquam ab eis edictos, in quorum ore ponuntur. Et tamen nemo hactenus historicos istos ea de causa falsitatis culpandos existimavit, sicut nemo culpat Raphaelem de eo quod B. Virginem iis vestibus vestiverit, quibus suo saeculo romanae mulieres utebantur. Atqui, eritne forsitan principium aliquod theologicum ad denegandum historicis biblicis facultatem tractandi historiam secundum normas quae in vigore erant dum scribebant ? Equidem veri sunt eorum libri. Sed veritas libri non ea demum res est de qua iudicari possit in abstracto. Est res relativa quae ex indole operis dependet, et ex legibus quae pro tempore regunt genus litterarium ab auctore adoptatum.

At nondum satis. Duo quippe sunt semper habenda prae oculis. Primo, quod auctores biblici scribebant hebraice, et secundo, quod erant orientales. Primo, inquam, scribebant hebraice. Porro lingua hebraica eius generis est, ut si penitus non cognoscatur, facile ansam det credendi, ibi esse affirmationem categoricam, ubi ne umbra quidem. Et hoc provenit ex rigiditate eius. Linguae modernae habent multas flexiones, quarum ope expanditur dubium discretum super totam narrationem. At linguae semiticae his flexionibus carent. Praeterea, auctores sacri erant orientales. Et quomodo iudicabimus nos de generibus litterariis orientalium cum criteriis occidentalibus ? Quod si ingens distantia separat conceptionem quam moderni habent de historia, a conceptione quam sibi veteres classici efformaverant, non a vero aberrabit quisquis dixerit quod in hac parte inter nos et orientales interiacet abyssus. Res narrare sicut solebant a patre in filium transmitti per longa in seram noctem protracta colloquia, vel sicut consignatae inveniebantur in primo libro occurrente, haec erat nec plus nec minus, praescripta orientali historico norma, quin ulteriore inquisitione, criticove examine opus esse arbitraretur. Et probationem limpi-

dam habes in eo quod testantur illi qui diu in Oriente commorati sunt : omnes nimirum orientales historias concludi cum clausula : Deus scit melius quam nos ! Ergo rursus attento genere litterario, historicus orientalis, etiam cum ea refert quae sunt materialiter falsa, non errat nec fallit, quia eorum quae refert, fideiussorem non se facit, sed semper subintelligendam relinquit restrictionem quae apud nostros classicos indentidem diserte occurrit : aiunt, dicunt, ferunt. De caetero : *Deus scit melius quam nos*. Sed nec unquam, quaeso, excidat e memoria, quod, teste Ernesto Renan ubi supra, historiographia musulmana est, in qua oportet quaerere analogiam processus historiographiae sacrae apud Hebraeos.

Et nedum infirmetur, crescit potius argumentum si internum Bibliorum characterem inspiciamus. Quisquis enim in studiis biblicis plane peregrinus non est, ignorare non potest quod historici sacri dici debent documentorum compilatores, potius quam .librorum scriptores in sensu moderno vocabuli. Vide ad exemplum libros Paralipomenon, quorum tertia saltem pars textualiter transcripta est ex libris Regum, vel certe ex aliquo fonte communi. Hinc recte Paralipomenon libros dices collectionem quamdam *citationum implicitarum*. Sed nec ulla esse potest ratio cur non ab eadem methodo pendere dicamus Pentateuchum, caeterosque libros historicos. Nunc ergo sponte enascitur quaestio, utrum in citando seu transcribendo sua documenta, intenderint hagiographi fideiussores se facere assertionum quae in eis continebantur. Ita plane, respondebit statim doctor quispiam resolutissimus, quia iuxta fundamentales historiae leges, quisquis affirmat factum, nulla declaratione vel restrictione adiecta, sive implicite citando, sive non, iste ipso facto fideiussorem veritatis facti se constituit. Sed, o bone, dum leges historiae fundamentales in medium adducis, liceat tantisper percontari quaenam illa historia sit, ad cuius leges iam appellas. An historia, qualem nos illam concipimus, vel qualem illam concipiebant orientales ? In primo casu, nullus erit dis-

sensus inter nos, sed iam versamur extra quaestionem. In secundo autem, redeunt considerationes superius adductae, quae novam accipient, ex sequenti comparatione confirmationem. Nam certe in operibus historicis modernis, solet auctor adiungere appendicem in qua colligit omnia documenta ad libri materiam attinentia. Et alicui forte in mentem veniret quod ipso insertionis facto, auctor intendit fideiussorem se facere veritatis singuli cuiusque documenti? Ne per somnium quidem, praesertim si, ut evenire solet, plura in collectione sunt posita, quae fuerunt in corpore libri diserte reiecta, et studiose confutata. Atqui, cogita nunc unam ex illis appendicibus seiunctam ab eo quod apud nos est operis substantia seu corpus, et habebis sat fidelem imaginem generis litterarii historici apud orientales. Cum enim de orientali historico agitur, non est cur in eo unquam praesumas intentionem asserendi facta proprio nomine, propriaque auctoritate. Ipse solet subaudire: Deus scit melius quam nos. Ipse in arte critica prorsus peregrinus, indiscriminatim ea quae audivit, sicut audivit refert. Ipse propterea id privilegii habet, ut narrando falsa non erret, et affirmando quae nescit non mentiatur.

Proinde, nullum est factum cuius historica veritas constare possit ex hoc solo quod narratur in Bibliis, sed ad demonstrationem oportet procedere per alias vias: Vel per viam exegeticam, sicut cum deteguntur in contextu specialia indicia intentionis quae sit ad categoricam affirmationem terminata. Vel per viam critico-historicam, sicut cum veritatem facti suadent natura et aetas documentorum, collatio cum aliis factis historicis certis, et alia huiusmodi. Vel denique per viam dogmaticam, sicut cum fides peccati originalis securos nos facit, quod factum lapsus descriptum in Genesi, sin minus in suis circumstantiis, at certe in sua substantia, vere est historicum. In summa, maxime semper cavebis ab interpretandis libris antiquitatis, praesertim orientalis, secundum litterarias conventiones modernorum, non at-

tendendo quod tunc aliae vigebant leges, et aliae conventiones (1).

III. — Superest tandem ultima consideratio, deducta ex hoc quod scriptores biblici non scripserunt ad instructionem scientificam, sed religiosam. Nam Biblia sunt codex religiosus, et non manuale historiae, dicente Apostolo, 1 Cor. XIV-3 : *Qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem.* Porro si hagiographi de historia nihil curabant, nisi in quantum ad scopum sibi praefixum conducebat : quid prohibet quominus, *etiam extra casum implicitarum citationum*, historiam sat libere tractaverint, fingendo, adiungendo, amplificando, et plura artificialiter accommodando pro fine instructionis dogmaticae? Quod quidem maxime confirmatur ex modo quo praedixerunt futura. Nam eventus longo intervallo separatos saepe in eadem visione quasi consecutivos vident, et nulla interiecta mora, a typo transeunt ad antitypum, et a figura ad figuratum. Ipse Cornely, ubi de librorum propheticorum dictione edisserit, docet : « Prophetas saepe res futuras velut praesen-« tes aut etiam praeteritas proposuisse. Omnia vaticinia « fragmentis esse similia, quae cuncta apto ordine disponi « atque componi oporteat, ut completa rei imago exoria-« tur. In prophetica praedictione non eam quae in historica « narratione claritatem esse quaerendam, et maxime ca-« vendum esse ne eadem accurata temporum distinctio quae

(1) « Les historiens modernes ont l' habitude de juger en ra-« contant, c' est-à-dire qu' ils ont une opinion sur le caractère de leurs « sources et la valeur des données qu' ils en tirent; ils expriment « cette opinion, et ils en prennent la responsabilité devant leurs le-« cteurs. Les écrivains bibliques citent sans le dire les documents « qu' ils exploitent, et ils ne se prononcent pas sur la signification et « la portée historique du contenu. Pour saisir la différence du procédé, « on n' a qu' à lire quelques pages d' un historien moderne, et prendre « ensuite les livres des Rois et des Paralipomènes. Ce dernier ouvrage « n' est qu' un tissu de citations implicites. On ne peut pas s' at-« tendre à trouver une autre méthode dans le Pentateuque ». Alfredus Loisy, Etudes bibliques, pag. 121.

« ab historicis exspectatur, a prophetis postuletur, etc. etc. » (1) At nos nunc quaerimus qua de causa licitum fuerit prophetis uti hac libertate in describendo futurum, et non licuisse in describendo praeteritum. Aut cur esset in causa veracitas divina, dum codex sacerdotalis proponit distinctionem sacerdotum et levitarum, unitatem sanctuarii, et alia similia, tanquam mosaicae institutionis, licet originem habuerint multo posteriorem, et iam amplius in causa non sit, cum Isaias Cyrum velut praesentem alloquitur, cum Ieremias vaticinatur Ierusalem fore in perpetuum centrum religionis, cum angelus praedicit filium nasciturum de Maria regnaturum esse in domo Iacob in aeternum, et occupaturum esse sedem David patris sui, cum Christus ipse in evangelio sub uno conspectu simul proponit et miscet ea quae ad ruinam Ierusalem, et ea quae ad finem mundi pertinebant.

Conclusio itaque sit, quod mythi sunt in Scriptura, implicitae quoque citationes falsorum documentorum, fictiones demum et artificiales historicorum eventuum accommodationes (2). Id tamen absque praeiudicio veracitatis et inerrantiae, si ratio habeatur specialis formae litterariae quae antiquis illis libris propria est, pro varia conditione temporum, aliarumve circumstantiarum in quibus conscripti sunt. — Hactenus ingeniosa biblicorum nostrorum inventio.

§ 2.

Nunc autem, dum ad confuctationem venio, vel invito in mentem occurrunt nota illa Melchioris Cani verba, l. 3

(1) Introd. in utriusque Testamenti libros. Dissert. 6, c. 1 § 3.

(2) Nuperrime ultima accessit inventio, sed modaliter tantum a praecedentibus differens: in qua scilicet supponuntur scriptores sacri facta narravisse, non prout revera contigerunt, sed iuxta opinionem illius temporis quo in scriptis relata sunt, adeoque, non secundum historicam *veritatem*, sed secundum historicam *apparentiam*. Hanc inventionem nervose confutavit Alphonsus Delattre S. I. in egregio opere: *Autour de la question biblique*, Liège, 1904.

de locis, c. 2 : « Paradoxa cum communi sensu pugnantia « asserunt, quae si vis argumentando refellere, res minime « dubias argumentando dubias facis. Cum enim illa quae « in syllogismo antecedunt, ut fidem aliquam faciant, cer- « tiora notioraque esse oporteat his quae ex antecedentibus « consequuntur, verendum sane est, quando (talium) placita « coarguimus, ne res maxime absurdas minore evidentia re- « fellentes peccatum hoc ratiocinationis vitiosae ineptaeque « peccemus ». Re enim vera facile assequimur positionem rationalistarum, quibus errores ac fabulae Bibliorum argumento sunt humanae ac plane naturalis eorumdem originis, sed iam omnem fidem superat claudicatio illa in duas partes qua isti, vel inspirationem simul cum errore, vel praesertim veracitatem simul cum fallaciis omnis generis conciliabilem volunt. Hic igitur quam maxime timendum ne summa absurditas minore evidentia refellatur. Adhuc tamen non inopportunae forsitan erunt observationes quaedam tam generales quam particulares : generales quidem circa principia quae totum processum regunt, particulares vero circa singulas per ordinem conclusiones, de mythis, de citationibus implicitis, et de artificialibus historiae adaptationibus.

I. — Quoad observationes generales, prima omnium esse posset, quod ubique contradistinguunt in Scripturis veritates religiosas a factis vel historicis vel per modum historiae relatis, non secus ac si facta illa, generatim saltem loquendo, nihil plus essent quam merum medium litterarium quod non propter se quaeritur, sed tantum propter ideam abstractam quam vestire debet, pertinerentque proinde ad solum veluti stylum Scripturae, minime vero ad res ipsas in quas directe ferebatur Dei inspirantis intentio. De qua conceptione sua nullam aliam rationem reddunt, nisi quod Scriptura non est manuale historiae, sed codex religionis. O ratio profunda ! O vere admiratione digna ! Quasi nempe, nihil commune haberent historia et religio. Quasi in religione revelata praecipuus locus ac potiores partes historiae tribuendae non essent. Quasi haec eadem religio in factis

historicis non de integro fundaretur, per facta historica non omnimode sese commendaret, imo in magno quodam historico facto, tota quanta est, non consisteret ! Verum gravissimus ille error, quem vix crederes potuisse serio admitti a viris sanae mentis et bonae fidei, iam fuit sufficienter confutatus in cap. 2, cum de rebus fidei et morum in Scriptura sacra agebatur. Unde, unice nunc insistendo in eo quod de novo advehit recens inventa theoria de formis litterariis, tria noto generalia principia, quae cum totam sustineant systematis molem, peculiare circa suam veritatem vel falsitatem iudicium requirunt. Et non puto negotium hoc ad abstrusas et valde reconditas quaestiones revera pertinere.

Principium primum : *Quod scriptores biblici nec plus nec minus auctores sunt, ac alii quicumque profani scriptores.* Falsum est, et falsum erit quamdiu causa instrumentalis non ponetur in eodem gradu causalitatis cum causa principali. Nam scriptores profani sunt principales auctores suorum operum, ex propria industria, propria virtute, propriaque cogitatione omnia concinnantes. Scriptores vero biblici sunt auctores solum instrumentales, sub flexione, determinatione, et afflatu Spiritus Sancti cuncta scribenda excogitantes et exarantes. Quomodo ergo auctores sicut alii, nec plus nec minus ?

Principium secundum : *Quod ad scriptores biblicos pertineat determinare litterarium genus librorum suorum.* Falsum est, et falsum erit quamdiu ad auctorem principalem spectabit assignare speciem veritatis quae in libro proponenda et quaerenda est. Nam de eo nunc genere litterario agitur, de quo loquuntur nostri critici, ex quo totus libri sensus dependet, et a quo directivum principium integrae interpretationis accipitur. Ergo de genere litterario quo specificatur liber. Si autem id quo specificatur liber, non a Deo est, sed ab homine, quomodo adhuc principalis auctor Deus ?

Principium tertium : *Quod nulla est forma litteraria apud homines recepta, quam respuat inspiratio Spiritus Sancti.* Falsum est, si intelligatur de formis litterariis quas ipsi fin-

gunt, praecipue vero de ineffabili illa forma litteraria historiae orientalis, quae proportionaliter se habet sicut forma medicinae artis apud Molière. Falsum est, inquam, et falsum erit quamdiu erit verum quod defectus nostros, ignorantias nostras, vitia nostra, temeritates et vanitates nostras inspiratio divina non capit. Nam quae illi dicunt genera litteraturae, verius diceres genera vanitatis, in quibus vel nulla excusatio est, vel si est, ignorantia excusat errorem, et temeritas ignorantiam (1). Atqui defectuum nostrorum corrector est Deus, non susceptor. Et si ad illam quoque comparationem nunc appellare licet, quam novi biblici afferre solent (2), Verbum caro factum non assumpsit ullum ex iis defectibus qui ex peccato orti, aliquid adimunt de plenitudine scientiae et gratiae, sed habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis. Quanto ergo minus horum defectuum fiet particeps secundum operationem illam, quae non iam assumptae, sed divinae suae naturae propria est, inspirando et dictando libros de genere *primitivo-mythico* vel *historico-orientali!*

Haec sane ad destructionem portentosi systematis sufficere

(1) « Voulant divertir par les histoires anciennes la Grèce tou-« jours curieuse, (les Grecs) les ont composées sur des mémoires con-« fus, qu' ils se sont contentés de mettre dans un ordre agréable, sans « se trop soucier de la vérité ». Bossuet, Histoire universelle, 1ère Partie, 7ème époque.

(2) « La vérité divine, pour se manifester aux hommes, s' est « incarnée comme le Verbe éternel. Le Fils de Dieu nous est devenu « semblable en tout, sauf le péché. Et la Bible aussi ressemble en « toutes choses à un livre de l' antiquité qui aurait été rédigé dans « les mêmes conditions historiques, à l' exception d' un seul défaut « qui la rendrait impropre à sa destination providentielle, et ce défaut « serait l' enseignement formel d' une erreur quelconque présentée « comme vérité divine. Mais... les interprètes de la révélation divine... « se sont conformés aux procédés littéraires employés de leur temps, « et ils ont moulé en quelque sorte la vérité révélée dans le cadre des « opinions communes et des traditions de leur race, sauf à rectifier « dans ces données... ce qui pouvait contredire les principes essentiels « de la vérité religieuse ». Loisy, Etudes bibliques, p. 34.

viderentur. Si tamen ampliora desideras, veniamus nunc ad observationes speciales circa singulas eius partes, et primo quidem circa appositionem mythorum in Scriptura sacra.

II. — Mythus est traditio fabulosa quae pro vera historia a vulgo habetur, phantastice exprimens vel aliquod dogma religiosum, vel aliquam naturae legem, vel aliquod factum primitivum (1). Ex qua quidem descriptione iam perspicies rationem sententiae Cyrilli Alexandrini contra Iulianum apostatam : *Fabulosum namque in sancta et divinitus inspirata scriptura, prorsus nihil; veritatis plena sunt omnia* (2). Nam esto quod in mytho narratio nihil aliud sit quam vestimentum realitatis, semper tamen est vestimentum fallax, eo quod non ut vestimentum sese prodit, sed ut realitatem ipsam. Quippe, circumfertur sub forma traditionis historicae, et vel est quaedam credulitatis popularis procreatio, vel si a sapientibus forte adinventam illam velis, adinventam dicere debes in ordine ad popularem credulitatem. Unde Aristoteles, l. 12 Metaphysicorum : « Tradita autem sunt quae-« dam a maioribus nostris et admodum antiquis, ac in fa-« bulae figura posterioribus relicta, quod hi dii sint, univer-« samque naturam divinum contineat. Caetera vero fabulose « iam ad multitudinis persuasionem, et ad legum, ac eius « quod conferat opportunitatem illata sunt. Hominiformes « namque, ac aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, « ac alia consequentia, et similia iis quae dicta sunt. Quorum

(1) Affectant critici aequiparare mythos cum parabolis seu allegoriis. In quo quidem, paradoxorum suorum cumulum semper magis ac magis adaugent. Nam ea est differentia inter mythum et parabolam, ut omnis explicatio obscuraret potius quam illustraret rem per se clarissimam. Certe parabola non est traditio, non vulgatur sub fide historiae, non habet originem illam mysteriosam et impersonalem quae ementitae narrationi in vulgo hominum conciliare solet auctoritatem. Denique, hic quoque locus est dicto Augustini ubi de notione temporis disserens ait: *Si nemo a me quaerat, scio. Si quaerenti explicare velim, nescio.*

(2) Cyrill. Alex. ubi supra, l. 3 contra Iulianum.

« si quis ipsum solum primum separando accipiat, quod deos « arbitrabantur primas substantias (id est separatas seu im- « materiales), divine profecto dictum putabit, et... has illorum « opiniones quasi quasdam reliquias, nunc usque salvatas « esse. Patria itaque ac primorum opinio in tantum modo « nobis manifesta sit » (1). Ubi vides adinventos mythos ad multitudinis persuasionem, quia cum multitudo de intelligibilibus persuaderi non posset, debuit officiosis quibusdam mendaciis decipi, secundum quod fuit optimum ad leges ferendas et ad utilitatem conversationis humanae. In quo quidem, tota de integro paganismi medulla reperitur. Nunc ergo, nisi Deum ipsum velimus huiusmodi imposturae cooperatorem facere, imo vero promotorem et magistrum, aut serio contendere, paradoxa super paradoxa congerendo, eamdem esse rationem de mythis ac de parabolis seu allegoriis, statim apparebit quo loco reponenda sit opinio biblicorum somniantium historiam primitivam a Deo inspiratam, compositam, et dictatam, quae tamen eiusdem conditionis esset cum historiis primitivis semi-legendariis ac semi-mythicis gentilis litteraturae.

Crescit autem, nedum minuatur argumentum, ex epuratione illa ad quam communiter appellant, ut mythos in Scriptura possibiles esse persuadeant. Nan mythus tanto magis deceptivus est, quango magis dissimulat conditionem suam. Quapropter mythi biblici, praecise quia epurati ab omnibus absurditatibus gentilium fabularum, peiora omnium mendacia forent. Et sane mythi paganorum habebant saltem in se, unde neminem deciperent nisi plane insipientem, et noverat in eis Aristoteles, noverant quicumque erant eruditi vel in sola sapientia saeculari, *ipsum solum primum separando accipere*. At mythi biblici decepissent omnes sapientes, omnes Patres, omnes doctores Ecclesiae usque in hodiernum diem, donec scilicet expletis longis noctibus praecedentium saeculorum, universalis erroris depulsor, novus sol scholae criticae tandem illuxisset.

(1) Cfr. Comment. S. Thomae in 12 Metaphys. lect. 10.

Accedit quod, uti iam ostensum est, ea quae in Scriptura antiqua mythos esse volunt, proponuntur in N. T., ut facta realia ex quibus vel dogmaticae conclusiones eruuntur, vel exempla ad virtutem provocantia exhibentur. Accedit quod eadem illa facta adducuntur in Psalmis tanquam signa illustria sapientiae et misericordiae Dei ; tanquam mirabilia magna de quibus debet laudari Dominus Deus veritatis, laudari in aeternum, laudari a generatione in generationem, laudari a saeculo et usque in saeculum. Lege Psalmos 77, 104, 105, 113, 135, ubi singillatim commemorantur et plagae aegyptiacae, et divisio maris rubri, et man de caelo, et aqua de petra, etc. Propter haec omnia oportet confiteri Domino quoniam in saeculum misericordia eius. Confiteri, inquam, Domino dominorum, qui interrupit mare et perduxit eos ; qui deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis ; qui pluit illis manna ad manducandum, et panem caeli dedit eis ; qui transtulit Austrum de caelo, et pluit super eos sicut pulverem carnes ; qui posuit in Aegypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos. Nunc autem ista ex te sunt semi-mythica et semi-legendaria. Ergo ad laudem Dei non amplius sufficit confessio eius super caelum et terram, nec satis est simplex veritas operum eius. Ergo haec debuisset esse totius Psalterii peroratio, haec conclusio, hic epilogus : « Laudate Dominum in sanctis eius, laudate eum in firma-« mento virtutis eius. Laudate eum in virtutibus eius, laudate « eum secundum multitudinem magnitudinis eius. Laudate « eum in sono tubae... Laudate eum in cymbalis benesonanti-« bus, laudate eum in cymbalis jubilationis, *laudate eum in « mythis et fabulis !* Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia ».

III. — Sed de mythis hactenus satis. Iam veniamus ad citationes implicitas, quae novae inventionis pars magna sunt. Qua in re, id prae primis observari potest, eas quas citationes implicitas dicunt, transcriptiones seu insertiones documentorum potius debuisse dici, citationes vero sat inepte appellari. Citare enim, ex proprietate vocabuli nihil aliud est quam aliquem ad testificandum advocare, alicuius testimonium

allegare. At ubi nulla testis comparitio est, ubi citatio? Quidquid vero sit, de vocabulo non tantopere curabimus, quia satis est ut de re ipsa quae per vocabulum intenditur, constet. Porro sub appellatione *implicitae citationis* nunc venit *tacita* adductio documenti quod auctor prae manibus habet, et quod inserit narrationi suae sub fide documenti ipsiusmet, sponsorem veritatis eius nequaquam se faciendo. Et propterea citationis nomen ubique affectant, ut scilicet quemdam alium insinuent testem, penes quem solum sit lapsus vel fallacia Sed vanissimum effugium ad conciliandam inerrantiam Scripturae cum materiali falsitate narrationum eius, sequens tibi ostendet consideratio.

Quamcumque enim formam litterariam supposueris, quoscumque usus seu conventiones pro temporum vel locorum diversitate vigentes in medium adduxeris, oportet tandem corde credere et ore confiteri, libros sacros fuisse Spiritu Sancto dictante conscriptos, et quidem quoad omnes et singulas eorum partes, *adeoque et quoad omnes et singulas sic dictas citationes implicitas*. Nam si citatio etiam proprie dicta, id est formalis atque explicita, verissima quaedam pars libri est, quae ab auctore esse debet, non secus ac caetera, uti supra ostensum est evidenti argumento (1), quanto magis citatio implicita, quae nulla allegatione facta, corpori narrationis interseri nunc supponitur! Necesse igitur est ut et ipsae quas implicitas dicis citationes, fuerint ab hagiographis, non proprio motu propriaque industria appositae, sed sub dictatione Dei. Quo semel principio inconcusse praeiacto, iam vide quam sit insubsistens tui systematis constructio. Et scriptor quidem humanus invenit documentum cuius valorem ignorat ; nihilo tamen minus transcribit illud, et inserit narrationi sub quodam veluti periculo sortis, existimans se in omni casu pro excusato haberi posse, partim propter praesumptam probabilitatem veracitatis documenti, partim propter considerationes quas critici nostri ingeniose invenerunt :

(1) Vide supra, Part. I^a, Cap. I^o, § 2, n. 3.

transeat ! Sed quid, quaeso, diceres de illo cui falsitas documenti esset certissime nota, quique non obstante hac sua certissima conscientia, documentum ipsum simpliciter ac sine addito, vel insereret narrationi, vel dictaret inserendum ? An forte probitatem historicam distingues in occidentalem et orientalem, in antiquam et modernam ? Mirum sane si in casu, probitas etiam orientalis, adhuc salva et integra maneret. Quidquid vero sit, cum Deus ipse nec occidentalis sit nec orientalis, nec antiquus nec modernus ; cum insuper ea quae falsa sunt, non apprehendat ut probabiliter vel possibiliter vera, sed cognoscat certissime et determinatissime ut falsa ; cum denique apud ipsum nil valeant illi usus et illae conventiones quas sola hominum vel vanitas vel ignorantia introduxit : intelliges, puto, quomodo ex dictatione eius descendere omnino non possit citatio implicita falsi et erronei documenti. Et ideo a primo ad ultimum, doctrina de citationibus implicitis intellecta in eo sensu, et prae eo scopo quem intendunt novi exegetae, est evidentissime reiicienda.

Denique hic quoque proportionaliter applicari potest regula Augustini ubi supra : Admissa semel in tantum auctoritatis fastigium implicita aliqua citatione, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad citati auctoris consilium officiumque referatur. Id quidem aequivalenter fatentur, ut vidimus, illi quos non male *radicales* criticos appellares. Sed et frustra alii qui *moderati* dicuntur, applicationem systematis ad certos limites restringere et circumscribere tentant. Nam si, exempli gratia, ut te expedias a sat levi difficultate quae in genealogia Christi (Luc. III-36) de Cainan occurrit, pro quanto dicitur ibi Cainan filium fuisse Arphaxad, Sale autem filium Cainam, dum Genes. XI-12, dicitur Sale fuisse filium Arphaxad, nulla apposita generatione media : si, inquam, dicis Lucam implicite citasse mendosam versionem septuaginta interpretum, ita scilicet ut penes ipsos solos esse vellet in hac parte fidem et auctoritatem, curnam, quaeso, de quolibet evangelico sermone Christi

ad explicationem difficili, non eodem iure praetenderet quispiam implicitam citationem unius ex iis dubiae fidei documentis, quae tempore redactionis evangeliorum, testante ipso Luca I-1, de vita et gestis Christi passim vulgabantur ? Et sic discurrendo per singula, perniciosissimo semel principio introducto, auctoritas evangelii fluctuans, incerta, et per omnia labilis invenitur. Sint ergo ut volueris, tacitae quaedam in Scripturis transcriptiones praeexistentium documentorum ; id tamen certo certius nonnisi ex dictatione Dei, qui dum documenta illa inspiratae narrationi interseruit, eo ipso fideiussorem se fecit fidelitatis atque omnimodae veracitatis eorumdem. Caeterum, ad difficultatem supradictam, aliasque similes, tot possibiles atque etiam obviae explicationes occurrunt, ut nequaquam ibi locum habere possit excusatio, ut aiunt, petita ex necessitate causae. De qua re vide, si lubet, probatos auctores (1). Interim vero, liceat praesentem doctrinam firmare ex recenti decisione Commissionis Pontificiae de re biblica.

Quaesitum fuerat : *Utrum ad enodandas difficultates quae occurrunt in nonnullis S. Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non in-*

(1) Primus inventor citationum implicitarum videtur fuisse Caietanus, teste Melchiore Cano l. 2 de locis, c. 18 in responsione ad 6^um^ : « Eam obiectionem quae sexto loco posita est (de Cainan filio « Arphaxad et patre Sale), qua via Caietanus noster repellere ten- « taverit, invitus quidem facio ut dicam, sed dicam tamen ne in E- « vangelii veritate tuenda nostris videar pepercisse. Significat certe « ille primum, (nam deinde in ea opinione non perstat), *Lucam evan- « gelistam septuaginta interpretum errorem in hac parte, sine proprio « tamen errore secutum.* Id quod ego non solum intelligere, sed ne « cogitatione quidem informare possum. Si enim evangelista im- « prudens septuaginta interpretes errantes in historia evangelii se- « quitur, licet imprudens, sed errat tamen. Sin autem videns pru- « densque, ut dicitur, fictam a septuaginta narrationem suo evan- « gelio inserit, errat quoque, et eo magis, quod dedita opera Evan- « gelii sinceritatem fabula commentitia contaminat, etc. ».

spirato conscripti, cuius adserta omnia auctor inspiratus minime approbare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt. — Et fuit responsum : NEGATIVE, *excepto casu in quo, salvis sensu ac iudicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur :* 1°) *hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare, et* 2°) *eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui.*

Itaque negativa responsio est. Sed propter exceptionem appositam, visum est aliquibus, reiectam quidem fuisse opinionem *exaggeratorum*, qui integros fere libros historicos Sacrae Scripturae citationibus implicitis nec plus nec minus constare volunt ; probatam vero, et vix non canonizatam sententiam aliorum qui dicuntur *moderati*, et intra iustos limites, ut aiunt, systema concludunt. Verene sic se rem habere putas ?

At contra eiusmodi interpretationem iam satis superque foret vel simplex illa observatio, quae prima etiam fronte occurrit : Neminem nempe ita unquam desipere potuisse, ut diceret quod, verificata semel duplici hypothesi casus excepti, (si solidis argumentis probetur, hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare, et eadem nec probare nec facere sua), non liceat exegetae catholico inde enodare difficultates occurrentes in nonnullis Scripturae textibus. Nimis enim evidens atque aperta res ista est, quam ut viri sensati contradictionem ferat. Non ergo ibi est aut esse potuit punctum controversiae circa sic dictum citationum implicitarum systema.

Sciendum igitur quod huius systematis auctores id sibi volunt : Hagiographum iure censeri non proprio nomine loqui, *ex hoc ipso, ex hoc solo,* quod documenta alterius auctoris tacite citat. Et solum est differentia inter exaggeratos et moderatos, quatenus exaggerati opinantur citationes implicitas habendas esse pro regula in historia sacra, casus vero in quibus hagiographus proprio nomine loquitur, pro exceptionibus ad regulam, toties quoties positive probandis. Moderati autem ex inverso sentiunt regulare esse, quod sacer

historicus proprio nomine loqúatur, et citationes implicitas, utpote extraregulares, debere pro singulis casibus specialiter demonstrari. Caeterum, omnium indiscriminatim sententia est sufficere solum factum (aut praesumptum iuxta exaggeratos, aut demonstratum iuxta moderatos) tacitae citationis documenti non inspirati, ut legitima conclusio sit : hagiographum sub sola fide dicti documenti asserta eius retulisse, et idcirco asserta ista non necessario tanquam ab historico errore immunia haberi debere.

Nunc autem Commissio biblica opinionem hanc de integro reiicit, et casus quem excipit, est revera extra ambitum systematis implicitarum citationum, quocumque tandem modo accepti. Nam secundum exaggeratos, ad enodandas difficultates occurrentes in textibus Scripturae qui facta historica referre videntur, liceret exegetae catholico asserere agi in his de citatione implicita, **nulla** *etiam speciali demonstratione facta.* Secundum moderatos vero, id liceret exegetae catholico, **una tantum** *demonstratione facta, hagiographum nempe alterius dicta vel documenta revera citare.* At Commissio biblica non unam tantum demonstrationem necessariam esse asserit, **sed duas:** quatenus praeter factum citationis tacitae, hoc quoque aliud solidis argumentis vult probari, hagiographum scilicet documenta tacite citata nec probare nec facere sua. Quo quidem in casu evidenter constat errorem admissibilem non provenire praecise ex hoc quod citatio implicita fuit, sed ex illo alio capite cuius probatio quaeritur, et a quo tota de integro solutionis legitimitas pendet. Esset enim eadem ratio extra citationis casum. Sicut quando dicit Ecclesiastes : *Unus est interitus hominum et iumentorum, etc.*, nulla est etiam implicita documenti citatio. Adhuc tamen veritas non est. Quippe, solidis argumentis demonstratur, poni haec in ore materialistarum seu scepticorum, et hagiographum nec probare ista nec facere sua.

Recte ergo concludes Commissionem biblicam simpliciter et absolute confixisse systema quod vocant citationum implicitarum De quibus hactenus satis.

IV. — Superest tandem ultima et pessima omnium inventio, qua scilicet in eloquiis veritatis introducitur formalis, expressa, et data opera ab ipso auctore sacro quaesita historiae corruptio, amplificatio, arbitraria accommodatio ad veritates fidei et morum efficacius inculcandas. In quo quidem iterum redeunt omnes animadversiones superius adductae, sive de fine qui non legitimat media ; sive de inaudito illo ac vere incredibili modo informandi mores per ipsum in actu exercito datum falsationis exemplum ; sive de dictatione seu suggestione divina, quae si supponatur ad eiusmodi falsationem sese non extendere, pessum ibit fides integralis Scripturae inspirationis ; sin autem e contra, in causa erit principium a quo sine blasphemia recedere nefas, Deum scilicet nullius mendacii auctorem esse posse. Quippe omnia quae adducunt ad palliandum mendacii crimen, illis solis fucum facere poterunt, quibus ad suas praeiudicatas opiniones tuendas omnis tandem ratio bona videbitur. Non ergo est cur in his denuo occupemur. Sed quoniam speciale nunc argumentum se habere putant ex modo quo in Scriptura praenuntiantur futura, operae pretium erit de novo hoc sophismate pauca quaedam observare.

Revera admirationem movet quod homines qui tot genera litteraria distinguunt secundum usus et conventiones hominum, distinctionem iam apponere nesciant ubi eam ipsa rerum natura indicat. Quaerunt igitur quid distet inter historicam narrationem praeteriti, et propheticam annuntiationem futuri, et dico quod responsio non est a longe repetenda, sed ex ipsa diversa conditione praeteriti et futuri naturaliter accipitur. Id nempe distat, quod distat inter cognitionem rerum in seipsis, et cognitionem rerum in speculo divinae aeternitatis. Id distat, quod distaret inter visionem hominis qui considens in via, caeteros per eamdem viam ambulantes intueretur unum post alium, et visionem hominis qui in alto atque eminenti loco extra ordinem transeuntium positus, omnes transeuntes simul aspiceret. Uno verbo haec est differentia, quod historica narratio praeteriti modum

habet ipsarum rerum quae motu temporis abripiuntur, prophetica autem annuntiatio futuri impressum retinet modum divini intuitus, cui ratione quadam incomprehensibili cuncta volumina saeculorum transeuntia manent, currentia stant, ut dicit Gregorius l. 20 Moral. c. 32. Nam in illustratione mentis prophetae resultat similitudo veritatis divinae praescientiae, et propter hoc eiusmodi illustratio vocatur speculum aeternitatis, quasi repraesentans Dei praescientiam, qui in sua aeternitate omnia praesentialiter videt. Hinc ergo sumes rationem ex natura rei, cur in prophetica dictione eventus longo intervallo separati simul coniungantur, aut cur saepe sit subitus transitus a typo ad antitypum, imo antitypus eodem quandoque nomine censeatur ac typus ipse, quasi quaedam eius continuatio. Nam propheta in ea est specula constitutus, in qua mutatur prospectiva, et sub alio veluti angulo res motu temporis abreptae attinguntur (1). Hinc quoque intelliges cur contingat ut quae quoad nos adhuc futura sunt, enuntientur in forma praesentis, et frequentius in forma praeteriti : « Intendite, inquit Augustinus, quare « pleraque prophetae ita dicunt, tanquam praeterita sint, « cum praenuntientur futura, non facta... Quia Deo et futura « tam certa sunt, tanquam praeterita sint. Nobis enim ea « quae praeterierunt, certa sunt ; quae futura, incerta sunt. « Novimus enim aliquid accidisse, et non potest fieri ut non « acciderit quod accidit. Da prophetam cui tam certum sit « futurum quam tibi praeteritum; et quam tibi quod me-

(1) « Ex hoc Deo competit futura certitudinaliter ut praesentia « cognoscere, quia eius intuitus aeternitate mensuratur, quae est « tota simul; unde eius aspectui subiacent omnia tempora, et quae « in eis geruntur. In quantum igitur ab isto divino aspectu resultat « in mente prophetae futurorum scientia per lumen propheticum « et per species in quibus propheta videt, ipsae species simul cum « lumine prophetico speculum aeternitatis dicuntur, quia divinum « intuitum repraesentant, prout in aeternitate futurorum eventus « praesentialiter inspicit ». S. Thomas de Verit. Q. 12, a. 6. Vide etiam 2-2, Q. 173, a. 1.

« ministi factum, non potest fieri ut non sit factum, tam illi « quod novit futurum, non potest fieri ut non fiat. Ideo de « securitate dicuntur tanquam praeterita, quae adhuc futura « sunt » (1). Accedit quod futurum est secretum Dei ; praeteritum vero, naturale humanae cognitionis obiectum. Et putas necesse esse ut secretum Dei tam distincte nobis pandatur, quam distincte sese notitiae nostrae offerunt res communes in propatulo expositae ? Imo vero, in revelatione futuri semper expresso consilio miscetur obscuritas, quam sola removet eventus adimpletio (2). Undecumque ergo res aspiciatur, apparet nullum esse argumentum quo a modo praenuntiationis propheticae consequentiam aliquam trahere volunt ad modum narrationis historicae : praesertim cum nihil commune habeat, praetereaque nihil, quidquid in stylo et forma vaticiniorum notari unquam poterit, cum amplificationibus illis mendacio plenis, quibus proponerentur tamquam facta ea quae facta non sunt, vel tanquam circumstantiae realium eventuum ea quae nunquam evenerunt.

(1) August. Enarrat. in Psalm. 43, n. 8.

(2) Egregie Bossuetius, rationes exponens cur Christus, Matth. XXIV, sub uno sermonis contextu depinxerit proximam ruinam Ierusalem et remotam ruinam totius mundi in fine saeculorum, ait : « On demandera pourquoi J.-C. n' a pas voulu distinguer des choses si « éloignées. C' est premièrement, par la liaison qu' il y avait entre elles, « l' une étant la figure de l' autre : la ruine de Jérusalem figure de celle « du monde, et de la dernière désolation des ennemis de Dieu. Secon- « demment, parcequ' en effet plusieurs choses devaient être communes « à tous les deux évènements. Troisièmement parceque, lorsque Dieu « découvre les secrets de l' avenir, il le fait toujours avec quelque « obscurité ; parcequ' il ne veut pas contenter la curiosité, mais édi- « fier la foi : parcequ' il veut que les hommes soient toujours surpris « par quelque endroit... Voilà pourquoi la prédiction de la ruine de « Jérusalem est en quelque sorte confondue avec celle du monde. Ap- « prenez, ô hommes ! par l' obscurité que J.-C. même veut laisser « dans sa prophétie, apprenez à modérer votre curiosité, à ne vouloir « pas plus savoir qu' on ne vous dit, à ne vous pas avancer au delà « des bornes, et à entrer avec tremblement dans les secrets divins ». Méditations sur l' Evangile, dernière semaine, 68ème jour.

Ultima itaque conclusio sit, quod cum de formis litterariis nunc agatur, sanioris forsitan criticae argumentum darent, si loco quaerendi cui communi generi seu praedicamento divini libri sint adiudicandi, agnoscerent potius genus illud singuláre, transcendens, nullam cum aliis comparationem ferens, quod est ipsa Scriptura sacra. Tunc enim non arbitrariis suis considerationibus relinquerentur, sed nec ratio a priori eis deesset, nec ratio a posteriori. Non ratio a priori, quia dignum sane est ut libri illi quorum Deus principalis auctor, proprium quiddam in ipso modo loquendi prae se ferant, quod in aliis non invenitur. Nec etiam ratio a posteriori, quia de facto exsistunt Biblia, quibus nulla alia litteratura vel a longe comparari potest, multoque minus litteratura illa Babylonica quam in medium adducunt. Quae si Bibliis nostris similis esse dicitur, forte sicut deformis simia dici potest similis homini.

CAPITULUM QUINTUM

DE INTERPRETATIONE SACRAE SCRIPTURAE

« Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit ». 2 Petr. I-20.

Ultimo dicere oportet de subordinatione criticae ad magisterium ecclesiasticum et unanimem consensum Patrum in exegesi scripturaria. Et primo de legitimo sensu decreti Tridentini circa usum et interpretationem sacrorum librorum. Secundo de iis quae ex hoc decreto consequuntur.

§ 1.

Dupliciter hac nostra aetate eludere tentaverunt decretum Tridentini de usu et interpretatione sacrorum librorum. Dixerunt aliqui, decretum hoc esse mere disciplinare, et non absolute pro quovis tempore habere valorem, sed solum pro illis circumstantiis in quibus editum est. Alii vero perspicientes ne verosimiliter quidem id persuaderi posse, ad aliam confugerunt cavillationem, asserentes interdictum concilii, ne quis Scripturam Sacram interpretari audeat *contra* sensum quem tenuit et tenet Ecclesia, esse intelligendum pure et simpliciter de eo quod fas non sit, interpretando Scripturas, dogma aliquod fidei ab Ecclesia definitum excludere vel negare ; caeterum, plenam relinqui libertatem quoad positivam quorumlibet textuum exegesim, dummodo doctrina Ecclesiae pro norma saltem negativa sancte retineatur. Ne ergo, exempli gratia, neges explicite Iesu Christi

divinitatem vel realem eius in Eucharistia praesentiam, nec unquam trahas verba Scripturae ad positivum sensum qui cum his dogmatibus conciliari nullatenus possit, et fecisti satis. In reliquo, nihil prohibebit quin pro tua sapientia seu etiam phantasia, ea quoque loca quae tanquam dogmatum nostrorum expressiva ac demonstrativa semper ab Ecclesia habita sunt, intelligas tu, sensu haud quidem contradictorio, adhuc tamen alio quolibet modo vel ratione diverso.

Sed contra est primo, quod Tridentini verba nequaquam patiuntur interpretationem quam eis imponunt. Secundo, quod adversus hanc eorum expositionem directe prodiit authentica declaratio Concilii Vaticani, Const. *Dei Filius*, cap. 2.

Primo, inquam, verba Tridentini non patiuntur interpretationem quam eis imponunt, quasi nempe : « Id, quod « Concilium vetat Scripturam interpretari *contra* sensum « quem tenuit et tenet Ecclesia, ita intelligendum esset, ut « solummodo fas non sit interpretando Scripturas, dogma « aliquod fidei ab Ecclesia definitum excludere et negare » (1). Considerandum namque est quod non dixit Concilium : decernit sacrosancta synodus, ut nemo sacram Scripturam interpretari audeat *contra dogma* quod praedicavit et praedicat sancta mater Ecclesia ; sed dixit : *contra sensum* quem de Scriptura ipsa et tenuit et tenet. Nec dixit : sancta mater Ecclesia, cuius est nihil unquam docere quod in oppositione sit cum vero sensu Scripturarum ; sed dixit : *cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum*. Quapropter Ecclesia non solum semper ea docet, quae utpote infallibiliter vera, non possunt esse in contradictione cum quavis veritate, sive naturaliter nota, sive desuper revelata, sive per rectam rationem dictata, sive in verbo Dei scripto ubilibet contenta : verum etiam, Tridentino teste, sentit et tenet aliqua sua dogmata contineri in certis quibusdam Scripturarum locis, et pro sua auctoritate atque infallibilitate

(1) Collect. Lacensis, Tom. 7, col. 523.

in interpretando verbo Dei, iudicat talem esse proprium ac verum horum locorum sensum. Et ex hoc aperte consequitur quod *contra* regulam a Concilio propositam interpretatur, quisquis sensum illum ab ecclesiastico magisterio determinatum, et unanimi usu sive theologico, sive liturgico, sive polemico manifestatum, non verum esse ipsius Scripturae sensum audet asserere.

Haec quidem vel ex solis Tridentinorum Patrum verbis sat clare intelligebantur. Nunc autem nova accessit declaratio Concilii Vaticani, quae fuit expresse directa adversus largam illam opinionem criticorum. Legitur in annotationibus super primum schema constitutionis de doctrina catholica : « Quoad « normam interpretandi sacros libros, instauratio et etiam « aliqua explicatio decreti Tridentini pro nostris temporibus « desideranda est.... Patet praeposterum omnino esse sensum « ad quem temerarii quidam recentiores critici et interpretes « decretum Concilii detorserunt.... Quare necesse est, supre- « mam illam interpretationis catholicae normam, quae est « iudicium et consensus Ecclesiae de vero sensu Scriptu- « rarum, ita proponere ut manifestum sit, non solum excludi « interpretationem quae contradictorie opponatur sensui « quem Ecclesia alicui Scripturae loco subesse doceat, sed « etiam necesse esse ipsum illum sensum ab Ecclesia reten- « tum habere ut verum sensum Scripturae » (1). Hic igitur optime iam intelliges quo spectet clausula illa a Patribus Vaticanis, Sess. 3, capiti secundo apposita : « Quoniam vero, « quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae « Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter de- « crevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, « idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse de- « claramus, ut in rebus fidei et morum...., *is pro vero sensu « sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta « mater Ecclesia*, cuius est iudicare de vero sensu et inter- « pretatione Scripturarum sanctarum, atque ideo nemini

(1) Coll. Lac. ubi supra.

« licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem « consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpre- « tari ».

Tandem animadverte, nequaquam opus esse ut sensus ille a quo quavis ratione declinare non licet, fuerit solemni iudicio ab Ecclesia definitus. Neque enim per solas solemnes definitiones Ecclesiae mens innotescit, sed et per ordinarium atque universale magisterium, ut in eodem Vaticano, cap. 3 de fide, expresse habetur. Ordinarium autem dico magisterium, cuius documentum haud aequivocum reperire est in usu exegetico conciliorum et pontificum, in institutionibus liturgicis, in catecheticis instructionibus, in consentiente et unanimi iudicio probatorum theologorum seu interpretum, etc. Animadverte etiam, quaestionem non ad id tantum restringi, quod dici potest vel non potest sub poena vel non, haeresis incurrendae ; quia praescindendo etiam ab haeresi formali, contra fidei legem multipliciter peccari contingit, et nomine catholico indignum se ostendit, qui id solum vitat quod praecise haereticum est, et expresse ab Ecclesia ut tale damnatum (1).

(1) Hic operae pretium erit referre aurea verba Bossuetii refutantis Richardum Simon, qui ut insinuaret sextum caput Ioannis non necessario debere de Eucharistia exponi, in medium attulerat auctoritatem Caietani. « Le principal avantage que M. Simon veut « tirer ici contre l' autorité de la tradition, c' est que *Cajetan a pu « croire sans être hérétique, que ces paroles ;* NISI MANDUCAVERITIS *etc., « ne s' entendent point à la lettre de la manducation sacramentelle, bien « qu' en cela il soit opposé au sentiment commun des anciens et des nou- « veaux interprètes.* Mais c' est proposer la chose d' une manière peu « équitable. Il ne s' agit pas de savoir si Cajetan est hérétique, en « s' opposant à une interprétation autorisée par tous les saints. « On peut penser mal sans être hérétique, si l' on est soumis et docile. « Tout ce qui est mauvais en matière de doctrine, n' est pas pour « cela formellement hérétique. On ne qualifie pour l' ordinaire d' hé- « résie formelle que ce qui attaque directement un dogme de foi. Mais « de là il ne s' ensuit pas qu' on doive souffrir ceux qui l' attaquent « indirectement, en affaiblissant les preuves de l' Église, et en affectant

§ 2.

At si quoad particulares textus singillatim sumptos, regula tenemur a Tridentino declarata, multo magis quoad generalia illa interpretationis principia quae in Ecclesia catholica universaliter sunt recepta, et clavem intelligentiae suppeditant adversus depravatores evangelii.

Exemplum sumas ex quaestione ultimis temporibus toties agitata de parousia seu ultimo adventu Christi. Quaerunt critici utrum ad eos qui praesentes aderant, dirigebantur vel non, sermones eschatologici qui in extenso referuntur apud Matthaeum, ab illis verbis capitis 24 : *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, etc.*, et compendiose resumuntur tum apud Marcum (XIII-33, seq.), tum apud Lucam (XXI-34, seq.). Et putant tenere nos in dilemmate cornuto. Quia si dixerimus, exhortationes ad vigilandum, ad orandum, ad praeparandum se improvisae parousiae Filii hominis, respexisse, non praesentes eos qui audiebant, sed solos futuri temporis homines: tunc quidem,

« des opinions particulières sur les passages dont elle se sert pour « établir sa doctrine. C' est ce que font ceux qui détournent les paroles « de N. S., dont il s' agit. Ils privent l' Eglise du secours qu' elle en « tire contre l' hérésie: ils accoutument les esprits à donner dans des « figures violentes qui affaiblissent le sens naturel des paroles de l' é- « vangile; ils inspirent un mépris secret de la doctrine des Pères. « Cajetan qui ne savait guère la tradition, et qui écrivait devant le « concile de Trente, peut être excusé. Mais M. Simon qui a tout vu, « et qui après avoir reconnu le consentement des S. Pères, ne laisse « pas d' insinuer avec ses adresses ordinaires, le sens opposé au leur, « n' en sera pas quitte pour dire que cela n' est pas hérétique. L' amour « de la vérité doit donner de l' éloignement pour tout ce qui l' affaiblit, « et je dirai avec confiance qu' on est proche d' être hérétique, lors- « que sans se mettre en peine de ce qui favorise l' héresie, on n' évite « que ce qui est précisément hérétique et condamné par l' Eglise » (Defense de la tradition, l. 2, c. 22).

praeterquam quod supra omnem fidem id esse videatur, positive in contrarium occurrit categorica declaratio ipsius Christi, qui sic conclusit apud Marcum : *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Si autem responderimus, exhortationes illas fuisse directas, etiam ad adstantes discipulos in propria persona consideratos : tunc consequitur quod in mente Christi et in opinione eius, isti adhuc in vivis futuri erant, veniente parousia et clade suprema totius mundi. Alioquin, si istos pro illa hora novissima a longo iam tempore in sepulcris iacentes contemplatus fuisset, quomodo eis commendasset vigilantiam, ne dominus adveniens inveniret eos gravatos crapula, ebrietate, et curis huius vitae ? Quomodo eos comparasset servis quibus dominus peregre proficiscens potestatem dedit cuiusque operis, praecipiendo ianitori ut vigilet, eo quod incertum sit quando dominus rediturus est, an sero, an media nocte, an galli cantu, an mane ? Numquid enim haec esse potest habitudo mortuorum in monumentis suis ?

Sed dilemma quod criticis videtur insolubile, ideo eis insolubile videtur, quia aut ignorant, aut contemnunt, aut reiiciunt principium interpretationis universaliter in Ecclesia receptum, et aliunde solidissimis inconcussisque argumentis firmatum : Solere scilicet Scripturam referre ad ultimum et universale iudicium quidquid pertinet ad retributiones praemiorum ac poenarum futurae vitae, et per ordinem ad sententiam a qua pendet aeternitas, cunctos indifferenter homines qui pro quavis differentia temporis fuerunt vel sunt vel erunt, *personificare* in eis quos vivos reperiet saeculi consummatio. Et ratio revera facilior est quam ut longa declaratione indigeat. Continetur enim in eo quod omnes didicimus in catechismo : Talem nempe iudicandum esse unumquemque hominem, cum venerit Christus iudicare mundum universum, qualis hic et nunc est cum moritur ; adeoque, si de vigilantia sollicitaque semper praeparatione sermo sit, eamdem prorsus esse omnium indiscriminatim conditionem, ac si pro omnibus et singulis tolle-

retur intervallum separans mortis diem a die illa ultimi adventus Christi (1).

Et hoc est exemplum aliquod generalis principii catholicae interpretationis, quod clavem intelligentiae suppeditat pro multis locis N. T., utputa pro monitionibus quae frequenter occurrunt in epistolis apostolicis : *Tempus breve est, reliquum est ut et qui habent uxores, tanquam non habentes*

(1) Hoc quidem interpretationis principium adeo vulgatum in Ecclesia, si attendisset et intellexisset auctor libelli: *Autour d' un petit livre*, nunquam sivisset e calamo excidere responsionem quam insolenter dirigit ad quemdam episcopum qui vitam scripsit D. N. I. C. « Je lis, dans une *Vie de Notre-Seigneur Jésus-Christ* qui en est à « sa sixième édition, un commentaire tout à fait surprenant des pa- « roles évangéliques, (Matth. XXVI, 40-42; Luc. XVII, 34-35): *Deux « hommes travailleront aux champs : l' un sera pris, et l' autre sera « laissé. Deux femmes moudront à un moulin : on prendra celle-ci, on « laissera celle-là. Veillez donc, car vous ne savez à quelle heure le Maître « viendra.* La leçon que Jésus voulait donner à ses disciples aurait été « la suivante:. En leur recommandant des dispositions si visiblement « personnelles, il entendait les préparer à un évènement qu' ils devaient « voir de leurs yeux, et qui, par conséquent, ne pouvait être ni la fin « du monde, ni le jugement général, mais bien la mort saisissant « chaque homme à son heure, pour le jeter aux pieds de son Juge « et fixer son éternité. Hélas, Monseigneur, à qui le ferez-vous croire ? « N' avez-vous donc pas remarqué que le Sauveur parle du jour du « Fils de l' homme, de l' avènement du Christ glorieux, et qu' il com- « pare l' arrivée de ce jour à celle du déluge qui surprit le genre humain « tout entier, sauf Noé avec sa famille ? Dieu prit Noé, comme les « anges prirent Lot pour le tirer de Sodome; et les anges prennent « de même tel homme et telle femme, tandis que les autres sont a- « bandonnés au jugement qui s' exerce sur l' humanité coupable. « Certes, Votre Grandeur a le droit, quand elle prêche dans sa ca- « thédrale, d' interpréter ce texte de la préparation à la mort. c' est- « à-dire d' en tirer la meilleure application qu' il comporte aujourd'hui. « Mais il est évident (sic), pour tout homme sans parti pris, que le Christ « n' avait pas en vue cette leçon purement morale : il parlait « du prochain avènement messianique; les disciples n' ont pas pu « l'entendre autrement, et l' historien doit le comprendre ainsi ».

Verum habeat nos auctor excusatos. Animadvertimus optime quod loquitur Salvator de die Filii hominis, de adventu Christi glo-

sint. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est. Nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus. Nox praecessit, dies autem appropinquavit, etc. etc. Qua quidem clave destituti critici, haec loca depravant sicut et caeteras scripturas, et parum abest quin nobis persuadeant, auctores inspiratos adeo fuisse persuasos de instante consummatione saeculi, ut docuerint non oportere amplius arare, seminare, navigare, emere, vendere, generare, administrare; non debere parentes thesaurizare pro filiis (2 Cor. XII-14) ; non posse salvari mulierem per filiorum generationem (2 Tim. V-4) ; non esse orandum pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam et tranquillam vitam agamus, prout bonum et acceptum est coram Salvatore nostro Deo (1 Tim. II-2). Parum denique abest, quin praefracte negent id quod historia simul et sacri

riosi, et quod comparat huius diei adventum cum adventu diluvii, et cum adventu ignis de caelo super Sodomam et Gomorrham. Id plane perspicimus, nec contendimus aliquid aliud ibi *materialiter describi,* praeter id quod continget in die mundi novissimo. Sed quia pro unoquoque hominum incerta mors est, sicut incertus est universalis iudicii dies: quia rursus, cum unoquoque hominum eodem prorsus modo agetur in iudicio illo, ac si instans mortis eius, materialiter etiam coincidisset cum parousia et ultimo adventu Christi: hinc est quod in illis quos ultima mundi hora adhuc viventes deprehendet. includit Dominus naturali figura sermonis, caeteros omnes ante morituros, cunctosque admonet ut vigilent omni tempore orantes, ut digni habeantur fugere ista omnia quae futura sunt, et stare ante Filium hominis.

Et quando addit auctor quod Excellentia Sua tunc tantum ius habet interpretandi sermones eschatologicos evangelii de praeparatione ad mortem, quando praedicando in sua cathedrali, eruit meliorem quam sermones isti hodie ferunt accommodationem, eo quod evidens sit omni homini a praeiudiciis libero, falsam esse exegesim illam, si pro historica textus et sensus Christi explicatione habeatur: penes ipsum sit illa semper facilis evidentiae affirmatio. Imo vero, puto quod omni homini qui principiis evangelii imbuitur, nihil magis evidens erit quam quod convertitur et omnino coincidit praeparatio ad mortem cum praeparatione et vigilantia in ordine ad parousiam.

textus certatim testantur : apostolos nempe ea praecepisse omnia quae ad humanae societatis instaurationem ac renovationem spectabant, nedum insinuaverint in ianuis esse ultimam catastrophen.

Inhaerendum itaque generalibus principiis interpretationis catholicae, quia ubi id negligitur, non solum impossibilis est assecutio veri illius Scripturae sensus, quem tenuit et tenet Ecclesia, verum etiam pronus est lapsus in sensum contradictorie ei oppositum, imo et penitus destructivum auctoritatis sacrorum librorum, qui iam ut falsitatibus et erroribus pleni impudenter traducuntur. Et possent multiplicari exempla, quorum interminabilem seriem suppeditarent ea quae ultimis temporibus cum tanta argumentorum levitate, tantoque scandalo fidelium, a Schola larga in medium adducta sunt. Sed haec limites praesenti opusculo praefixos longe excederent.

§ 3.

Placet igitur huic qualicumque dissertationi cum verbis Irenaei imponere finem, ubi Scripturarum expositionem ab iis qui in Ecclesia catholica successionem habent ab apostolis, petendam esse significans, ait : « Quapropter eis qui in Ecclesia « sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem « habent ab apostolis, sicut ostendimus ; qui cum episcopatus « successione charisma veritatis certum secundum beneplacitum Patris acceperunt ; reliquos vero qui absistunt a prin« cipali successione, et quocumque loco colligunt, suspectos « habere.... Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi « discere oportet veritatem, apud quos est ea quae est ab « apostolis Ecclesiae successio, et id quod est sanum et ir« reprobabile conversationis, et inadulteratum et incorrupti« bile sermonis constat. Hi enim et eam quae est in unum « Deum fidem nostram custodiunt, et eam quae est in Fi« lium Dei dilectionem adaugent, qui tantas dispositiones « propter nos fecit, et Scripturas sine periculo nobis expo-

« nunt, neque Deum blasphemantes, neque patriarchas « exhonorantes, neque prophetas contemnentes » (1).

Porro ab hac traditionali expositione et recepto a maioribus sensu recedendum esse existimaverunt novi exegetae, altioris intelligentiae nomine, et progressus specie allecti. Cuiusmodi autem progressus ille sit qui eorum studiis et laboribus iam debetur, ex hactenus dictis satis apparuit. Antea securi dicebamus cum Psalmista: *Eloquia, Domini, casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.* Nunc eadem illa divina eloquia, et plumbum et stannum et scoriam continere perhibentur, quae opere criticae oportebit ad purum excoquere. Antea firmiter persuasum habebatur, scripturam etiam veterem esse talem, quae humili sermonis modulo inexhaustam veritatis plenitudinem comprehendens, simul et parva nutriret, et magna oblectaret ingenia. Nunc inventum est quod infantili cogitatione concepta, soli infantili mentalitati antiquorum accommodabatur. Antea contra Protestantes asserebatur Scripturae ut in multis, sed absit ut in omnibus, mysteriosa obscuritas. Nunc ultima novae exegesis conclusio est, Scripturam esse atra a principio ad finem caligine perfusam, et longe longeque densioris obscuritatis in iis quae hactenus pro claris et perspicuis habita fuerant, quam in caeteris. Cui enim aenigmata sphyngis faciliora non viderentur, quam simplex Bibliorum historia qualem illam esse volunt? Et iam peius accidit nobis quam Iudaeis, de quorum futura circa prophetias obcaecatione vaticinans Isaias aiebat: *Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas et principes vestros qui vident visiones operiet. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: lege istum, et respondebit: non possum, signatus est enim.*

Ergone, dices cum Lirinensi, nullus in Ecclesia Dei profectus habebitur quoad intelligentiam Scripturarum? « Habea-

(1) Irenaeus lib. 4, c. haeres. c. 26..

« tur plane et maximus. Nam quis est tam invidus hominibus « tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur ? Sed ita « tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio... in « eodem sensu, eademque sententia ». Ad huiusmodi autem profectum multa forsitan requirerentur quae desunt. Requireretur studium in sacras illas disciplinas impensum, quarum Ecclesia est auctrix et magistra ; nunc autem nimiae litterae orientales eos insanire faciunt. Requireretur praesertim aliqua in Deum reverentia et in sacra oracula eius ; nunc autem ad quamlibet opinionis levitatem quotidie torquent et flectunt Scripturam, quasi experimento facto in anima vili. Requireretur adhuc depositio omnis arrogantiae de clave scientiae, pro qua contra fas usurpata reprobantur in evangelio a Christo Pharisei ; nunc autem clavem hanc sibi ita propriam esse volunt, ut seipsos *competentes*, caeteros quoscumque *incompetentes* soleant appellare. Oporteret etiam destruere ridiculum illud idolum animae modernae, cui aras extruxerunt, et thus adolent, et amatoria carmina canunt. Nam de illa anima moderna hucusque nescitur cuius speciei sit, et si vera sunt exposita, extra universalem Christi redemptionem posita videretur, quandoquidem omnibus iis quae Christus ad suae religionis aedificationem providit, utputa miraculis et prophetiis, non movetur. In summa, oporteret redire ad nidum illum quem eleganter signat Augustinus l. 12 Confess. c. 27, cum de iis loquens quibus fastidio incepit esse Scripturarum simplicitas, ait : « Quorum si « quispiam quasi vilitatem dictorum aspernatus, extra nu- « tritorias cunas superba imbecillitate se extenderit, heu ! « cadet miser. Et, Domine Deus, miserere, ne implumem « pullum conculcent qui transeunt viam, et mitte angelum « tuum qui eum reponat in nido, ut vivat donec volet ».

INDEX

PAG.

PROOEMIUM 5

PARS PRIOR

DE INSPIRATIONE SCRIPTURAE SACRAE

Introductio 15

CAPITULUM PRIMUM. – **Ubi dogmatica inspirationis notio declaratur.**

§ 1. — Quod libri Scripturae omnes et singuli pro sacris et canonicis habendi sunt, non ratione acceptae ab infallibili Ecclesiae magisterio approbationis, nec etiam ratione solius materiae seu veritatis revelatae sine erroris admixtione in eisdem contentae, sed omnino ratione originis, in quantum Spiritu Sancto inspirante conscripti, habent auctorem Deum 18

§ 2. — Quod Deus est auctor librorum novi et veteris Testamenti, non sensu abusivo, quatenus solum inspiravit hagiographis consilium scribendi, suppeditavit generale libri argumentum, et dum scriberent, adsistit ne errarent; sed sensu proprio quatenus libros ipsos cum omnibus suis partibus, scriptoribus sacris quibus tanquam instrumentis utebatur, suggerendo dictavit. Unde sequitur, omnia et singula in originalibus Scripturae libris contenta, prout et ea ratione qua in eisdem libris lectori pro-

PAG.

posita iacent, vere esse a Deo ut directum ad nos scriptum verbum Dei . . 29

§ 3. — Quod duobus modis intelligi posset, Scripturam fuisse Spiritu Sancto dictante conscriptam. Uno quidem modo per dictationem materialem, seu verbalem. Alio vero modo per dictationem longe altioris ordinis, hoc est per interiorem motionem seu instinctum ad concipiendum mentaliter sententias et propositiones quas Deus ad nos per hagiographos dirigere voluit, easque sic conceptas scripto consignandum. Et quod prior dictationis modus nec est necessarius ad hoc ut dicatur Deus librorum scripturae auctor, nec est generatim loquendo ullatenus admittendus. Unde relinquitur modus posterior, ut in quo vere habeatur propria ratio inspirationis de qua Vaticanum: *Eos vero libros Ecclesia pro sacris et canonicis habet, propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt* . 41

Capitulum secundum. – **Ubi notio inspirationis expolitur.**

§ 1. — Quod acceptio notitiae rerum scribendarum est quidem de praerequisitis ad inspirationem, sed nondum in ea formaliter includitur. Et quod haec acceptio fit dupliciter. Vel per revelationem propheticam secundum unum aut alterum e multiplicibus modis quos assignat S. Thomas, 2-2, Qq. 171-174, si res sint a cognitione scriptoris procul remotae. Vel per media naturalia sub assistentia divina, utputa per propriam hagiographi industriam in quaerendis documentis, consulendis fontibus historicis, et comparandis omnibus quae ad scientiae humanae acquisitionem faciunt, si secus 48

PAG.

§ 2. — Quod inspiratio formaliter constat motione intellectus et voluntatis, qua sacer scriptor est motus divinitus, primo quidem ad formandum intus apud se contextum sententiarum quas Deus ut principalis auctor in libro scribi vult, tum deinde ad delineandum scriptione materiali quidquid fuit prius mentaliter compositum instinctu seu afflatu divino. Et quod scriptum huiusmodi vere est scriptum Dei, tametsi servet proprium scriptoris humani characterem quantum ad modalitatem conceptionum et connexam styli et litterariae artis rationem 53

§ 3. — Ubi conclusiones quaedam ex enucleata hactenus notione inspirationis fluentes explicantur 59

Conclusio prima : *Quod accipiendo revevelationem secundum sensum usu ecclesiastico consecratum, pro positiva Dei ad nos locutione, omnis inspiratio scripturae est revelatio, sed non e converso. Et quod quaedam est revelatio antecedens inspirationem, quaedam consequens illam, quaedam quoque quae nullo ad eam ordine religatur* 59

Conclusio secunda: *Quod inspiratio tam ad verba quam ad conceptus protenditur. Et quod vivisectio quam quidam introducunt, procedit ex falso eorum supposito de eo quod inspiratio intelligenda sit per modum infusionis sive immissionis praeformatorum vel conceptuum vel verborum. Sed non habet amplius locum, accepta semel inspiratione per modum motionis qua intellectus hagiographi instrumentaliter movetur ad componendum integrum in concreto contextum, et non quoad solas in abstracto sententias, sed inseparabiliter etiam quoad verba earum expressiva* 63

PAG.

Conclusio tertia: *Quod libri sacri toti a Deo sunt, et toti ab homine, sicut opus artis totum est ab instrumento, et totum ab artifice : pro quanto nimirum non est pars a parte realiter distincta quae propriae virtuti instrumenti seorsum ab influxu causae principalis, vel influxui causae principalis seorsum a propria activitate instrumenti debeatur, sed solum sunt distinctae formalitates quas in unam alteramve causam tanquam in proprium principium necesse est refundere* . . . 66

Conclusio quarta: *Quod falsum est, libros Scripturae tam humanos esse ac si divini non essent. Falsum quoque, hagiographos fuisse nec plus nec minus auctoctores librorum canonicorum, sicut sunt suorum auctores profani. Falsum denique, sensum eorumdem librorum non minus esse proprium scriptori biblico, quam sensum Iliadis Homero, vel orationum contra Verrem, Ciceroni* 67

Conclusio quinta: *Quod ad rationem libri inspirati nihil equidem refert, quis fuerit scriptor instrumentalis. Et quod nihilominus falsissime infertur : ergo universaliter loquendo, quaestiones de personis scriptorum biblicorum pertinent ad altam criticam, tamquam in proprio ac reservato eius campo circumscriptae* . . . 70

Praecedentis conclusionis confirmatio, *ex solutione quaestionis : Utrum sine gravi errore in materia fidei dici possit, Pentateuchum non fuisse scriptum a Moyse* 73

PARS ALTERA

DE HIS QUAE AD INSPIRATIONEM CONSEQUUNTUR

Introductio 85

Capitulum primum. – **De sensu spirituali Script. Sacrae.**

§ 1. — Sensus spiritualis quidditas et existentia 85

PAG.

§ 2. — Conclusiones contra largam scholam Biblicorum 95

CAPITULUM SECUNDUM. — **De intentione Scripturae ad res fidei et morum per se terminata.**

§ 1. — Quid nomine rerum fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, debeat intelligi . . 100

§ 2. — Gravissimus in hac parte Biblicorum error 105

CAPITULUM TERTIUM. — **De inerrantia Scripturae Sacrae.**

Status quaestionis 118

§ 1. — Rationes eorum qui in Bibliiis erroneum admiserunt 121

§ 2. — Confutatio 134

§ 3. — Encyclica *Providentissimus Deus* . 139

CAPITULUM QUARTUM. — **De formis litterariis Scripturae Sacrae.**

Status quaestionis. 141

§ 1. — Ingeniosa inventio ad conciliandam inerrantiam Scripturae cum materiali falsitate assertionum eius 144

§ 2. — Confutatio systematis, primo quoad generalia principia eius 151

Secundo quoad mythos 155

Tertio quoad citationes implicitas, (ubi de recenti decisione Commissionis Biblicae) 157

Quarto quoad artificiales historiae accommodationes 163

CAPITULUM QUINTUM. — **De interpretatione Scripturae Sacrae.**

§ 1. — De legitimo sensu decreti Tridentini circa usum et interpretationem sacrorum librorum 167

§ 2. — De iis quae ex hoc decreto consequuntur 171

§ 3. — Epilogus 175

IMPRIMI POTEST

Romae, die 22 Septembris 1928

P. Petrus Boetto

Praepositus Provinciae Romanae

Nihil obstat quominus imprimatur.

Patavii - die 27 Septembris 1928

Can.cus Doct. Æmilius Seraglia

Cens. Eccl.

IMPRIMATUR

Patavii - die 28 Septembris 1928

Can.cus Doct. Primus Carmignoto

Vic. Gen.

PATAVII — TYPIS SEMINARII

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

DE
IMMUTABILITATE TRADITIONIS

CONTRA

MODERNAM HAERESIM EVOLUTIONISMI

AUCTORE

LUDOVICO BILLOT S. I.

EDITIO QUARTA

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

M . DCCCC . XXIX

PROOEMIUM

Concilium Vaticanum, Const. *Dei Filius,* cap. 4, edixerat: « Neque enim fidei doctrina quam Deus revelavit, « velut philosophicum inventum proposita est humanis « ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum « Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et infalli- « biliter declaranda. Hinc sacrorum dogmatum is sensus « perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta « mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris in- « telligentiae specie et nomine, recedendum ». Tum, canone 3° de fide et ratione: « Si quis dixerit, fieri posse « ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secun- « dum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab « eo quem intellexit et intelligit Ecclesia, anathema sit ».

Nihilominus, ex adverso nunc insurgit schola nova, viam a Gunthero saeculo proxime elapso initiatam premens, quae kantianam et plane rationalisticam evolutionem nostrae religionis asserit; quae ponit mutationem dogmatis de forma in formam et de sensu in sensum, secundum varias conditiones medii et successivos intellectualis culturae status: quae totum complexum doctrinae

christianae, utpote foetum et elaborationem quamdam humanae rationis sub pressione cordis et sensus religiosi, in motu continuo atque indefinito esse ait; quae demum in duobus famosis libellis recentis publicationis, suam crudam et plenam expressionem obtinens, Patres, Doctores, Pontifices, universamque omnium aetatum Ecclesiam insolente et superba provocatione quasi in certamen iam adducit dicens: « Fides non habet in terris mansionem permanentem, sed semper indiget transitoriis tabernaculis. Frustra autem conarentur eam retinere in formis iam antiquatis, quae alii mentalitati accommodatae, nihil plus nunc esse possunt quam veneranda monumenta temporis acti. Nunc enim, in praesentibus intellectualis culturae conditionibus, possibile amplius non est homini iudicanti secundum criteria vel solius sensus communis, conciliare id quod videt et legit in Scriptura, cum eo quod theologi nostri videntur affirmare de eiusdem Scripturae veritate universali et absoluta. Possibile amplius non est, conciliare historiam doctrinae christianae cum eo quod theologi nostri videntur asserere de perpetua eius ac semper perseverante identitate. Possibile amplius non est, conciliare sensum naturalem textuum evangelicorum, etiam maxime authenticorum, cum eo quod theologi nostri docent aut docere videntur circa conscientiam et scientiam Iesu Christi. Possibile amplius non est retinere, ut adaequatam oeconomiae salutis, theoriam conceptam in ignorantia historiae hominis super terram, et historiae religionis in humanitate ipsa, etc. Ideo, tandem aliquando, tempus est ponendi in tuto vacillantem undique fidem circa auctoritatem Scripturarum, ostendendo quid revera sint Biblia, et quale veritatis genus oporteat eis attribuere.

Tempus est ponendi in tuto vacillantem fidem de redemptione et salute, quaerendo sub formulis seu ideis nunc mortuis principium incommutabilis veritatis quod profunde in eis latet, et notionem demum intelligibilem earum quas Christus habet partium in morali regeneratione humanitatis. Tempus est ponendi in tuto vacillantem fidem de resurrectione Salvatoris et praesentia eius eucharistica, penetrando magis mysterium Christi immortalis, perenniter viventis in Deo et in opere suo, etc. Tempus denique est ut Ecclesia catholica serio recogitet quod a longo iam tempore non satis timuit scandalizare doctos; et quod catholicismus ipse fatali ruinae reservatur, quamdiu praedicatio eius videbitur imponere mentibus conceptionem mundi et historiae discordem ab ea quam proxime elapsorum saeculorum labor restituit; praesertim vero, quamdiu fideles retinebuntur in formidine offendendi Deum, cogitando et admittendo in ordine philosophico, scientifico, et historico, conclusiones et hypotheses quas theologi medii aevi non praeviderunt» (1).

Sane vero, non potuisset excogitari negatio magis radicalis omnium principiorum ac regularum fidei christianae catholicae. Devenitur enim, non solum deductione logica, ineluctabilique consequentia, verum etiam formali et diserta auctorum confessione, usque ad categoricam negationem omnis revelationis, id est verae et proprie dictae locutionis Dei. Sed haeresis ista, si tamen adhuc haeresis dici potest, non statim induit completam formam sub qua nunc sese prodit. Primas radices habuit in falso

(1) *Autour d'un petit livre,* Introd. pag. XXXIII - XXXV. Sed non immerito forsitan tibi videbitur quod tempus praesertim esset, ut illi superhomines a tanta arrogantia tantaque inflatione cessarent.

conceptu traditionis catholicae, quasi nimirum traditio ista esset reposita in nudo et simplici facto humano historico, cuius testimonia possent et deberent tractari secundum eadem criteria, easdemque regulas, nec plus nec minus, ac caetera quaecumque antiquitatis monumenta. Hinc prodiit sic dicta *methodus historica* in studiis theologiae positivae; qua methodo informati, nonnulli eruditi visi sunt sibi deprehendere manifestam oppositionem inter sensum dogmatis apud vetustiores Patres, praesertim antenicaenos, et sensum quem posterioris aevi Concilia et Doctores amplexi sunt. Hinc consequenter reintroductus in re dogmatica progressus ille Guntherianus a Concilio Vaticano iam confixus, addita solum quadam novitatis specie ex theoria evolutionis, quae post Darwinium, tantum ubique favorem obtinuerat, et originem dedit notioni fidei, ut aiunt, viventis, id est fidei quae prius in quodam germine continebatur, ac deinde, quasi ex ovo progrediens, et a specie in speciem transiens, Darwiniani animalis instar, per selectionis viam et sub influxu medii ambientis, sese semper transformat in melius. Ne autem quis sollicitus forte esset de modo conciliandi eiusmodi theoriam cum catholicis principiis de infallibilitate traditionis seu magisterii Ecclesiae, opportune resuscitatus est is quem Guntherus ediderat, conceptus veritatis relativae. Veritatem porro relativam dicunt, per oppositionem ad veritatem simpliciter, ad quam fuit hactenus, prout adiunctorum possibilitas ferebat, maior minorve approximatio, longe tamen, longeque distans ab incognita veritate absoluta, suo forsitan tempore revelanda. Sed cum a veritate relativa facilis iam descensus pararetur ad negationem omnis veritatis obiectivae, ideo ulterius progredientes

eruerunt ex officinis philosophiae kantianae ideam dogmatismi moralis, seu dogmatis quod nihil plus est quam subiectiva elucubratio intellectus sub determinatione voluntatis. Tandem ventum est ad systema completum quod in praecitato opere *L'Évangile et l'Église* sub compendio exponitur. In quo quidem, Trinitas, Incarnatio, Redemptio, Ecclesia, Sacramenta, omnia demum dogmata nostra, prout et in quantum nunc a nobis creduntur, non aliud sunt quam ideae mysticae pro certa evolutionis phasi. In quo etiam, critica historica et fides ita comparantur inter se, ut nunquam sibi invicem contradicere queant, eo quod fides est de praesenti forma quam induit idea christiana, critica vero versatur circa formas omnino diversas quae in origine erant.

De his igitur per ordinem agere propositum intentionis est, et primo de eo quod toti theoriae liberam aperuit viam, hoc est, de erroneo conceptu traditionis. Et quia erroneus conceptus non innotescit nisi per principia vera, circa haec ipsa principia, in limine disputationis vertenda est mentis consideratio.

CAPUT PRIMUM

DE CATHOLICO CONCEPTU SACRAE TRADITIONIS

« Bonum depositum custodi per Spiritum
« Sanctum qui habitat in nobis ».
(2 Tim. I-14).

« Multifariam multisque modis olim Deus loquens pa-
« tribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis
« in Filio ». Haec apostolus, brevi quidem sermone, sed adaequata sententia comprehendens totam de integro successionem catholicae revelationis, a primis initiis usque ad ultimum eius complementum. Revelationem enim dicimus omnem locutionem Dei ad nos, sive per organum coniunctum quod est humanitas hypostatice unita Verbo, sive per instrumenta separata, cuiusmodi fuerunt sancti illi Dei homines de quibus 2 Petr. I–21. Quae etiam locutio terminata est, partim ad verbum orale, puta ore ipsius Christi, vel apostolorum eius, Spiritu Sancto dictante, sine scripto prolatum ; et partim ad verbum scriptum per ministerium hagiographorum tam veteris quam novi testamenti. Utroque tamen modo dirigebatur ad totam Ecclesiam usque ad consummationem mundi futuram.

Porro in omni verbo, aliud est res seu veritas verbo *dicta*, quae vocari potest verbum sensu obiectivo ; aliud vero *dictio* qua veritas dicitur, quae est verbum sensu formali. Si ergo sermo sit de rebus seu veritatibus verbo expressis, sic non est differentia ulla inter verbum Dei scriptum et orale,

quia sive uno, sive altero modo expressae supponantur veritates, semper sunt aequaliter a Deo dictae, ac per hoc, aequaliter quoque ad materiale fidei obiectum pertinentes. Si autem sermo sit de ipso verbo quo revelata veritas fuit divinitus expressa, sic quaedam occurrit differentia inter unum et alterum. Nam verbum scriptum de se est fixum et permanens, et ideo ipsa dictio Dei, libris semel excepta, eadem numero conservari potest et conservatur. Sed verbum orale profertur et transit, et ideo ad transmissionem veritatis dictae requirit per se dictionem aliam, numero distinctam, quae ad originalem se habeat sicut quaedam eius repetitio, seu resonantia, seu continuatio per locorum spatia et temporum intervalla; quae etiam apud nos generale nomen *traditionis* obtinuit. Hinc ergo factum est ut verbum Dei oretenus primo prolatum consueverit dici *traditum*, utpote traditioni commissum, et traditione continuandum ac perpetuandum, soleatque sub hac appellatione condivivi contra verbum scriptum quod in libris sacris continetur.

Nunc autem dictio seu traditio perpetuans communicationem oretenus in prima origine factam, dupliciter excogitari posset. Uno modo, tanquam traditio de solo facto, communi nempe rerum humanarum fluxui permissa, et humanis causis, humanis curis, humanae industriae relicta, sicut videre est in traditionibus historiae, in quibus singuli quique pro suo studio et ingenio, operam impendunt ad conservandum posteritati ea quae de anteactis temporibus memoria digna acceperunt. Alio modo, tanquam traditio non de solo facto, sed de iure etiam divino, cui nimirum ab auctore religionis nostrae, lege lata, provisum fuisset per institutionem specialis oeconomiae, constitutionem organi authentici, perennisque assistentiae promissionem. Et si a priori res consideretur, vix ac ne vix quidem credibilis alicui apparebit prior ille traditionis modus in religione revelata, nisi forte credibile ei videri posset, Iesum Christum lumen revelationis nobis attulisse, et de pura atque incorrupta eius conservatione, efficaci medio non providisse. Eiusmodi enim

medium efficax, in communi ac mere humana traditione, nemo sane agnoscet, qui et de natura conservandorum dogmatum et de fragilis nostrae humanitatis conditionibus aequum iudicium feret. Verum non oportet pro nunc immorari in considerationibus a priori, sed magis recurrere ad documenta positiva, ex quibus demonstranda venit prima et fundamentalis propositio quae sequitur.

§ 1.

Quod traditionis organum authenticum fuit a Iesu Christo in sua Ecclesia institutum, hierarchia nempe apostolica cum qua affuturum se promisit usque in finem saeculorum. Et quod traditio ipsa est praedicatio ab aevo in aevum continuata per apostolorum successores sub charismate assistentiae Spiritus Sancti, revelationis ab eodem Iesu Christo eiusque apostolis oretenus primitus acceptae.

Hic primum recole evangelicam historiam, et quaecumque in ea de originibus christianae doctrinae continetur: *Quae cum initium accepisset,* inquit Heb. II-3, *enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est.* Et nota illud, *enarrari,* ac rursus, *ab iis qui audierunt.* In quo quidem compendiose recapitulatur id quod in supradicta historia perquam evidens apertumque est : salutiferam scilicet Christi doctrinam ab eodem Domino Iesu Christo, non editis scriptis, sed verbo praedicationis, personali magisterio, vivae vocis oraculo prolatam fuisse ac publicatam. Ipse Dei Filius homo factus, cum hominibus in terris conversatus, magistri et doctoris partes suscepit. Ipse omni populo praecedentibus prophetiis in se adimpletis demonstratus, operum et miraculorum velut divinis sigillis comprobatus, denique ut prae aliis omnibus audiendus a Patre coelesti in solemni magisterii initiatione declaratus, « praeceptoris habitu sumpto, « bene vivendi rationem nos docuit, ut postea tanquam Deus

« vitam largiretur aeternam » (1). Et iam opus consummaverat quod dederat ei Pater, iam per triennium in Galilaea et Iudaea quaquaversus evangelium regni annuntiaverat, iam discipulos informaverat, iam sanguine suo novum et aeternum testamentum condiderat, et a mortuis redivivus parabat ascensionem in coelum. Prospiciens autem perennitati ac propagationi revelationis quam mundo attulerat, eos quos sui operis vicarios relinquebat in terris, his novissimis alloquebatur verbis : *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Novissima, inquam, haec verba sunt Christi, efficaci ordinatione disponentis medium quo revelata sua doctrina ad totum mundum, et ad omnes in futurum generationes proveniret ; verba dicta post resurrectionem in solemni apparitione montis Galilaeae, ad quam, praeter summos apostolos, convocaverat caeteros discipulos omnes (2), ut tota quae tunc erat Ecclesia, testis esset eorum quae ultimo mandabat.

Ibi porro, est primo institutio *authentici organi traditionis*. Traditionis dico doctrinae non undecumque sumptae, sed a Christo acceptae ; doctrinae non comparandae, sed commissae, non acquirendae, sed commendatae ; in qua non auctores quaeruntur, sed custodes, non inventores, sed fideles dispensatores. Docentes, inquit, servare omnia quaecumque mandavi vobis. Mandavit autem Christus credendam integram evangelii doctrinam quam ipse personaliter praedicaverat dum apud nos conversaretur, et per Spiritum Sanctum suum, quoad ultimum complementum, revelaturum se discipulis promiserat dicens : « Adhuc multa habeo « vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem

(1) Clem. Alex., Cohort. ad Gentes.
(2) Matth. XXVIII-16, coll. com. Marc. XVI-7, et 1 Cor. XV-6.

« venerit ille Spiritus veritatis quem ego mittam vobis a « Patre, docebit vos omnem veritatem » (1).

Est secundo, institutio organi tradionis *quod in finem usque mundi esset duraturum.* Ubique enim in evangelio, et speciatim apud Matthaeum, συντελεια αιωνος consummationem mundi huius praesentis, ultimumque Christi adventum, et tempus iudicii universalis significat. Nec profecto mutatur sensus ex hoc quod ad eos qui praesentes aderant, dirigitur sermo, quia dirigitur ad praesentes prout in suis successoribus semper permansuros. Unde et hic, docendae iubentur omnes gentes sine ulla aut locorum aut etiam temporum restrictione, et postmodum videmus apostolos mandatum Christi exsequentes, substituere sibi alios qui acceptae doctrinae custodes essent et doctores per Spiritum Sanctum eis communicatum, in eisque manentem (2) ; quibus iterum praescribitur ut quod ipsi acceperunt, commendent fidelibus hominibus idoneis et alios docere (3) ; idque, usque in adventum D. N. I. C., quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, rex regum et dominus dominantium (4).

Est tertio, institutio organi traditionis *quod indefectibilitatis charismate donatur.* Et ecce, inquit, vobiscum sum. Nam quid sit, Deum esse cum aliquo, frequentissima et notissima Scripturae testimonia demonstrant. Nimirum locutio est ubique usitata ad significandam protectionem Dei certam atque invincibilem; locutio in qua nullum non importatur efficacis auxilii genus, et per quam ea asseritur assistentia, quae in negotio pro quo promissa est, nullum compatitur lapsum, et omnem praecavet ab intento fine defectionem. Atqui apostolis, eorumque in perpetuum successoribus promittitur assistentia Christi, non quidem ad quemlibet effectum quem forte posset, cum de Dei regno

(1) Ioan. XVI-12.
(2) 2 Tim. I-13.
(3) 2 Tim. II-2, et Tit. I-5.
(4) 1 Tim. VI-14.

agitur, humana sibi fingere cogitatio; non praecise ad eradicanda omnia vitia, non ad impedienda omnia scandala. Imo ista alibi diserte praenuntiantur futura. Diserte praedicitur quod in agro dominico erunt zizania simul cum tritico, et quod utraque crescent usque ad messem. Nota est sagena missa in mare quae congregat ex omni genere piscium. Nota navicula de qua mirum illud observatur, quod cum tanta multitudine oneretur et prematur, adhuc tamen non submergitur. Notae sunt aliae evangelii parabolae in eumdem sensum collineantes. Unde non dicit: Vobiscum sum fundantibus regnum consummatae iam iustitiae, et absolutae iam sanctitatis. Sed dicit: Vobiscum sum docentibus ea quae in evangelii mei revelatione continentur. Ergo promissa assistentia, eique respondens indefectibilitas, n ordine ad intemeratam traditionem genuinae Christi doctrinae sino dubio est agnoscenda.

Est quarto institutio organi traditionis, *cui continue, et non tantum per intervalla, praedictam assistentiam adhibebit Christus.* Nam rursus, non se affuturum esse dicit certis diebus, certisque circumstantiis, velut cum condendae erunt categoricae fidei definitiones, aut cum oportebit expresso decreto corrigere quod prius falso tradebatur, adulteratumve iniuria temporum revelationis sensum ad purum restituere. Sed, omnibus diebus, inquit. Et quid est, omnibus diebus? In est, in ordinario et quotidiano magisterii ministerio, non secus ac in solemniori eiusdem exercitio. Dicendo enim, omnibus diebus, omnem prorsus, quantumvis minimam, etiam unius diei, removit interruptionem, et nullum deviationi spatium reliquit. Quid est, omnibus diebus? Id est, quovis saeculo, quavis aetate. Transiet aevum ecclesiae primitivae, non tam vicinae perspicientur origines, non uno quasi ictu oculi licebit seriem successionis mensurare, numerando manus per quas transmissus est coelestis doctrinae thesaurus, et adhuc et semper *vobiscum sum.* Adhuc et semper praesens aderit idem ille Spiritus veritatis qui ab initio ad-

fuit (1). Adhuc et semper, usquedum veniat sanctorum consummatio, reperientur iidem illi a Christo positi pastores et doctores, ut non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in astutia ad circumventionem erroris (2). Adhuc et semper superstes manebit eadem illa apostolica hierarchia, quae ratione indefectibilis traditionis accepti a Christo evangelii, columna est et firmamentum veritatis (3).

Quinto denique, est institutio organi traditionis, non cuiuscumque generis, *sed per modum oralis seu semper vivae praedicationis*, – Id quidem in primis demonstrant omnia mox dicta de ratione, indole, perennitate constituti ministerii. Ubi enim, quaeso, in systemate biblico Protestantium locus organo illi permanenti, ordinario, perpetuo, cui continuo, omnibus diebus, usque in finem saeculorum deberet assistere Christus ? Nullus sane, quia deposito semel ab iis qui audierant, coelestis doctrinae thesauro in fixo scripturae instrumento, nihil ultra agendum remanebat, totumque de integro opus *docendi omnia quaecumque mandavi vobis*, cum aevo apostolorum vel virorum apostolicorum necessario finem accipiebat. – Id quoque sonant verba *docete, praedicate*, sensu obvio et naturali intellecta, cum scriptura nonnisi medium artificiale sit, paucis accommodatum, et in adiutorium vel supplementum oralis disciplinae accessorie introductum. Unde et apostolos, (quos nemo imaginabitur, aut mentem Christi nunquam esse assecutos, aut mandato eius non paruisse), nihil ex professo scripsisse tanquam proprium atque speciale suum munus exsequentes, sed tantum occasionaliter, et quasi accidentali quadam ratione incitatos, ex certissimo historiae testimonio comperimus. « Matthaeum scribit Eusebius l. 3 hist. c. 24, ea occasione « scripsisse, quia cum praedicasset Hebraeis, et ad Gentes « ire pararet, utile iudicavit, si iis quos corpore deserebat,

(1) Ioan. XIV-16.
(2) Eph. IV-11.
(3) Tit. III-15.

« aliquod memoriale suae praedicationis relinqueret. Mar-
« cum refert idem Eusebius l. 2, c. 15, nec sponte sua, nec
« a Petro cuius discipulus erat, iussum, sed compulsum
« precibus Romanorum scripsisse evangelium. Lucam idem
« Eusebius tradit l. 3, c. 24, ideo solum scripsisse, quia
« viderat multos alios temere praesumpsisse ea litteris man-
« dare, quae non perfecte noverant, ut nimirum nos abstra-
« heret ab incertis aliorum narrationibus. Ioannem scribit
« Eusebius ibidem, usque ad extremam senectutem sine
« ulla scriptura evangelium praedicasse, et addit Hierony-
« mus in l. de Script. Eccl., tandem eum compulsum fuisse
« ab Asiae episcopis evangelium scribere propter Ebioni-
« tarum haeresim tunc exorientem. Itaque, nisi Ebionis
« haeresis exstitisset, Ioannis evangelium fortasse non habe-
« remus, quemadmodum nec alia tria, nisi praedictae occa-
« siones oblatae fuissent. Recte enim scribit Eusebius, solum
« duos ex apostolis duodecim evangelium scripsisse, et eos
« necessitate quadam ad hoc provocatos. Ex quo manifeste
« colligitur, apostolos non de scribendo, sed de praedicando
« primaria intentione cogitasse » (1). Adde etiam quod si apostoli doctrinam suam litteris consignare ex professo voluissent, certe catechismum aut similem librum in corpus doctrinae coalescentem confecissent, cum tamen ipsi vel historiam scripserint, ut evangelistae, vel epistolas ex occasione aliqua, ut Petrus, Paulus, Iacobus, Iudas, Ioannes, quemadmodum l. c. Bellarminus adiecit. Signum est ergo, et quidem indeclinabile, quod ipsi a Christo positi fuerant ad tradendam et transmittendam revelatam evangelii veritatem, primo et principaliter per vivam ac personalem praedicationem. Si autem apostoli, ergo et omnes eorum in perpetuum successores, qui, quod ad praesens attinet, unam cum eis personam moralem evidenter constituunt. — Confirmatur demum, et manifestissime, ex supremis commendationibus quas testamenti loco iidem apostoli Ecclesiae

(1) Bellarm. l. 4 de verbo Dei, c. 4.

reliquerunt. Quid est enim quod Paulus, instante iam sua passione, scribit ad Timotheum, in cuius persona totum corpus praepositorum intelligitur? *O Timothee, depositum custodi.* Et rursus: *Formam habe sanorum verborum quae a me audisti... Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis.* Et iterum: *Tu ergo, fili mi... quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere.* Atqui: « In his locis « non potest intelligi scriptura, sed thesaurus doctrinae, « intelligentia dogmatum divinorum, i. e. tam sensus Scri- « pturarum, quam aliorum dogmatum. Quam totam doctri- « nam propagari volebat per Traditionem, ut explicant « Chrysostomus et Theophylactus in hunc locum. Quo al- « ludit etiam Irenaeus, l. 4, c. 43, cum ait: *Quapropter, eis « qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis,... qui cum episcopatus suc- « cessione charisma veritatis certum secundum placitum Patris « acceperunt.* Et facile ex ipsis verbis colligitur. Nam si lo- « queretur de verbis scriptis, non tam anxie commendaret « depositum. Scripturae enim facile conservantur in thecis, « et a librariis; apostolus autem vult servari per Spiritum « Sanctum in pectore Timothei. Et deinde non adderet: « *Haec commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios « docere;* sed diceret, commenda librariis, ut multa exempla « transcribant. Nec diceret: *Quae a me audisti per multos « testes,* sed, quod scripsi tibi. Itaque, non verba solum, sed « etiam sensum, ac multo magis hunc quam illa, Timotheo « apostolus commendat, ac ut per manus tradat succes- « soribus suis iubet » (1).

Habemus igitur in christiana religione ex divino instituto, organum traditionis, et quidem oralis ac semper vivae; organum dico authenticum, perenniter duraturum, charismate continuae assistentiae donatum. Addo etiam, indivisum in se, et in sua individualitate semper visibile; idque praeser-

(1) Bellarm. l. 4 de verbo Dei, c. 5.

tim propter unum designatum centrum et caput Petrum, qui necessario adest in hierarchia apostolica ut primus, (Matth. X-2) ; necessario adest cum mysterioso nomine sibi a Christo imposito, quo inconcussa soliditas ministerii eius significaretur, (Ioan. I-42) ; necessario adest ut confirmator fratrum, (Luc. XXII-32); ut petra supra quam aedificata est Ecclesia, (Matth. XVI-18), omnia hic intelligendo iuxta ea quae in proprio tractatu demonstrata et probata supponuntur. Nunc autem, si tale est organum traditionis, quale hactenus ex ipso solemni documento institutionis Ecclesiae fuit descriptum, statim apparet, et sine difficultate intelligitur traditionem ipsam de qua praesens currit disputatio, nihil esse aliud quam praedicationem ab aevo in aevum continuatam per apostolorum successores sub charismate indefectibilitatis, illius revelationis quae de ore Iesu Christi, vel apostolorum eius, Spiritu Sancto dictante, primitus fuit accepta.

Haec est traditio quam universa agnoscit antiquitas christiana. Haec est traditio quae vocatur ab Ignatio ad Ephes. n. 1, *sententia Iesu Christi in qua sunt episcopi per fines terrae constituti ;* a Polycarpo ad Philipp. n. 7, *tradita nobis ab initio doctrina ;* ab Irenaeo, l. 3, c. 2, *traditio quae est ab apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur ;* a Tertulliano, Praescript. c. 37, *regula quam Ecclesia ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit ;* ab Origene, de Princip. Praef. n. 2, *ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita, et usque nunc in Ecclesia permanens.* Haec est traditio ad quam contra primos haereticos seu Gnosticos apellant Patres primi et secundi saeculi. Et Gnostici quidem, cum ex Scripturis arguebantur, respondebant : « Quia non « possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciunt traditionem. « Non enim per litteras traditam illam, sed per vivam vo- « cem » (1). Neque in hoc principio Patres habebant sibi contradicentes, imo vero consentientes, et per omnia una-

(1) Irenaeus, l. 3, c. 2.

nimes. Sed cum rursus ad traditionem ipsam revocabantur, tunc iactabant traditionem occultam, ad se solos derivatam, vel a Valentino, vel a Marcione, vel a Cerinto, vel a Basilide (1). Quibus opponebatur traditio authentica, quae est publica in Ecclesia, quaeque organum habet continuam successionem episcoporum ab apostolis, et praesertim ab apostolorum principe in Sede Romana. Insignis in hac parte locus est Irenaei, quem de integro hic transcribere iuvabit, ut eorum quae hactenus fundamenti instar posita sunt, recapitulatio sit simul et invicta confirmatio.

« Traditionem apostolorum in toto mundo manifestatam, « in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint « videre ; et habemus annumerare eos qui ab apostolis in- « stituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque « ad nos qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt quale « ab his deliratur... Sed quoniam valde longum est in hoc « tali volumine, omnium ecclesiarum enumerare successiones : « maximae, et antiquissimae, et omnibus cognitae, a glo- « riosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae « et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab apostolis « traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per suc- « cessiones episcoporum pervenientem usque ad nos indi- « cantes, confund mus omnes eos qui quoquo modo, vel « per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem « et malam sententiam praeterquam oportet colligunt. Ad « hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem « necesse est omnem convenire Ecclesiam, h. e. eos qui sunt « undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, « conservata est ea quae est ab apostolis traditio. Fun- « dantes igitur, et instruentes beati apostoli ecclesiam, Lino « episcopatum administrandae ecclesiae tradiderunt. Huius « Lini Paulus in his quae sunt ad Timotheum epistolis me- « minit. Succedit autem ei Anacletus. Post eum tertio loco « ab apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit

(1) Iren. l. 3, c. 2.

« ipsos apostolos, et contulit cum eis, et cum adhuc inso-
« nantem praedicationem apostolorum et traditionem ante
« oculos haberet, non solus ; adhuc enim multi supererant
« tunc ab apostolis docti.... Hac ordinatione et successione,
« ea quae est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis
« praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec
« ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quae
« in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata et tra-
« dita in veritate... Tantae igitur ostensiones cum sint, non
« oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile
« est ab Ecclesia sumere, cum apostoli, quasi in deposi-
« torium dives, plenissime in eam contulerint omnia quae
« sunt veritatis.... Quid autem si neque apostoli quidem
« Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem
« sequi traditionis quam tradiderunt iis quibus committe-
« bant ecclesias ? Cui ordinationi assentiunt multae gentes
« barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta
« et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus
« suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodien-
« tes, in unum Deum credentes creatorem coeli et terrae, et
« omnium quae in eis sunt, per Iesum Christum Filium Dei »(1).

Et traditio quidem in Ecclesia, sic se iuxta Christi institutionem habet. Unde iam pronum est, priusquam ad ulteriora progrediamur, sequentem eruere conclusionem, quae in proposito nobis negotio maxime est attendenda.

§ 2.

Quod traditio in vero et catholico sensu accepta, regula fidei est. Et quod conceptus traditionis sub ratione nudi facti humani, seu praedicationis a Christo et apostolis cum sola auctoritate historica decurrentis, conceptus est falsus, protestanticus, haereticalem notam prae se ferens.

In primis observare oportet quid distet inter obiectum et regulam fidei. Obiectum est credenda veritas. Regula,

(1) Iren. l. 3, c. 3-4.

formaliter in quantum huiusmodi, est id quod credendam veritatem continet, et cui oportet nos in credendo conformari, quatenus id credamus quod in eo ut credendum proponitur. Unde veritates praedicatae per traditionem, quas dicere possumus traditionem *sensu obiectivo*, obiectum quidem fidei sunt. Ipsa vero praedicatio ecclesiastica, seu ipsa *formali sensu* accepta traditio, fidei regula est (1). At rursus observandum quod regula non qualicumque modo dirigit, sed infallibiliter. Quisquis enim in quocumque ordine regulam sequitur, pro quanto vim habet et actum regulae, ille non solum non errat, sed nec errare potest. Eatenus ergo in negotio fidei, regulae rationem traditio obtinet, quatenus revelatas veritates infallibiliter custodit, infallibiliter conservat, infallibiliter ad nostram defert cognitionem ; idque ratione divini illius elementi quod in ea necessario esse agnoscendum secundum institutionem et promissionem Christi, superior nos docuit propositio. Divinum autem dico elementum, quod variis nominibus a Patribus est appellatum : nunc, *charisma veritatis certum in episcopatus ab apostolis successione*, (Iren. l. 4, c. 26) ; nunc, *operatio Spiritus veritatis, non sinentis ecclesias aliter intelligere, aliter credere, quod ipse per apostolos praedicabat*, (Tertull. Praescript. c. 28); nunc, *influxus Domini Ecclesiae inhabitatoris, ne eat in errorem quemlibet studiosissima speculatio*, (August. Enarr. in Ps. 9, n. 12) ; nunc, *Spiritus Sancti afflatus ne discedatur a vero*, (Cyrill. Alex. epist. 1 ad monachos Aegypti) ; nunc, *gratia Spiritus qua edocti, omnes etiam montium et marium*

(1) Quare non videretur admittendum quod aliqui dicunt: Traditionem sensu obiectivo esse fidei regulam remotam, sensu autem formali proximam. Si enim de regula agitur, formaliter qua regula est, non oportet considerare id quod est credendum, sed id quod dirigit in credendo per credendi obiecti propositionem. Et hoc est semper ipsum verbum qua scripto vel ore prolatum, adeoque Scriptura vel Traditio, non obiectivo, sed formali semper sensu accepta. De distinctione autem inter regulam remotam et proximam, infra erit sermo.

disiunctione separati, in idem consentiunt, (Theodoret. Dial. de Incommutabili) ; nunc, *effectus sententiae D. N. I. C., qua fit ut in Sede apostolica inviolabiliter semper catholica custodiatur religio,* (Profess. fidei sub Hormisda ab Orientalibus subscripta). Et alia multa in eumdem sensum collineantia passim reperire est apud Patres, quae per singula referre non vacat. Interim vero, nullum relinquitur dubium quin traditio in genuina illa et catholica notione accepta, quam nobis suppeditant monumenta omnia institutionis christianae, vera regula fidei et dicatur et sit.

At longe alius est conceptus protestanticus, in quo elementum divinum penitus rescinditur, ut traditio nihil plus iam sit aut esse possit, quam nudum ac simplex factum communibus factis historiae accensendum : factum scilicet hominum, sua solertia, sua industria, suo ingenio, scholam Christi apostolorumque eius per successivas aetates continuantium. Qua quidem suppositione facta, statim patet, nullam amplius de regula fidei quaestionem esse residuam. Etenim primo, ut paulo supra fuit observatum, regula fidei proprie loquendo, non ea demum est quae solum possibiliter, aut casualiter, aut de contingenti conservat genuinam atque inadulteratam revelationis doctrinam, sed quae de iure etiam, et necessario, et per se. Atqui, vel prima fronte occurrit evidens disproportio humanae solertiae, humanaeque industriae ad eiusmodi effectum, praesertim in materia divinorum dogmatum, in qua vel maxime, semper urget ratio Protestantium apud Bellarminum, l. 4 de verbo Dei, c. 12 : Plurima obstare, aut certe obstare posse impedimenta, oblivionem, imperitiam, negligentiam, perversitatem, quae nunquam desunt in genere humano. Sed haec, si placet, omitto. Esto quod praedicta impedimenta de facto locum non habuerint ; esto quod divina doctrina fuerit in suae veritatis puritate per tot saeculorum decursum, et tot inter rerum vicissitudines, de facto conservata ; esto quod haec ipsa de solo facto conservatio, satis sit ad regulam fidei secundum se. Esto, inquam, quia de his longius disputandi locus nunc non est, et qua-

cumque etiam largissima concessione facta, id saltem fatearis necesse est, non esse satis ad regulam *quoad nos*. Quoad nos namque, nullum alium valorem obtinebit eiusmodi humana traditio, praeter eum quem ei conciliabit demonstratio cohaerentiae cum originali locutione Dei in Christo vel apostolis, ex solis communibus historiae criteriis et fontibus compilata: per collationem scilicet, discussionem, et crisim scientificam monumentorum praeteritae aetatis inde ab antiquis temporibus. Et quis, quaeso, huic studio non impar, cum non de paucis quibusdam factis, iisque celebratissimis, famosissimis, et in proprio dominio historiae exsistentibus, sed de doctrinis maxime abstrusis hic agatur? Quis in tanta multitudine rivulorum, aquas sinceras quae recta a fonte procedunt, a spuriis et adulteratis distinguet? Quis separabit pretiosum a vili in tot inter se dissidentibus, seseque invicem destruentibus confessionibus? Omnibus ergo modis, manifestissime apparet quod traditio secundum protestanticam conceptionem accepta, regula fidei nec est nec esse potest, et quod in hac saltem parte, sibi ipsis constantes fuerunt veteres Reformatores, cum unam solam atque unicam regulam, traditione exclusa, Scripturam constituerunt.

Verum, conceptionem hanc, *quae totam in se resumit haeresim Protestantismi*, in plena esse oppositione cum evangelio et fundamentali eius oeconomia, iam satis ostensum est, et si quis plura desideret, plura etiam inveniet in tractatu de Ecclesia, ubi de potestate magisterii. Eamdem quoque aperte contradicere sensui totius christianae antiquitatis, vel ex paucis quae praecitata sunt documentis colligere facile est. Equidem affirmant Protestantes: « Antiquiorem « ecclesiam *solum historice* appellasse ad traditionem, demon- « strando scilicet in ecclesiis apostolicis, quibus apostoli ipsi « praedicaverant, per continuam successionem usque ad sua « tempora saeculi secundi vel tertii, fidem ab apostolis tra- « ditam nondum fuisse corruptam, sed adhuc integram. Po- « steriori vero tempore, Ecclesiam *id quod testimonio tradi- « ditionis historice considerato deerat, supplere studuisse aucto-*

« *ritate quam sibi vindicabat* » (1). Id, inquam, affirmant, sed gratuito et sine ullo fundamento.

Ad cuius rei evidentiam considerandum quod promissa assistentia pro incorrupta depositi custodia, et infallibili cursu traditionis in recto tramite originalis revelationis, non excludebat ullo modo accommodatam huic eidem fini causarum secundarum ordinationem, earumque congruam cooperationem. Sic enim semper se habet suavis Dei providentia ut instrumenta apte contemperet causae principali, et quidquid de suo humanum organum propria activitate reddere potest, id non modo non tollat, sed procuret et adhibeat etiam magis. Non ergo negare intendimus connaturalitatem ad effectum de quo agitur, quae revera est in successione et continua serie episcoporum sibi invicem in eadem sede quasi de manu in manum transmittentium depositum religionis. Neque somniamus removendum esse a traditione humanum elementum, humana praesidia, humanam industriam ac sollicitudinem. Quae profecto si removenda censeremus, contradictorem haberemus ipsum apostolum exclamantem : *O Timothee depositum custodi.* Utquid enim obsecratio haec, utquid tam instans commendatio, si ex parte Timothei nihil exigebatur ? Sed id tantum volmus, nondum in his reperiri supremam ac sufficientem rationem certitudinis de conservata integritate doctrinae revelatae, quamdiu praecisio fit a promisso et collato a Christo charismate perpetuae assistentiae (2). Proinde intelligendum est, elementum humanum subordinari divino, eique ita coniungi, ut in

(1) Apud Franzelin, Thes., 10.

(2) Praesidia pro intemerata doctrinae conservatione adhibita, ad haec quatuor reducuntur a Card. Franzelin, thes. 9: « Primo. Non « solum semper observatum est apostolicum institutum, ut episcopus « non eligeretur, nisi prius de sinceritate eius fidei certis testimoniis « constaret, sed etiam praesertim episcopi maiorum sedium continuo « post electionem aliis collegis suis, et maxime Pontifici Romano « per litteras synodicas exponebant distinctam suae fidei professionem. « Ratio sanctae huius institutionis per se evidens est, et egregie de« claratur a Gregorio M. l. 7 epist. 4: *Nam cum vicissim nobis fidei*

usu loci theologici traditionis, duplex Patribus occurreret argumentum. Unum ex consideratione charismatis successionem apostolicam perpetuo comitantis. Alterum ex consideratione ipsius successionis secundum conditiones historicas in Ecclesia ab initio servatas ; quod etsi ex se solo ultimatum apodicticumque absolute loquendo non esset, polemice tamen efficacissimum erat adversus multiplices sectarum auctores, qui omnes de novo a semetipsis dogmatizare inceperant : « Hanc sapientiam, inquit Irenaeus l. 3, c. 2, (quam Paulus « loquitur inter perfectos), unusquisque eorum esse dicit, « quam a semetipso adinvenerit... Unusquisque enim ipsorum « omnino perversus, semetipsum, regulam veritatis depravans « praedicare non confunditur ». Utroque igitur argumento utebantur Patres, tam priores quam posteriores. Non enim soli posteriores, sed et vetustissimi, Ignatius, Irenaeus, Tertullianus paulo supra citati, summam rationem ex qua constet divinam doctrinam sincere et integre per successionis ordinem esse conservatam, ultimo revocabant *ad charisma*

« *nostrae coonfessionem transmittimus quid aliud in sancta Dei Ec-* « *clesia agimus, nisi arcam bituminc linimus, ne unda erroris intret?* - « Secundo, sicut solliciti erant tum singuli tum omnes simul episcopi, « ut fides singulorum consentiens fidei communi omnium esset te- « statissima, et diligenter cavebatur ne a fide communi quomodocum- « que dissidens particeps videretur communionis ecclesiasticae, ex « eadem ratione vigili studio curabant, ut de fide una episcoporum « in singulis sedibus sese excipientium certo constaret. Hinc series « episcoporum orthodoxorum in diptychis singularum ecclesiarum « descripta diligentissime servabatur, reiectis iis qui defectionis a « fide universae Ecclesiae suspecti fuerant. — Tertio, si quando in « aliqua ecclesia novitas doctrinae contra communem traditam fidem « serpere coepisset, episcopi erat, non solum eam comprimere, sed « etiam certiores reddere episcopos alios, et imprimis Pontificem Ro- « manum, ut communi sententia ubique damnatus error ab Ecclesia « arceretur. — Quarto, extraordinarium quidem, sed ubi periculum « novitatis imminentis id postulare videbatur, efficax praesidium « unionis et consensionis erant concilia episcoporum, vel ex provin- « ciis singularibus, vel ex universa Ecclesia orbis terrarum etc.

veritatis cum episcopatus successione communicatum, ad communicationem Christi, ad promissum et missum doctorem veritatis Spiritum Sanctum. Et similiter, non modo antiquiores, sed et posteriores, puta Athanasius (de decr. Nicaen. n. 27), Epiphanius (l. 1, Haeres. 27, n. 6), Optatus (l. 2 de schism. Don. n. 2), Augustinus (epist. 53, n. 2, etc.), aeque appellant ad sententiam a patribus ad patres transmissam, ad doctrinam ab initio traditam, ad continuam successionem sacerdotum in Ecclesia potissimum Romana, *quoniam per eam successionem*, verba sunt Epiphanii, *perpetuo manifestata veritas demonstratur.* Et ideo, a primo ad ultimum, non apparet vestigium oppositionis a Protestantibus pro necessitate causae fallaciter imaginatae. Ita fere Card. Franzelin, de Trad. thes. 10.

Sic igitur habes in traditione, vero et catholico sensu intellecta, regulam fidei certissimam. Sed, quia alia quoque regula Scriptura assignatur, ad considerationem habitudinis qua una se habet ad alteram, ipsa nos ducit rerum continuatio. Hinc tertia, quae iam sequitur, propositio.

§ 3.

Quod traditio regula fidei est, ordine tum temporis, tum cognitionis, tum comprehensionis, Scriptura prior, et ab ea in hoc vel maxime differens, quod non remota tantum regula exsistat, sed proxima etiam atque immediata, pro duplici sub qua accipi potest consideratione.

1. — In primis, nullius negotii est ostendere quod traditio antevertit Scripturam ordine chronologico. Id iam observare est in V. T. Neque enim ab initio mundi extiterunt Scripturae, et tamen ab initio fuit regula cui sancti Dei homines conformabant fidem suam. « Ab Adam usque ad Moysen « fuit ecclesia Dei aliqua in mundo, et colebant homines « Deum fide, spe, et charitate, et externis ritibus, ut patet « ex Genesi, ubi introducuntur Adam, Abel, Seth, Enoch

« Noe, Abraham, Melchisedech, et alii homines iusti. At nulla « fuit scriptura divina ante Moysen, ut patet..., quia in « Genesi non fit mentio doctrinae scriptae, sed solum tra- « ditae : *Scio*, inquit Deus Gen. XVIII-19, *quod Abraham « praecepturus sit filiis suis, et domui suae post se, ut custodiant « viam Domini*. Igitur annis bis mille conservata est religio « sola traditione.... Deinde a Moyse ad Christum, in ipso « populo Dei, etsi Scripturae exstarent, tamen magis ute- « bantur Iudaei traditione quam Scriptura, ut patet ex « Exod. XVIII-8, Deuter. XXXII-7, Iudic. VI-13, Psalm. « XLIII-1, LXXVII-5, Eccli. VIII-11 » (1). In quo etiam solutio est vulgaris difficultatis, quare in libris Mosaicis tam pauca occurrant de futura vita, et de praemiis vel poenis in ea constitutis, et universim loquendo, de multis veritatibus quae habentur ut fundamenta vitae moralis ac religiosae. Solutio namque magna ex parte hinc repetitur, quod Scriptura superveniens supponebat antecedentem regulam traditionis, eamque relinquebat in pleno suo robore, plenoque vigore semper manentem. At forte aliter putas contigisse in oeconomia N. T. ? Imo vero, in N. T. eadem traditionis praecessio luculentioribus etiam factis demonstratur, siquidem omnia originum christianarum monumenta ostendunt ecclesias sine Scripturis ab apostolis primum fundatas, propriamque iam agentes vitam. Nondum scripserat Matthaeus, et iam *Ecclesia per totam Iudaeam et Galilaeam et Samariam aedificabatur ambulans in timore Domini*, (Act. IX-31). Nondum Marcus, et iam erat ecclesia Romana, *cuius fides annuntiabatur in universo mundo*, (Rom. 1-8). Nondum Ioannes, et iam totas Asiae fundaverat et regebat ecclesias, ut scribit Hieronymus in l. de script. eccles. Ad ecclesias quoque iam exsistentes dirigebantur omnes epistolae apostolicae, quemadmodum ex ipsis earum inscriptionibus satis superque liquet. Denique, non ad scriptum aliquod instrumentum appellabat Paulus, cum dicebat ad Galatas, quos quidam

(1) Bellarm. l. 4. de verbo Dei. c. 4.

a recta via evangelii subducere conabantur : *Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit,* (Gal. I-9). Et ad Corinthios : *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, praecepta mea servatis.* Et rursus : *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur,* etc. Dicendum itaque quod ab initio praeexstitit sola regula traditionis, et quod subsequens Scripturae accessio non ea esse potuit quae fundamentale conservandae et propagandae doctrinae revelatae medium semel pro semper in Ecclesia constitutum everteret, sed quae ei subordinaretur et deserviret etiam magis.

2. — Sed etiamsi regula Traditionis regulam Scripturae non antecederet ordine temporis, semper tamen ordine cognitionis. Et sane, traditio innotescit ut regula fidei, per ipsissima argumenta quibus religionis christianae seu catholicae Ecclesiae innotescit credibilitas. Ex quo enim demonstrasti revelatam esse Ecclesiam catholicam tanquam a Deo institutam, uno eodemque argumento demonstrasti fuisse a Deo positum organum illud perpetui semperque audiendi magisterii quod in eiusdem Ecclesiae basi ac fundamento est. (1). Demonstrasti praedicationem huius magisterii ordinatam esse divinitus, ut cui in sempiternum conformari debet credentium fides. Demonstrasti ergo traditionem in ratione regulae fidei obligatoriae, siquidem praedicatio ecclesiastica et traditio authentica de qua nunc nobis sermo; secundum rem convertuntur, ut ex hactenus dictis clarum apertumque est. Nec refert quam methodum, quemve processum adhibueris in demonstratione verae religionis : an scilicet argumentandi principium sumpseris ex divinis notis quae Ecclesiae insunt, eique inseparabiliter inhaerent, an potius ex historicis monumentis missionis, adventus, et operis Iesu Christi, iuxta duplicem normam in Concilio Vaticano, Sess. 3, cap. 3 indicatam (2). Semper enim, et eodem modo, est et manet demonstrata ipso facto regula Traditionis.

(1) Cf. prooemium secundae partis tractatus de Ecclesia.
(2) Enchir. n. 1642.

At non ita est de Scriptura Sacra. Absoluta enim initiali illa demonstratione quae in praeambulis fidei, seu in theologia (ut vocant) *fundamentali* instituitur, adhuc, per se loquendo, ignotum tibi omnino est utrum sint, necne, scripturae a Deo inspiratae. Nam licet nullae tales exsisterent, eadem invariata essent principia demonstrationis; eadem quoque adaequata conclusio ad quam principia ista ducunt. Quod si forte in demonstrationis decursu, tractando historicum monumentum revelationis quam nobis attulit Iesus Christus, incideris in ea Christi testimonia quibus confirmatur fides Iudaeorum circa *Legem et Prophetas*, concomitanter quidem, et velut per accidens potuit tibi advenire cognitio earum Scripturarum V. T., quae protocanonicae appellantur, de Scripturis autem quae propriae sunt Novo Testamento, adhuc nihil scis, praetereaque nihil. Et si de his quoque, imo de his praesertim, idoneum testimonium extra authenticam Traditionem quaeras, non est ubi invenias nisi in scriptis apostolicis. Sed praeterquam quod cognitio auctoritatis apostolorum ut organorum promulgandae revelationis, supponit iam cognitam regulam Traditionis quae ab eis tota decurrit: quid, quaeso, in scriptis apostolicis invenies de inspiratis N. T. scripturis, formaliter qua inspiratis? Nihil omnino praeter notum illud incisum secundae Petri, III-16, de Pauli epistolis. Atqui epistolae Pauli non sunt omnes, imo nec praecipuae scripturae N. T. Insuper, quaenam fuerint tempore quo scribebat Petrus, editae iam epistolae Pauli, incertum forsitan quis dicere posset. Denique, haec ipsa secunda Petri epistola ab iis praecise qui a scriptis documentis unice pendere profitentur, ut suppositiitia et non genuina reiicitur. Omnibus igitur modis, biblicum systema Protestantium in aëre pendulum apparet, basi ac fundamento carens. Nec male comparatum est systemati mundi in cosmogonia Indorum, qui adstruunt universum instar elephantis ponentis pedes super quatuor testudines, quin dicant quid illud sit in quo testudines ipsae nituntur. At nos, ex organo traditionis cui a Christo commissum est munus docendi omnem veritatem,

iure meritoque accipimus veritatem revelatam integri canonis Scripturae inspiratae, ut sic, per Traditionem Scriptura innotescat, sitque eo ipso, ordine cognitionis posterior.

3. — Hinc ulterius efficitur, Traditionem antecedere Scripturam ordine etiam comprehensionis, pro quanto scilicet, non in Scriptura, sed in Traditione, revelata doctrina fuit vera quadam ratione integraliter deposita. — Dico, non in Scriptura : tum quia, ut mox praemissum est, nequidem veritas de Scriptura ipsissima, id est de catalogo librorum qui ut sacri sunt recipiendi, in ea continetur ; tum quia ipsamet nos pluries remittit ad Traditionem, ut ad fontem quorumdam dogmatum quae scripta non sunt, quemadmodum ex 1 Cor. XI-2, 2 Thess. II-14, 2 Tim. I-13, 3 Ioan. 13, ostendit Bellarminus (1) ; tum denique quia vel sola scriptio librorum N. T., quam superius vidimus ex contingentibus circumstantiis occasionatam, luculentum signum est quo palam fecit Deus, non fuisse sui consilii, ut in libris sacris plenum haberemus et adaequatum revelatae veritatis depositorium. - At contra, eiusmodi depositorium dives in Traditione iure meritoque agnosces. Ipsa enim est, quae primitivum, principale, ac primarium doctrinae instrumentum a Christo posita fuit. Ipsa, cui ex consequenti concredita est et Scriptura ; concredita, inquam, non solum in ordine ad notificationem eius quod pro scriptura a Deo vere inspirata est accipiendum, verum etiam in ordine ad notificationem sensus qui absque intelligentiae clave, aut clausus remanet, aut incertus (2). Unde sequitur quod in deposito *tradito*, aliquo vero modo continetur etiam revelatio scripta ; et si *etiam* revelatio scripta, ergo tota de integro revelatio.

Sic igitur, traditio est regula fidei omnibus modis prior : tempore, cognitione, comprehensione. Ultimo quaeres : an remota regula, vel proxima ? Dico autem : et remota et proxima, sub alia atque alia consideratione.

(1) De verbo Dei, l. 4, c. 5.
(2) Iren. 4, c. 26, Tertull. Praescript. c. 19-21.

4. — Et sane, indesinens illa, et per saeculorum decursum perseverans usque ad nos Ecclesiae praedicatio, duobus modis accipitur. Primo quidem, in interpositis antecedentium aetatum annulis a quibus pendet, et quibus mediantibus semper continuatur cum praedicatione eorum qui primi et immediati fuerunt verbi revelati promulgatores. Deinde vero, secundum se absolute, in qualibet seorsum designata temporis differentia. Primo igitur modo, praedicatio ecclesiastica est traditio sub praecisa ratione *transmissionis doctrinae revelatae quasi de manu in manum inde ab apostolis*, seu traditio reduplicative ut per indisruptum canalem e fonte a saeculis decurrens, et sub hac consideratione non est plus quam *remota* fidei catholicae regula. Sic enim innotescit tantummodo per investigationem monumentorum praeteritae aetatis, id est per studium operum quae ex antiquitate relicta, in cognitionem ducunt sententiae, professionis, ac fidei quae olim erat circa doctrinam christianam, vel ex integro, vel in singulis capitibus spectatam. Et si nonnisi mediante investigatione et processu scientiae theologicae proprio cognoscitur quoad ea quae continet dogmata, ergo regulae proximae rationem nec habet nec habere potest. Quare veniendum est ad praedicationem ecclesiasticam, non amplius consideratam in cohaerentia continuae successionis a prima revelationis origine, sed absolute in sui exercitio pro hoc signato nunc temporis. Quo sub respectu, semper quidem traditio est, quatenus semper tradit id quod explicite vel implicite accepit a maioribus, sed iam est traditio sub praecisa formalitate *auctoritativi magisterii diserte proponentis et explicantis id quod credere necesse est secundum decurrentem inde ab apostolis revelationem*. Et sic etiam, regula est fidei *proxima* atque immediata, quae cum infallibili ac semper vivente Ecclesiae catholicae magisterio, formaliter ut magisterium est, adaequate convertitur.

At vero, quocumque modo traditionem sumas, sive ut regulam proximam, sive ut remotam, id accurate notatum velim: Authenticum eius organum non fuisse a Christo

institutum ad conservandum vel proponendum materiales et inertes formulas, sed verum sensum revelatae veritatis, ac per hoc, munus infallibiliter transmittendi, custodiendi, et proponendi fidei depositum, inseparabile esse a munere infallibiliter quoque definiendi, declarandi, et explicandi id quod in eo continetur. Nunc autem, si traditio est non solum conservativa, verum etiam explicativa totius verbi Dei, tam scripti quam non scripti, profectus aliquis in ea per saeculorum decursum procul dubio est agnoscendus : eiusmodi tamen profectus qui immutabilitati dogmatis in nullo contradicat, nihilque prorsus detrahat de ratione *depositi*, in quo nec mutari quidquam licet, nec minuere, nec addere. Et iam operae pretium erit, si hoc ipsum in conclusione praesentis capituli paulo amplius declaremus.

§ 4.

Quod ex hactenus dictis consequitur, traditionem habere quidem pro decursu temporis evolutionem quamdam, sed coniunctam cum omnimoda immutabilitate et consensione in eodem semper dogmate, eademque sententia : ita scilicet, ut ad traditionalis sensus inquisitionem quod spectat, speciales regulae, eaeque longe diversae ab iis quae scientiam historicam regunt, iure meritoque fuerint a Patribus praestitutae.

Expositionem igitur veri ac genuini conceptus traditionis absolvere placet, ponendo in conspectu ea quae ex hactenus dictis, aut consequuntur aut non consequuntur. Et ne libera nobis tribuatur divagandi facultas, ab iis quae non consequuntur, exordiendum.

In primis, nequaquam consequitur quod omnes veritates ad depositum fidei pertinentes, uno et eodem modo esse debuerunt in primitiva praedicatione apostolorum, uno quoque et eodem modo in consecutiva traditione, pro quovis stadio et quavis temporum differentia. Aliud enim est, res omnes fidei et morum quibus christiana doctrina constat,

ab initio et semper sub infallibilitatis charismate esse transmissas ; aliud vero, omnes fuisse semper propositas aeque explicite (1), aeque expresse (2), aeque enucleate (3). Nam id quidem nihil commune habet cum indefectibilitate a norma veritatis, ut in terminis evidens est, praeterquam quod tam plenaria, statim ab initio, totius doctrinae propositio vix fuisset connaturaliter possibilis, et aliunde erat eo minus necessaria, quod simul cum deposito dogmatum, charisma Spiritus Sancti pro eorum explicatione secundum occurrentes singularum aetatum necessitates, ad successores apostolorum ex Christi promissione et institutione transibat. Recole ea quae paulo supra praemissa sunt de duplici munere custodum et doctorum fidei in corpore praepositorum accurate considerando.

Porro, si ex infallibilitate traditionis minime consequitur, omnes et singulas indiscriminatim veritates ad fidei

(1) « In praedicatione apostolica poterant proponi aliqua univer-« salia in quibus continerentur implicite singularia progressu tempo-« ris ortis dubiis explicanda per magisterium Ecclesiae. Sic suf-« ficiebat doctrina de necessitate gratiae ad omne opus bonum in via « salutis, ut adversus semipelagianos postea definiretur eadem neces-« sitas ad initium fidei. Poterant contineri complexa, ex quibus expli-« canda essent elementa constituentia: Christus et Deus et homo; « unde orta necessitate, definiri poterant multa de utraque natura. « Suprema est potestas Petri, ut visibilis fundamenti Ecclesiae et « centri unitatis; unde explicanda multa iura et officia in particulari ». Franzelin, *De Trad.*, thes. 23.

(2) « Poterant aliqua dogmata proposita esse magis usu practico « et consuetudine ecclesiarum, quam diserta doctrina et instanti prae-« dicatione, quorum diserta praedicatio vel solemnis definitio progressu « temporis fieret necessaria. Cuiusmodi exempla prostant luculenta « in controversia de potestate valide conficiendi sacramenta extra « Ecclesiam, et in historia canonis librorum sacrorum ». Id., ibid.

(3) « Poterant in praedicatione apostolica contineri aliqua sim-« plicius enuntiata, quorum declarationem strictiorem in directa op-« positione ad certam quamdam errorum formam ipsae exortae post-« modum haereses reddebant necessariam. Inde a Patribus et Conci-« ciliis definitus modus loquendi, et statutae formulae ecclesiasticae « velut tesserae fidei ». Id., ibid.

depositum obiective pertinentes, debuisse omni tempore in candelabro Ecclesiae elucere quoad distinctam atque explicitam notarum suarum perspicuitatem : neque etiam consequitur, nullas esse potuisse, circa quas aliquando extiterit intra ipsum unitatis et communionis catholicae gremium, aut sensuum aut opinionum diversitas. « Revera, esse tales « aliquas veritates, demonstratur ex omnibus illis Concilio- « rum vel Pontificum definitionibus, quae declarabant tamquam « veritates fidei, eas doctrinas de quibus ante definitionem « doctores catholici absque dispendio fidei et communionis « diversas sequebantur sententias, in hoc insuper consen- « tientes, quod eas doctrinas ad depositum fidei sufficienter « manifestatum, nondum pertinere faterentur. Colligitur idem « etiam inde, quod adhuc nunc plures sunt quaestiones theo- « logicae minime definitae, quae tamen versantur circa « sensum aliquot capitum doctrinae revelatae ita, ut « ex eiusdem revelatae doctrinae analysi solvi, atque adeo « ab infallibili magisterio definiri posse videantur. Hinc « sunt apud Patres distinctiones inter *substantiam fidei quae « una est apud omnes, et inter quaestiones profundioris intel- « ligentiae,* (Iren, l. 1, c. 10, n. 23). Inter ea, *quae mani- « festissime in ecclesiis praedicantur, quae definita sunt in « ecclesiastica praedicatione, de quibus totius Ecclesiae una est « sententia,* et alia *quae sunt adhuc inquirenda de sacra Scri- « ptura, et sagaci perquisitione investiganda, quae non mani- « feste discernuntur, quae non satis manifesta praedicatione « distinguuntur, quae non sunt evidentia in ecclesiastica prae- « dicatione* (Origen., de princip. in praefatione). Distinguitur « in Christianorum doctrina inter *regulam fidei quae apud « nos nullas habet quaestiones, et illud quod salva fidei regula « potest in quaestionem venire* (Tertull., Praescript. c. 13). « Aliud est *quod ad ipsa fidei pertinet fundamenta, et alia « sunt in quibus inter se aliquando, etiam doctissimi et optimi « regulae catholicae defensores, salva fidei compage, non con- « sonant, et alius alio de una re melius aliquid dicit et verius* « (August., lib. 1 contr. Iulian,.c. 6). Distinguitur *error fe-*

« *rendus in quaestionibus non diligenter digestis, nondum plena Ecclesiae auctoritate firmatis, et error non ferendus, qui* « *ipsum Ecclesiae firmamentum quatere molitur* (August., Serm. « 294. n. 4). Distinguitur denique *portiuncula aliqua fidei* « *nostrae minus lucide clara, et illud quod Dominus neminem* « *in Ecclesia sua voluit ignorare* (Leo M., epist. 30 ad Pul- « cheriam, c. 2) ». In summa : Quolibet tempore fuerunt quaedam ulteriores doctrinae revelatae determinationes, quae plus minusve obscure in tradito ab apostolis deposito contentae, et plena adhuc luce diligentis inquisitionis non illustratae, nondum transierant in proximam fidei regulam seu sufficientem ecclesiastici magisterii propositionem. De quibus proinde potuit aliquando non esse concors sententia in gremio unitatis, ante terminatam auctoritate Ecclesiae controversiam (1). Neque in hoc quidquam videre est, quod quolibet modo praeassertae infallibilitati traditionis opponatur.

Sed nunc, alia sunt quae ex promissa in finem usque assistentia Dei omnimoda necessitate consequuntur. Et primo quidem consequitur impossibile esse, ut opinio quaepiam a quovis homine vel privato doctore originem ducens, obtineat unquam communem consensionem tanquam in fidei doctrinam, et praevaleat in Ecclesia sub ementito nomine divinae traditionis. De qua re exemplum habes in opinione millenariorum, quae a Papia primum ex nimia eius simplicitate introducta, et propter reverentiam viri qui cum apostolis conversatus fuerat, a nonnullis etiam illustrioribus secundi et tertii saeculi patribus recepta et evulgata, mox habuit contra se consentientem sententiam omnium, et a saeculo quarto ac deinceps, communi calculo inter fabulas fuit amandata (2).

Consequitur secundo, necesse e contra esse, ut si quod doctrinae punctum, obscurius primum in professione universalioris cuiusdam principii retentum, vel usu potius pra-

(1) Franzelin, de Tradit., Thes. 23.
(2) Id. ibid.

ctico quam expressa et formali praedicatione conservatum, inceperit deinde venire in controversiam quoad suam a divina traditione originem, diversis diversa opinantibus et inter se etiam concertantibus, donec tandem quaestione eliquata, fuerit ad robur pleni consensus perductum : consequitur, inquam, necesse omnino esse ut eiusmodi doctrina vere sit de genuino atque authentico deposito cuius est custos Ecclesia. Idque profecto propter praelaudatam illam Dei providentiam quae traditionem a recto tramite aberrare non permittit, propter illud *charisma veritatis certum* de quo loquitur Irenaeus l. 4, c. 26 ; propter paraclitum *doctorem veritatis qui non sinit ecclesias aliter intelligere, aliter credere*, quam ab apostolis acceperint, ut Tertullianus ait Praescript. c. 28 ; propter Spiritum Sanctum inhabitantem Ecclesiam, *ne eat in errorem quemlibet studiosissima inquisitio*, ut dicit Augustinus in Ps. 9, n. 12, et alibi saepissime.

Consequitur tertio, quod quidquid ab organo traditionis praedicatur ut dogma, id quidem est non modo infallibiliter verum veritate a Deo revelata, sed etiam immutabiliter propositum fidei omnium sequentium saeculorum in eo ipso sensu in quo fuit ab initio praedicatum. Praedicatio enim, sicut veritas, in sensu est, non in verbis, et hoc proprium haereticorum est, invehere sub verbis et formulis catholicae traditionis, sensus diversos ab iis quos stabilitos fixosque in Ecclesia invenerunt. Nam et Sabellius Trinitatem retinebat sed nominalem. Et Arius confitebatur Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, sed tanquam tres diversae substantiae hypostases, non autem unius summae et individuae et creatricis essentiae. Et Nestorius unam Dei et hominis in Christo personam praedicabat, sed ita ut non secundum subsistentiam unitum carni Verbum ediceret. Et Pelagius divinam gratiam asserebat, sed intelligendo per gratiam liberum arbitrium, quod utique in suo ordine gratuitum etiam Dei donum est. Et Berengarius sacramentalem praesentiam concedebat, sed mysticam, non realem, secundum symbolicam repraesentationem, non secundum substantiae veritatem.

Et sic de caeteris, quibus id semper commune fuit, ut novo sensu contra sensum catholicum invecto, segregarent semetipsos, ipsoque facto in errorem inciderent, quoniam sensus ille a quo receditur, immutabiliter verus est. Hinc est quod *falsa* doctrina in stylo Scripturae dicitur *alia* doctrina : « Rogavi te, inquit, « ut remaneres Ephesi..., ut denuntiares quibusdam ne *aliter* « docerent » (1). Et iterum : « Miror quod sic tam cito tran- « sferimini in *aliud* evangelium, quod non est aliud, nisi sunt « aliqui qui vos conturbant et volunt convertere evangelium « Christi » (2). Quocumque enim tempore de dogmate fidei dicetur aliud ac quod de eodem dogmate dicebatur prius, habebitur *heterodoxia* per oppositionem ad *orthodoxiam*, et omnis haeretica sententia facile et sine discussione cognoscetur sola innovatione, quatenus sensum inducet diversum a sensu sancito in traditione et praedicatione eorum quibus dixit Christus : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. Caeterum, frustra provocabunt ad Scripturas. Iure enim meritoque reponet Tertullianus quod Scripturae non formaverunt ecclesias, sed ad ecclesias iam formatas directae sunt, ita ut per prius inspiciendum sit, cuius sint Scripturae, et apud quos resideat clavis interpretationis earumdem (3). Frustra iterum appellabunt ad sublimiorem gnosim, altioremque intelligentiam. Nam et hunc gnosticorum praetextum excludebant vetustissimi Patres, ostendendo viam regiam contra haereses, antiquam Ecclesiam quae omnes sectas antecedit, et vidit eas segregantes se. Istae sunt scholae *in quibus disputatur*, haec sola veri nominis Ecclesia *in qua Deo creditur*. Qui ergo sub quovis praetextu contra traditionem Ecclesiae insurgit, novis sensibus adinventis, iste desiit esse fidelis, et a tranquillo portu divinae veritatis in tempestuosum mare humanarum opinionum reiicitur (4). Frustra denique causabunt longitudinem elapsi temporis a primis

(1) 1 Tim. I-3.
(2) Gal. I-7.
(3) Tertull. Praescript. c. 19-37.
(4) Clem. Alex. l. 7 Strom c. 17.

originibus, quia valeret forsitan exceptio, si immutabilitati traditionis in eodem sensu eademque sententia aliud fundamentum esset quam Christi assistentia et Christi promissio. Nunc autem eodem modo in omni tempore idem argumentum valet, eademque semper firmitate a posterioribus Patribus contra novatores opponebatur, qua ab anterioribus. « Itaque « dicitis : Praedicatum est evangelium in omnibus gentibus, « credidit mundus, facta est Ecclesia, crevit, fructificavit, sed « imperitia male intelligentium postea erravit, et periit ; « in nobis solis et in his qui nos sequuntur sancta in terris « Ecclesia remansit. Hanc sacrilegam vanitatem evertit « evangelica veritas, et prophetarum atque sanctorum Pa- « trum non violanda auctoritas. Unde Ecclesiae suae sanctae « in evangelio suo Dominus pollicetur dicens : *Ecce ego vobi-* « *scum sum omnibus diebus usque in consummationem saeculi...* « Falsum igitur est quod de corpore Christi a te creditur « et astruitur » (1).

Consequitur denique quarto, quod cum de illis dogmatibus agitur, in quibus totius religionis christianae summa consistit, quaeque idcirco statim ab Ecclesiae initio formaliter explicite ut dogmata proposita sunt, non potest esse negotium multi laboris, theologica demonstratio per argumentum a traditione. Sed quatuor regulas tibi dabit Augustinus, quae rem totam maxime simplificant. Prima regula est, quod non erit utique necesse discutere singillatim testimonia Patrum, si quando traditio constet actis publicis, authenticis, et universalibus, cuiusmodi ex. gr. sunt in materia peccati originalis, baptismus infantium in remissionem peccatorum, necnon et exorcismi qui iuxta Ecclesiae ritum fiunt super illos (2). Secunda regula est, quod si ex specialibus

(1) Lanfrancus, de corp. et sang. Domini, c. 23.

(2) August. l. 1 c. Iulianum, n. 14; l. 6, n. 11. et alibi saepe. — « S. Augustin a démontré dans tous les endroits que nous avons rap- « portés et en beaucoup d' autres, que cette pratique de l' Eglise « était suffisante pour établir le péché originel. Il attaque Julien per- « sonnellement par cet endroit. Etant fils d' un saint homme qui fut

testimoniis res decidenda sit, iure meritoque contentus esse poteris testimonio vel solius ecclesiae occidentalis. Et ratio affertur, non solum quia speciale est huius ecclesiae privilegium propter sedem apostolicam quam in sinu suo habet, et cum qua magis de proximo cohaeret, verum etiam, et praesertim, quia in fide Latinorum satis iam elucet fides Orientalium, cum et ipsi utique christiani sint, et utriusque partis terrarum una christiana fides traditioque exsistat (1). Tertia regula, eaque praecedenti valde affinis : Quod sive ex latinis sive ex graecis auctoritates afferre velis, non opus est citare auctores multos, sed unus vel alter doctor fama

---

« depuis élevé à l' épiscopat, il est à croire qu' il avait reçu dès son « enfance tous les sacrements ordinaires. Dans cette présupposition « S. Augustin lui dit: *Vous avez été baptisé étant enfant, vous avez été « exorcisé, on a chassé de vous le démon par le souffle. Mauvais enfant ! « Vous voulez ôter à votre mère ce que vous en avez vous-même reçu, et « les sacrements par lesquels elle vous a enfanté*... De cette sorte la tra- « dition était fondée sur des actes incontestables, avant même qu' on « fût obligé d' entrer dans la discussion des passages particuliers, « et ainsi cette discussion n' était pas absolument nécessaire ». Bossuet, Défense de la Tradition, l. 8, c. 2.

(1) August. l. 1 c. Iulian. n. 13-14; l. 6, n. 22, etc. — « Le second « principe de S. Augustin: Quand par abondance de droit, on voudra « entrer dans cette discussion particulière, il y a de quoi se contenter « du témoignage de l' église d' Occident. Car sans encore présupposer « dans cette église aucune prérogative qui la rende plus croyable, « c' est assez à S. Augustin qu' il fût certain *que les Orientaux étaient « chrétiens, qu' il n' y eût qu' une foi dans toute la terre, et que cette foi « était la foi chrétienne*. D' où ce Père concluait *que cette partie du monde « devait suffire à Julien* pour le convaincre: non qu' il fallût mépriser « les Grecs, mais parce qu' on ne pouvait présupposer qu' ils eussent « une autre foi que les Latins sans détruire l' Eglise en la divisant. « Cependant S. Augustin insinuait le manifeste avantage de l' église « latine... C' était l' honneur de l' Occident d' avoir à sa tête et dans « son enceinte le premier siège du monde. S. Augustin ne manquait « pas de faire valoir en cette occasion cette primauté, lorsque citant, « après tous les Pères, le pape S. Innocent, il remarquait *que s' il était « le dernier en âge, il était le premier par sa place, posterior tempore, « prior loco*. Le premier par conséquent, en autorité. C' est pourquoi,

et auctoritate praecipuus sufficit ut in eo sensus aliorum percipiatur, idque iterum propter unanimitatem Ecclesiae uno spiritu et una traditione ductae. Et hoc est quod etiam notavit Lirinensis in secundo Commonitorio n. 30, ubi postquam enumerasset decem illos Patres quorum testimonia recitata sunt in Concilio Ephesino, pergit : « Hi sunt igitur « omnes apud Ephesum sacrato decalogi numero magistri, « consiliarii, testes, iudicesque producti ; quorum beata illa « Synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens te- « stimonio, obediens iudicio, absque taedio, praesumptione, « et gratia, de fidei regulis pronuntiavit. Quanquam multo « amplior maiorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse « non fuit, quia neque multitudine testium negotii tempora « occupari oportebat, et decem illos non aliud vere sensisse « quam caeteros omnes collegas suos nemo dubitabat » (1).

« dans la suite, récapitulant ce qu' il avait dit, il le met à la tête de « tous les Pères qu' il avait cités; à la tête, dis-je, de S. Cyprien, de « S. Basile, de S. Grégoire de Nazianze, de S. Hilaire et de S. Ambroise, « sans nommer les autres qui étaient compris dans ceux-ci... C' est « donc le second principe de S. Augustin, que l' autorité de l' Occi- « dent était plus que suffisante pour autoriser un dogme de foi ». Bossuet, ubi supra, c. 3.

(1) August. l. 1 c. Iulian n. 15-16. — « Le troisième principe : « Pour en venir aux Orientaux, que S. Augustin n' estimait pas moins « que les Latins: c' est que pour en savoir les sentiments, il n' était « pas nécessaire de citer beaucoup d' auteurs. Il se contente d' abord « de S. Grégoire de Nazianze, *dont les discours*, dit-il, *célèbres de tous « côtés par la grande grâce qu' on y ressent, ont été traduits en latin*. « Et un peu après: *Croyez-vous*, dit-il, *que l' autorité des évêques orien- « taux soit petite dans ce seul docteur ? Mais c' est un si grand person- « nage, qu' il n' aurait point parlé comme il a fait, s' il n' eût tiré ce qu' il « disait des principes communs de la foi que tout le monde connaissait, « et qu' on n' aurait pas eu pour lui l'estime et la vénération qu' on lui « a rendue, si l' on n' avait reconnu qu' il n' avait rien dit qui ne vînt « de la vérité que personne ne pouvait ignorer*. Voilà comment, loin de « diviser les auteurs ecclésiastiques, S. Augustin faisait voir que ne « ne pouvant pas être contraires dans une même foi, un seul docteur, « éminent par sa réputation et par sa doctrine, suffisait, pour faire « paraître le sentiment de tous les autres ». Bossuet, ibid. c. 4.

Quarta tandem regula additur, quod unanimis sensus ecclesiae praesentis probatio est idonea sensus antiquitatis, quatenus habita cognitione eius quod nunc in Ecclesia tenetur, aliam fuisse fidem in saeculis praeteritis, cogitare nefas (1).

Haec porro posterior Augustini regula est, quae maxime ad rem nostram facit, pro quanto scilicet adstruit, sensum ecclesiae coaevae circa religionis nostrae dogmata, signum esse certissimum sensus nequaquam diversi quem circa eadem habuit antiquitas. Unde in eo puncto tanquam in ultima consequentia praemissorum de infallibilitate traditionis consistere placet. Et si quidem praescindamus ab ulterioribus illis fidei determinationibus quae nonnisi decurrente tempore, ut supra notatum est, in eliquata dogmata transierunt, (quia consideratio ista longius nos a proposito nostrae intentionis abduceret), sed iterum de illis solis loquamur, quae christianae religionis summam constituunt, quae ad ipsam revelatae doctrinae pertinent fundamenta, quae Dominus neminem in Ecclesia sua voluit ignorare, quemadmodum supra citati aeibant Patres, statim patebit veritas conclusionis. Ista enim ab ipsis initiis fuerunt ut dogmata in traditione et magisterio Ecclesiae explicite proposita ; insuper, quidquid

(1) August. l. 1 c. Iulian n. 19-34. — « Pour juger des sentiments « de l' antiquité, le quatrième et dernier principe de S. Augustin est, « que le sentiment unanime de toute l'Eglise présente en est la preuve ; « en sorte que connaissant ce qu' on croit dans le temps présent, on ne « peut pas penser qu' on ait pu croire autrement dans les siècles pas- « sés. C' est pourquoi S. Augustin, après avoir fait à Julien la demande « qu' on vient de voir sur S. Grégoire de Nazianze et S. Basile : *En « voulez-vous davantage*, dit-il, *ne vous suffisent-ils pas ?* il ajoute : « *Mais dites qu' ils ne suffisent pas ;* poussez votre témérité jusque-là, « *nous avons quatorze évêques d' Orient, Euloge, Jean Ammonien*, et « les autres dont le concile de Diospolis en Palestine avait été composé, « qui auraient tous condamné Pélage, s' il n' avait désavoué sa doctrine, « qui par conséquent l' avaient condamné et tenaient la foi de tout « le reste de l' Eglise, et qui servaient de témoins, non seulement de « la foi de l' Orient, mais encore de celle de tous les siècles passés ». Ibid. c. 5.

semel proponitur in traditione ut dogma, id necessario manet, in eodem semper sensu et traditum et creditum. Ergo necesse est ut is sensus de facto adhuc retineatur, qui firmiter tenebatur a principio, ac per hoc, esse prorsus non potest, ut qui orthodoxorum Patrum nomine apud nos veniunt, quique ut tales semper in Ecclesia habuerunt auctoritatem, aliud unquam in re ipsa senserint quam quod hodiedum a nobis et creditur, et docetur, et inviolabilis instar depositi posteris commendatur.

At nunc occurrunt neocritici causantes nihil praevalere contra factum positivum. Inveniuntur autem multi antiqui Patres qui de facto aliter ac nos senserunt de dogmatibus religionis etiam primariis, velut de trinitate, de incarnatione, de peccato originali, de gratia, aliisque eiusmodi. Nam, aiunt, antenicaeni expresserunt processionem Filii et Spiritus Sancti iis modis qui exhibent ideas falsissimas et a nostris plane diversas, utputa tritheismi, inaequalitatis personarum, imo vero corporeae deitatis. Iidem veteres usque ad Cyrillum Alexandrinum inclusive, non rectius sentiunt de incarnatione quam sensit postea Eutyches, et nonnisi post longas contentiones delineatum videmus dogma antea informe unionis hypostaticae. Plerique etiam ante Augustinum veri pelagiani sunt, aut certe semipelagiani. Chrysostomus caeterique graeci de peccato originali nihil sciunt, etc. etc. Sic nunc opinantur critici nostri, qui tamen nihil novi afferunt, sed vestigiis insistunt Socinianorum et Calvinistarum, facili eruditione loca patristica quibus illi utebantur, colligentes apud Petavium, vel apud Bossuetium in suis operibus polemicis contra Jurieu et Richardum Simon (1). Caeterum,

(1) « Les manières dont nous avons vu que les anciens ont exprimé « la génération du Fils de Dieu, et son inégalité avec la Pére, donnent « des idées très fausses et très différentes des nôtres... Chacun sait « combien ce mystère (de la Trinité) demeura informe jusqu' au pre- « mier concile de Nicée... Les anciens docteurs, et surtout ceux du « troisième siècle, et même ceux du quatrième, ont confondu le Fils « et le S. Esprit; ils nous ont fait un Dieu converti en chair, selon

undecumque suam eruditionem comparaverint, id saltem indubium est, methodum interpretationis apud eos methodum esse protestanticam, quae nimirum eodem ac illa vitio laborans, ad easdem quoque erroneas conclusiones ducit. Porro, antequam vitium istud, quod et quale sit, dilucide appareat, considerare oportet id quod ansam dedit vulgatis iam opinionibus quibus veteres Ecclesiae Patres tanquam de heterodoxia notantur, ut statu causae recte praestabilito, causa ipsa solutionem aequi iudicii habere possit. Ad hoc igitur pertinebit capitulum sequens.

« l' héresie qu' on a attribuée à Eutychès, et ce n' est que par la voie « de longues contentions, qu' enfin cette vérité (de l' incarnation) « est arrivée à la perfection... La grâce qu' on regarde aujourd' hui « comme l' un des plus importants articles de la religion chrétienne, « était entièrement informe jusqu' au temps de S. Augustin. Avant « ce temps, les uns étaient Stoïciens et Manichéens, d' autres étaient « purs Pélagiens; les plus orthodoxes ont été semipélagiens ». Ita *Jurieu*, apud *Bossuet*. Premier avertissement sur les lettres de M. Jurieu.

CAPUT SECUNDUM

DE CAUSA APPARENTIUM OPPOSITIONUM IN TESTIMONIIS TRADITIONIS.

« Magis declinamus ad ea quae sunt opi-
« nabilia quam ad veritatem. Est enim illa
« austera, gravisque ».
(Clem. Alex. l. 7 Strom. c. 16).

Quod doctrina traditionis, etsi sit semper eadem, non ideo est semper eodem modo enucleata, limata, et expolita, sed accipit processu temporis, occasione praesertim insurgentium haeresum, plus evidentiae, plus luminis, plus praecisionis. Et quod generatim loquendo, tres sunt quoad singula dogmata status distinguendi: status simplicis fidei, status explicationis perfectae, et status intermedius, quando incipiebat transitus a simplici fide ad speculationem theologicam, et pro multiplici initiorum difficultate, adhuc erant expositiones minus exactae, et modi loquendi quandoque ambigui. Qui tamen reductionem ad sensum orthodoxum non compatiuntur modo, verum etiam requirunt, si ratio habeatur propriorum principiorum quibus regi debet exegesis patristica.

§ 1.

Dicit S. Thomas in prologo opusculi *contra errores Graecorum:* « Errores circa fidem exorti occasionem dederunt « sanctis Ecclesiae doctoribus, ut ea quae sunt fidei maiori « circumspectione traderent ad eliminandos errores exortos, « sicut patet quod sancti doctores qui fuerunt ante errorem « Arii, non ita expresse locuti sunt de unitate divinae essentiae,

« sicut doctores sequentes ; et simile de aliis contingit erro-
« ribus, quod non solum in diversis doctoribus, sed in uno
« egregio doctorum Augustino expresse apparet. Nam in suis
« libris quos post exortam Pelagianorum haeresim edidit,
« cautius locutus est de potestate liberi arbitrii, quam in
« libris quos edidit ante praedictae haeresis ortum, in quibus
« libertatem arbitrii contra Manichaeos defendens, aliqua pro-
« tul.t quae in sui defensionem erroris assumpserunt Pelagiani,
« divinae gratiae adversantes. Et ideo non est mirum si moderni
« fidei doctores post varios errores exortos, cautius et quasi eli-
« matius loquuntur circa doctrinam fidei ad omnem haeresim
« evitandam. Unde si aliqua in dictis antiquorum doctorum
« inveniuntur, quae cum tanta cautela non dicantur, quanta a
« modernis servatur, non sunt contemnenda aut abiicienda, sed
« nec etiam ea extendere oportet, sed exponere reverenter ».
Sic loco citato angelicus doctor, qui hanc doctrinam de-
sumpserat, sicut assolet, ab ipso Augustino : « Didicimus,
« inquit ille, de dono persev. n. 53, singulas haereses in-
« tulisse Ecclesiae proprias quaestiones contra quas diligen-
« tius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis
« necessitas cogeret ». Et alibi idem Augustinus notat quod
non oportet quaerere tam accuratum loquendi modum in
Patribus qui ante natas haereses scripserunt, ac in iis qui
postea advenerunt : tum quia nulla adhuc quaestione pulsati,
et in Ecclesia catholica bono sensu se intelligi arbitrantes,
securius loquebantur (1) ; tum quia materias nondum discus-
sas breviter et transeunter attingentes, immorabantur potius
in iis quae tunc adversus Ecclesiae inimicos disputabant,
necnon et in exhortationibus ad quasque virtutes quibus
Deo pro adipiscenda vera felicitate servitur (2). Et haec
quoque communis est responsio, non theologorum modo,
verum etiam Athanasii, Hieronymi, Lirinensis, et aliorum.
Haec est regula in theologia, et solutio difficultatum circa

(1) August. l. 1 c. Iulian. n. 22.
(2) Id. de praedest. SS. n. 27.

traditionem, cuius doctrina semper quidem eadem est, at non semper eodem modo clara et expressa. Accipit enim cum tempore, ut Lirinensis ait, *evidentiam*, *lucem*, *distinctionem* seu praecisionem, idque principaliter occasione haeresum de novo insurgentium. Nam ipsae sunt haereses, quae potissimam necessitatem creant scrutandi dogmata, enucleandi conceptus quibus constant, distincte proponendi notas quae in eis sunt discernendae, seiungendi modos intelligendi et significandi ab ipsis rebus intellectis et significatis, inveniendi etiam vocabula idonea quibus res altissimae apte exprimantur, uno demum verbo, perficiendi omnia quae ad theologicam explicationem pertinent, et nonnisi laboriosissima ac studiosissima inquisitione possunt obtineri (1).

Manifestum quippe est, aliam esse simplicem illam dogmatum notionem quae per simplicem quoque fidem retinetur, aliam vero notionem enucleatam, expolitam, elimatam, quam ad intelligentiam fidei quaerit theologus. Manifestum etiam, quod in speculatione theologica semper est aliquid faciens difficultatem, et aliquid faciens solutionem difficultatis. Ex

(1) Nota igitur quid distet inter hanc assertionem et positionem eorum qui dicunt quod haereses *initiaverunt* progressum; quod Montanistae initiaverunt ascetismum, Gnostici scientiam theologicam, sabelliani conceptionem catholicam Trinitatis, etc. Blasphemiae id quidem simile videtur. Itaque in haeresibus nihil plus quam causam *occasionalem* agnosces. Sicut Ariana haeresis locum dedit definitivae consecrationi vocabuli *consubstantialis*, quo omnis truncatur possibilitas intelligentiae perversae, et personarum distinctio in numerica essentiae unitate, tanta simplicitate, tantaque claritate exprimitur. Sicut haeresis Nestoriana necessitatem intulit expoliendi conceptus naturae, personae, subsistentiae, et unicuique sua assignandi nomina. Sicut Protestantes coegerunt nos ad confutandum eorum negationes cum maiori eruditione biblica; rationalistae ad ponendum in maiori luce revelationis argumenta, et sic de aliis. « Multa, inquit Augustinus de « Civ. Dei, l. 16, c. 2, ad fidem catholicam pertinentia, dum haere- « ticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi « possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et « instantius praedicantur; *et ab adversario mota quaestio, discendi « existit occasio* ».

quo accidere debuit ut ante laboriosum studium quod in unaquaque materia singulae haereses provocaverunt et necessarium fecerunt, catholici tractatores in certas ambiguitates caderent, quae apud posteriores amplius non inveniuntur (1). Sic ex. gr., Filius Dei Deus est, non secus ac Pater, et huius perpetuae fidei disertae sunt attestationes in omni tempore. Sed cum devenitur ad considerandum quod Deus est de Deo, Deus a Patre procedens, Deus genitus a Deo generante, sermo saepe confunditur. Antequam epuratus sit conceptus divinarum originum per duplicem remotionis et excellentiae viam, *atque in distinctam notionem subsistentium relationum eliquatus*, omnis explanatio mysterii manca erit et imperfecta. De ingenito et innascibili *videbuntur* loqui quasi haec innascibilitas contineret aliquid maioris perfectionis; de generatione divina, quasi haberet admixtam efficientiam, quam utique apud nos importat omnis actio generandi; de Deo genito, quasi genitus ille dependeret a suo principio, sicut in creatis dependet originatus a suo originante. Et haec imperfectio in modo exponendi et dicendi non omnino diluitur, nisi cum necessitas respondendi molestissimis haereticorum quaestionibus reducit mentes ad locutiones magis praecisas (2).

Idem quoque apparebit in dogmate incarnationis. Unus idemque filius Dei est et filius hominis, filius Dei ab aeterno,

(1) « Numquid enim perfecte de Trinitate tractatum est, ante« quam oblatrarent Ariani? Numquid perfecte de poenitentia tra« ctatum est, antequam obsisterent Novatiani? Sic non perfecte de « baptismate tractatum est antequam contradicerent foris positi re« baptizatores..., ut iam illi qui noverant haec tractare atque dissol« vere, ne perirent infirmi sollicitati quaestionibus impiorum, sermo« nibus et disputationibus suis obscura Legis in publicum deduce« rent ». August. Enarr. in Ps. 54, n. 22.

(2) « Inter multa quae Ariani adversus catholicam fidem solent « disputare, hoc sibi maxime callidissimum machinamentum propo« nere videntur cum dicunt: Quidquid de Deo dicitur vel intelligitur, « non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Diver« sum est autem ingenitum esse, et genitum esse. Diversa est ergo sub« stantia Patris et Filii ». August. l. 5 de Trin. c. 3, et alibi saepe.

filius hominis in tempore, qui manens id quod erat, incepit esse quod non erat. Haec est nuda et simplex fides. Sed cum devenitur ad considerandum quomodo advenerit humanitas, unione utique physica et substantiali, ei qui in forma Dei praeexistebat et manebat, non facilis occurret expositio, quae tota pendet ex enucleatis et expolitis conceptibus unionis in natura, unionis in persona, et formalium utriusque differentiarum. Quapropter, in initiali illo scientiae theologicae statu qui categoricas de unione hypostatica haereses antecessit, habito praesertim respectu ad difficultatem exprimendi ea de quibus nondum erat rata fixaque terminologia, non poterunt non inveniri quaedam, quae posteris iam eruditis scientia et solutionibus sequentium doctorum, videbuntur ambigua, et specie tenus inconciliabilia cum fide incontusae unionis divinitatis et humanitatis in uno Verbi supposito (1).

Idem rursus videbis de dogmate peccati originalis. Verum equidem ac proprie dictum peccatum est, sed peccatum sui generis, quod non univoce dicitur cum peccato omnibus notissimo. Peccatum, inquam, naturae, non personae; peccatum voluntarium non voluntate propria, sed voluntate solius capitis humani generis; peccatum quod a protoparente transit ad posteros, sed quoad maculam, non quoad actum, peccatum denique quod quodammodo dicitur alienum, et quodammodo nostrum: alienum proprietate actionis, nostrum contagione propaginis. Propterea infans recens natus aliquo sensu innocens est, et aliquo sensu peccator; propterea grande illud Adae peccatum quadantenus ad posteritatem transit, et quadantenus non transit; propterea demum, si ante ortam haeresim Pelagianorum, loca sunt patristica in quibus coruscat peccati originalis veritas, alia quoque erunt ubi videbitur doctrina confundi et aliqualiter obscurari (2).

(1) Cf. Petavium de Incarn. lib. 3. c. 2. Item Cyrillum Alex., epist. 39 ad Ioannem Antiochenum, (Migne, Patr. gr. Tom. 77, col. 174).

(2) Cfr. August. l. 1 c. Iulian. n. 22, seq. — Et l. 6, n. 24-28.

Nec aliter dicendum de dogmate gratiae, quia si gratia simpliciter praecedit meritum bonae voluntatis, adhuc tamen bona hominis voluntas praecedit multa Dei dona, et praesertim donum quo iusti efficimur et sumus : dum scilicet ipse homo excitanti gratiae libere assentiendo et cooperando, ad suam ipsius iustificationem sese debet disponere. Et ideo in sacris litteris non solum dicitur : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur*, verum etiam : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*. Ac per hoc, sicut invenies in scriptis veterum Patrum testimonia ubi infantes dicuntur esse sine peccato, sic invenies etiam alia ubi dicitur Deus dare gratiam eis quos invenit dignos, seu praeparatos ad recipiendum eam. Quod quidem quodammodo verum est, tametsi verum sit quod ope ipsius gratiae efficiuntur digni quicumque digni inveniuntur. Et hoc ultimum in eorumdem veterum doctrina non plane reticetur, quamquam non sit expositum cum ea claritate et praecisione, cum qua post diligens quaestionis examen dicebat Augustinus, totum esse Deo deputandum : « Qui hominis voluntatem bonam et praeparat adiuvandam, « et adiuvat praeparatam. Praecedit enim bona voluntas « hominis multa Dei dona, sed non omnia ; quae autem non « praecedit ipsa, in eis est et ipsa. Nam utrumque legitur « in sanctis eloquiis, et : *Misericordia eius praeveniet me*, et : « *Misericordia eius subsequetur me*. Nolentem praevenit ut « velit ; volentem subsequitur ne frustra velit. Cur enim « admonemur orare pro inimicis nostris, utique nolentibus « pie vivere, nisi ut Deus in illis operetur et velle ? Itemque « cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat « quod volumus, a quo factum est ut velimus ? Oramus « ergo pro inimicis nostris ut misericordia Dei praeveniat « eos sicut praevenit et nos ; oramus autem pro nobis ut « misericordia eius subsequatur nos » (1). Et sic est etiam de aliis.

Non ergo ex imperfectione explicationum vel ambi-

(1) August. Enchirid. c. 32.

guitate quarumdam assertionum concludere licet, vetustiores Patres fuisse quoad dogmata religionis nostrae in alio sensu aliaque sententia ac posteriores. Plane enim diversa occurrit solutio : Aut quod nondum adeo profecerant in penetratione et intima intelligentia revelatae veritatis, sicut illi qui post natas haereses in singulis materiis scripserunt ; aut quod intenti in uno errore confutando, de errore opposito solliciti non erant, (in quolibet enim dogmate inter oppositos scopulos inceditur, et facile in unum videtur offendere, quisquis in altero vitando omnem impendit curam) ; aut denique, quod locutiones per se loquendo ambiguas et minus castigatas absque adiecta declaratione quandoque usurpabant, nihil dubitantes quin illae catholico sensu a suis auditoribus intelligerentur et acciperentur. Hanc porro solutionem, non modo verosimilem esse et probabilem, sed imo unice veram et firmiter retinendam, diligentius nunc demonstrandum est.

§ 2.

Ut autem ordine quodam procedamus, per prius considerare oportet tres illos in thesi recensitos doctrinae status, secundum quos testimonia et lucubrationes Patrum ad tres pariter categorias commode possunt revocari.

I. – Primus est quem dicere possumus statum simplicis fidei. Hunc referunt imprimis epistolae vel confessiones antiquissimorum episcoporum et martyrum, in aurea illa aetate in qua adhuc primitias Spiritus habentes, et tamquam utres novi, pleni vino illo novo quod in Pentecoste effusum est, nondum habebant laboriosissimam occupationem quam dedit Deus filiis hominum ut occuparentur in ea, disputandi scilicet, et dialectizandi ; sed de thesauro cordis sui proferebant ingenuam doctrinam quam ab apostolis acceperant. Sane, simplicem de Trinitate fidem luculenter testabatur Ignatius ad martyrium pergens, cum ad Magnesios c. 13, scribebat: « Studete igitur confirmari in doctrinis Domini « et apostolorum, ut omnia quae facitis, prospere vobis suc-

« cedant fide et charitate in Filio et Patre et Spiritu... Su-
« biecti estote episcopo et vobis mutuo, ut Iesus Christus
« Patri secundum carnem, et apostoli Christo et Patri et
« Spiritui » (1). Simplicem fidem de incarnatione idem sanstissimus martyr, epist. ad Ephesios c. 7: « Medicus unus
« est, et carnalis et spiritualis, factus et non factus, in ho-
« mine existens Deus, in morte vera vita, et ex Maria et ex
« Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Iesus Christus
« Dominus noster » (2). Et ad Polycarpum, c. 3: « Eum qui supra
« tempus est expecta intemporalem; invisibilem, propter nos vi-
« sibilem; impalpabilem, impassibilem, propter nos passibilem,
« qui omni modo propter nos sustinuit » (3). Simplicem fidem de utroque mysterio referebat ultima illa ipsius Polycarpi in rogo iam accenso oratio: « Domine Deus omnipotens, Pater
« dilecti ac benedicti Filii tui Iesu Christi, per quem tui no-
« titiam accepimus..., benedico tibi, quoniam me hac die
« atque hac hora dignatus es, ut partem acciperem in nu-
« mero martyrum tuorum, in calice Christi tui... Quapropter
« de omnibus laudo te, benedico tibi, glorifico te cum sem-
« piterno et coelesti Iesu Christo dilecto Filio tuo, cum quo
« tibi et Spiritui Sancto gloria et nunc et in futura saecula.
« Amen » (4). Et confessio illa beati Epipodii, qui mixtis cruore dentibus haec verba proferebat: « Christum cum Patre ac
« Spiritu Sancto Deum esse confiteor, dignumque est ut illi
« animam meam refundam, qui mihi et creator est et re-
« demptor. Nec interest infirmitas corporea quo fine sol-
« vetur, dummodo anima coelis invecta ad suum revertatur
« auctorem » (5).

Huc etiam spectant loca antiquiorum, ubi simpliciter et sine amplificatione enuntiatum invenitur, quae esset Ec-

(1) Migne, Patr. graec. Tom. 5, col. 671, seq.
(2) Migne, P. G. Tom. 5, col. 651.
(3) Ibid. col. 722.
(4) Epistola circularis Ecclesiae Smyrnensis de martyrio Polycarpi, ibid. col. 1039.
(5) Ibid. col. 1454.

clesiae praedicatio, quaeve tenenda regula credendi. Velut est illud Irenaei, l. 1, c. 10. « Ecclesia per universum or- « bem usque ad fines terrae seminata, et ab apostolis et a di- « scipulis eorum accepit eam fidem quae est in unum Deum, « Patrem omnipotentem qui fecit coelum et terram, et mare, « et omnia quae in eis sunt ; et in unum Iesum Christum « Filium Dei, incarnatum pro nostra salute ; et in Spiritum « Sanctum qui per prophetas praedicavit dispensationes Dei, « et adventum, et eam quae est ex Virgine generationem, et « passionem..., et resuscitandam omnem carnem humani « generis, ut Christo Iesu Domino nostro, et Deo et Salvatori « et Regi, secundum beneplacitum Patris invisibilis, omne « genu curvet coelestium, et terrestrium, et infernorum ». Velut etiam illud Gregorii thaumaturgi, in *Expositione fidei* quam suae ecclesiae moriens reliquit, et in ipso autographo se legisse testatur Nyssenus : « Unus Deus Pater Verbi vi- « ventis, sapientiae subsistentis..., perfectus perfecti genitor, « Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Verbum « perpetrans, sapientia comprehendens omnia, et virtus qua « tota creatura fieri potuit : Filius verus veri, et invisibilis « ex invisibili, et incorruptibilis ex incorruptibili, et immor- « talis ex immortali, et sempiternus ex sempiterno. Unus « Spiritus Sanctus, ex Deo substantiam habens, perfecta « viventium causa, sanctitas sanctificationis praestatrix... Tri- « nitas perfecta, maiestate et sempiternitate et regno minime « dividitur, neque abalienatur. Igitur neque factum quid « aut serviens in Trinitate neque superinductum... Neque « defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus Sanctus, « sed invertibilis et immutabilis eadem Trinitas semper » (1).

In eadem categoria adhuc recensebis testimonia illa in quibus Patres ante ortas haereses, extra omnem disputationis ardorem et controversiae necessitatem, non speculando, non glossando, non argumentando, non specialis cuiusdam

(1) Migne, P. G. Tom. 10, col. 983, seq. — Cfr. col. 965. — Vide etiam Basilium, de Spiritu Sancto, c. 29.

causae patrocinium assumendo, sed ex sola fidelis cordis abundantia discurrendo, dogma nondum ulla negatione impugnatum ita ingenue asserunt, ut plane appareat, non tam ipsos esse qui loquuntur, quam nativum fidei et traditionis spiritum qui loquitur in eis. Huiusmodi testimonia de dogmate peccati originalis affert Augustinus, l. 1, c. Iulianum, n. 5-20. Quae postea, n. 32-33, compendiose ab eo resumpta, exemplo tibi erunt : « Sanctus Irenaeus dicit, an- « tiquam serpentis plagam fide Christi et cruce sanari, et « quod protoplasti peccato fuimus tanquam vinculis alligati. « Sanctus Cyprianus dicit, perire parvulum, nisi fuerit bapti- « zatus, quamvis ei non propria dimittantur, sed aliena pec- « cata. Sanctus Reticius dicit, veteris hominis, quo per « lavacrum regenerationis exuimur, non tantum vetera, sed « ingenita esse peccata. Sanctus Olympius dicit, vitium de « protoplasto in germine sparsum, ut peccatum cum homine « nasceretur. Sanctus Hilarius dicit, ex peccato esse omnem « carnem, praeter illius qui venit in similitudine carnis pec- « cati, sine peccato. Dicit, sub peccati origine et sub peccati « lege natum esse, cuius vox est : *ego in iniquitatibus conceptus « sum.* Sanctus Ambrosius dicit, eos qui baptizati fuerint « parvulos in primordia naturae suae a malitia reformari. « Dicit quod in Adam omnes morimur, quia per unum homi- « nem peccatum intravit in mundum, et illius culpa mors « omnium est. Dicit quod in eius vulnere omne genus occi- « disset humanum, nisi Samaritanus ille descendens vulnera « eius acerba curasset. Dicit, fuisse Adam, et in illo fuisse « omnes ; periisse Adam, et in illo periisse omnes. Dicit, nos « contagio maculari antequam nascimur, nec humanum con- « ceptum esse iniquitatis exsortem, quia concipimur, inquit, « in peccato parentum, et in delictis eorum nascimur... Dicit « tibi sanctus Innocentius, lavacro regenerationis praeteritum « vitium omne purgari, quod per illum accidit, qui libero « arbitrio cadens, in profunda demersus est. Sanctus Gre- « gorius (Nazianzenus) dicit, melius fuisse non excidere a ligno « vitae gustu amarissimo peccati, sed emendari nos debere

« post lapsum... Dicit, regeneratione ex aqua et spiritu pur-
« gari maculas primae nativitatis, per quas in iniquitatibus
« concipimur. Dicit sanctus Basilius, nos [aegritudinem con-
« traxisse peccati, quoniam Eva noluit a ligno prohibito
« ieiunare... Postremo sanctus episcopus Ioannes (Chryso-
« stomus) dicit..., etiam ipse dicit, Adam sic peccasse illud
« grande peccatum, ut omne genus humanum in commune
« damnaret. Dicit, in Lazari morte ideo flevisse Christum,
« quia de perennitatibus excussa mortalitas inferos ada-
« mavit. Dicit, quod nos Christus invenerit, et paterno chi-
« rographo nostro quod scripsit Adam, et posterioribus pro-
« priis debitis obligatos. Dicit, Adam propterea dictum for-
« mam futuri, quia sicut ille ex semetipso nascentibus,
« quamvis non manducaverint de ligno, factus est causa
« mortis quae per cibum inducta est, ita et Christus iis qui
« ex ipso sunt, tametsi nihil iuste egerint, factus est provisor
« iustitiae, quam per crucem omnibus condonavit. Dicit,
« non valde videri habere rationem, ut alius pro alio dam-
« netur, et tamen factum esse per Adam ; unde magis per-
« suadet esse credendum, quod decentius et rationabilius
« apparet, salvari alium pro alio, quod impletur in Christo,
« etc. ». Haec quidem de peccato originali vetustiores Patres, solo ductu primaevae et in sua adhuc nativa simplicitate decurrentis traditionis.

Sed et praeclara quoque eiusdem generis testimoniorum exempla sumes ex iis quae Augustinus ipse de divina gratia. ante omnem theologicam inquisitionem scripta reliquit in primis operibus suis. Velut est illud Confessionum, l. 10, c. 29, 31, 87 : « O amor, qui semper ardes et nunquam
« extingueris, charitas, Deus meus, accende me. Continentiam
« iubes. Da quod iubes, et iube quod vis... Audio vocem
« iubentis Dei mei : Non graventur corda vestra in crapula
« et ebrietate. Sed memento, Domine, quia pulvis sumus,
« et de pulvere fecisti hominem, et perierat, et inventus
« est. Conforta me ut possim. Da quod iubes, et iube quod
« vis... Tentamur his tentationibus (laudum humanarum)

« quotidie, Domine ; sine cessatione tentamur. Quotidiana « fornax nostra est humana lingua. Imperas nobis et in hoc « genere continentiam. Da quod iubes, et iube quod vis ». Item illud l. 2 de Ordine, n. 52, ubi matrem Monicam alloquens ait ; « Oremus ergo, non ut nobis divitiae, sed « ut ea proveniant quae nos bonos faciant ac beatos. Quae vota « ut devotissime impleantur, tibi maxime hoc negotium, « mater, iniungimus, cuius precibus indubitanter credo et « confirmo mihi istam mentem Deum dedisse ut inveniendae « veritati nihil omnino praeponam, nihil aliud velim, nihil « cogitem, nihil amem ». Ne autem putetur quod ipsa oratio per quam alia dona a Deo obtinentur, a nobis sit, et non e divina gratia descendens : Deus universitatis conditor, inquit l. 1 Soliloq. n. 2, « praesta mihi primum ut bene te « rogem, deinde ut me agam dignum quem exaudias, postremo « ut liberes ». Certe, non ardore disputationis incitatus, non aliquo praeconcepto fine praeoccupatus, non etiam profundo studio theologico eruditus, haec dicebat Augustinus, sed ductus sola doctrina quam neophytus didicerat in Ecclesia, et plenus spiritu gratiae quem perceperat in baptismo, quod simpliciter credebat, simpliciter etiam profitebatur, iuxta illud : *Credidi, propter quod locutus sum.* Iam noscebat, omne quo boni efficimur, donum Dei esse, adeoque fidem simul cum operibus, nihil distinguendo inter prima et sequentia, inter initium et finem, sed comprehendendo ipsum pietatis initium cuius fides fundamentum est, ipsum primum desiderium et cogitationem conversionis, ipsam denique orationem per quam caetera obtinentur. Verumtamen, quid intersit inter simplices illas simplicis fidei confessiones, et libros quibus postea, copiose, enucleate, erudite, idem gratiae dogma exposuit ac propugnavit contra insurgentem Pelagianorum haeresim, nemo est qui non videbit. Ibi ergo novum exemplum est eorum testimoniorum quae simplicem fidem primitivae traditionis referunt, praescindendo a quacumque explicatione aut difficultatum consideratione (1).

(1) Cf. Bossuet, Défense de la tradition, l. 6, c. 10, seq.

II. – Sed iam considerandus venit secundus doctrinae status, in quo simplici fidei adiunguntur explicationes adhuc imperfectae. Quod maxime in nonnullis Patribus secundi et tertii saeculi circa dogma Trinitatis videre est, dum scilicet paganis aut Iudaeis altissimum mysterium aliqualiter declarare et credibiliter exponere intendebant, vel cum refellebant Sabellianos qui Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non natura solum, sed persona quoque unum et singularem Deum esse dicebant ; idque (quod diligenter notandum est), ante ortas haereses Arii et Macedonii, Filio et Spiritui Sancto divinam denegantes naturam, creatam attribuentes.

Athenagoras in sua *legatione pro christianis*, ipsos christianos purgare vult a crimine atheismi quo a paganis accusabantur, ostendendo atheos eos non esse, « qui Deum Pa-« trem, et Filium Deum, et Spiritum Sanctum asserunt, « ac eorum in unione potentiam, et in ordine distinctionem « demonstrant » (1). Ecce habes simplicem et puram fidei christianae confessionem. Sed ne ridiculum quisquam existimaret suum Deo esse Filium, aut christianos de Deo Patre et Filio sentire sicut poetae fabulabantur, qui nihilo meliores hominibus deos inducebant, en subiuncta explicatio : « Est « Filius Dei Verbum Patris in idea et operatione ; ab eo enim « et per eum facta omnia, cum Pater et Filius unum sint. « Cum autem Pater sit in Filio, et Filius in Patre, unitate « et virtute spiritus, mens et verbum Patris est Filius Dei. « Quod si vobis pro summa vestra intelligentia inquirere « subeat, quid sibi velit Filius, dicam breviter primam esse « Patris progeniem, non quod factus sit, (ab aeterno enim « Deus habebat in seipso Verbum, utpote ab aeterno ra-« tionalis), sed quod prodierit ut omnium materialium rerum « quae instar informis naturae et inertis terrae iacebant, « idea et actus foret » (2). Qua in explicatione obscurum est primo, quod Filius dicatur mens Patris, deinde quod dicatur

(1) Migne, P. G. Tom. 6, col. 907.

(2) Ibid. — Eiusdem conditionis sunt explicationes quas suppe-« ditat Tertullianus in Apologetico adversus Gentes pro christianis,

prodiisse ut esset idea et actus terrae illius inanis et vacuae de qua Moyses in initio Geneseos.

Iustinus cum Tryphone Iudaeo disputans, (n. 36) gravissimis verbis asseruerat Christum verum Deum esse, et Dominum virtutum in veteri Scriptura nuncupari. Postquam autem sermo ad alia divertisset, resumit (n. 48) Trypho quaestionem : « Repetens igitur, inquit, sermonem in quo « desieras absolve. Nam mirabilis quidem mihi videtur, et « qui prorsus demonstrari non possit. Quod enim ais prae- « exstitisse Deum ante saecula hunc Christum, ac deinde « nasci hominem factum sustinuisse, id non solum ab opi- « nione abhorrens mihi videtur, sed etiam stultum ». Tum Iustinus respondet doctrinam hanc revera ab opinione abhorrentem videri iis qui ea quae Dei sunt nec intelligere nec facere unquam volunt, praemittitque duas esse quaestiones distinctas, an Iesus fuerit verus Messias in Lege praedictus, et an sit verus Deus ; esse enim quosdam (scilicet Ebionitas) qui eum Christum confitentur, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntient : « Quibus ego, ait, non assen- « tior, nec assentirer, etiamsi maxima pars (christianorum) « quae mecum consentit, idem diceret. Neque enim humanis « doctrinis iussi sumus a Christo credere, sed iis quae a beatis « prophetis praedicata et ab ipso tradita ». Ecce rursus firmissima ac minime ambigua fidei catholicae professio.

---

c. 21 : « Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, « et idcirco filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiae... Etiam « cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa, sed sol erit in radio, « quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur. Ita « de spiritu spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum, « manet integra et indefecta materiae matrix, etsi plures inde tra- « duces qualitatis mutueris : ita et quod de Deo profectum est, Deus « est, et Dei Filius, etc. ». De Tertulliano tamen non oportet nos esse adeo sollicitos. De eo enim *generatim* valet censura Bossuetii : « Tertullien, « le plus figuré, pour ne pas dire *le plus outré* de tous les auteurs ». Et alibi : « Il faudrait pour cette fois laisser là ce dur Africain, sans faire un « crime à toute l'Eglise des obscurités de son style et des irrégularités de « ses pensées ».

Nunc autem, ut homini Iudaeo hanc veritatem credibiliter exponeret, ostendere aggreditur Iustinus, alium esse praeter Patrem creatorem universorum, qui in antiqua Scriptura dicitur Deus, quique futurae incarnationi praeludebat per theophanias veteris testamenti. Hunc agnoscit in uno e tribus angelis qui apparuerunt Abrahae sub quercu Mambre ; in eo, inquam, angelo mysterioso de quo postea legitur : *Dominus pluit super Sodoman et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de caelo.* Eumdem videt in illo qui apparuit Iacob, et deinde Moysi inter flammas rubi ardentis, de seipso contestans : *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos.* Tum concludit, n. 60-61 : « Qui dixit « Moysi se Deum esse Abrahae et Isaac et Iacob, non creator « universorum Deus erit, sed idem ac ille quem Abrahae et « Iacob apparuisse, ac creatoris universorum voluntati mi- « nistrare, eiusque consilio in Sodomorum iudicio ministrasse « demonstratum vobis est, ita ut, etiamsi, ut dicitis, duo « fuerint angelus et Deus, nemo tamen non omnino mente « captus auctorem universorum et parentem, relictis super- « caelestibus in parva terrae particula visum dicere audeat... « Alio etiam vobis ex Scripturis testimonio demonstrabo « Deum ante omnes res creatas genuisse ex seipso virtutem « quamdam rationalem, quae et gloria Domini a Spiritu Sancto « vocatur, ac nunc Filius, nunc Sapientia, nunc Angelus, « nunc Deus, nunc Dominus et Verbum... Habet enim has « omnes appellationes, ex eo quod Patris voluntati ministret, « et voluntate de Patre genitus sit... Quale est quod videmus « ex igne alium ignem nasci, non imminuto eo ex quo iste « accensus est, etc. » (1). Ubi obscurum pariter et difficile est quod Iustinus dicit, absurdum esse si quis putet ipsum ingenitum Patrem in parva terrae particula apparuisse, ideoque apparitiones Dei ad aliam personam debere referri; item Filium ministrare voluntati Patris, et voluntate de Patre genitum esse (2).

Hippolytus martyr scribens *contra haeresim Noeti*, quae

(1) Migne P. G. Tom. 6, col. 611, seq.
(2) Similia apud Irenaeum, l. 6, c. 7.

eadem est cum illa Sabellii, c. 8 ait : « Necesse ergo est ut « quamvis nolit, confiteatur Patrem Deum omnipotentem, « et Christum Iesum Filium Dei, Deum factum hominem « cui omnia Pater subjecit praeter se, et Spiritum Sanctum, et « hos esse vere tres. Quod si vult scire quomodo unus Deus « demonstratur, sciat unam esse virtutem sive potentiam « huius ». Potestne, quaeso, expressius dici id quod nos cre- « dimus ? Ad explicationes autem veniens Hippolytus ,inter alia, c. 10 dicit : « Deus solus cum esset nihilque sibi coaevum « haberet, voluit mundum efficere. Et mundum cogitans ac « volens et dicens effecit... Eorum autem quae facta sunt, « ducem, consiliarium et operarium generabat Verbum. Quod « Verbum cum in se haberet, essetque mundo creato ina- « spectabile, fecit aspectabile, emittens priorem vocem, et « lumen ex lumine generans, deprompsit ipsi creaturae Do- « minum, sensum suum ; et qui prius ipsi tantum erat visi- « bilis, mundo autem invisibilis, hunc visibilem fecit, ut « mundus cum eum qui apparuit videret, salvus fieri posset ». Et infra, c. 14 : « Si Verbum erat apud Deum, et Deus erat, « quid ergo ? Dicetne aliquis dicere Ioannem duos Deos ? « Duos quidem Deos non dicam, sed unum, personas vero « duas... Oeconomia consensionis redigitur ad unum Deum. « Unus enim est Deus qui mandat, Pater. Qui obedit, Filius. « Qui docet scientiam, Spiritus Sanctus. Pater qui est super « omnia; Filius per omnia, Spiritus Sanctus in omnibus. Aliter « Deum unum intelligere non possumus, nisi vero Patri et « Filio et Spiritui Sancto credamus » (1). Ubi iterum obscurum est quod dicitur de generatione Verbi visibilis facti in creatione mundi : difficile, quod subditur de Patre qui mandat, et Filio qui obedit. – Difficiliora adhuc forsitan videri possent ea quae scripsit Dionysius Alexandrinus contra eosdem Sabellianos ; quorum elenchum invenire est in fragmentis quae supersunt, apologiae ab eodem Dionysio ad Dionysium Papam missae (2). Verumtamen, cum in ea dilucide sanctus

(1) Migne, Patr. graec. Tom. 10, col. 818, seq.
(2) Migne, Patr. lat. Tom. 5, col. 117, seq.

episcopus sese de obiectis erroribus purget, nedum in hac parte nova addatur difficultas, suppeditatur potius adiumentum, unde caeterae diluantur. Et recte notant editores benedictini, istam Dionysii apologiam eo maioris esse momenti, quod exemplo nobis sit eorum quae fecissent caeteri Patres Nicaeno concilio superiores, quibus nonnulla exciderunt arianae impietati in speciem cognata, si eos similis necessitas ad explicandam apertius mentem suam compulisset.

Haec igitur specimen quoddam tibi exhibebunt de illo statu in quo adhuc imperfectae erant explanationes dogmatum, id est, nondum adeo praecisus exponendi loquendique modus, quia nondum exortae erant famosiores haereses contra quas postea, cum maiori conceptuum claritate et terminorum proprietate defensa est veritas catholica. Quod enim contigit de dogmate Trinitatis, hoc idem, proportione servata, de aliis quoque contigisse facile intelligetur. Hoc idem de dogmate incarnationis, de quo ante Nestorium et Eutychetem, in scriptis Patrum reperiuntur locutiones, quae si ad strictum rigorem dialecticae exigerentur, importarent distinctionem suppositorum Dei et hominis, aut e contra, et frequentius, possent praebere ansam perversae intelligentiae cuiusdam mixturae duarum naturarum in unam tertiam coeuntium (1). Hoc idem de dogmate peccati originalis cuius impugnatores Pelagiani triumphare sibi videbantur, muniendo se quibusdam Chrysostomi dictis, quae ad legitimum suum sensum reducit Augustinus in primo contra Iulianum libro (2). Hoc idem de dogmate gratiae, in quo ipsemet Augustinus, ubi primum incepit ad theologicam huius materiae scrutationem descendere, non quidem rata fixaque sententia, sed quasi inquirendo, opinando, minus accurate examinando, aliquando se lapsum ingenue confitetur (3). Hoc idem etiam

(1) Cf. Petavium, l. 3 de Incarn. c. 2.

(2) August. l. 1. c. Iul. n. 21-34.

(3) Notandus progressus Augustini in ea materia, cuius a Deo doctor per excellentiam destinabatur. Primus in eo fuit status sim-

de caeteris, nec oportet in exemplis afferendis amplius immorari.

III. – Nunc ergo tertius superest doctrinae status, cui etiam tertia respondet testimoniorum classis : status scilicet explicationis praecisae, in quo, ut verbis Lirinensis utar, intelligitur illustrius quod ante obscurius credebatur, et posteritas enucleatum gratulatur quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Hoc stadium quoad pleraque dogmata incipit cum pace Ecclesiae a Constantino data. Abhinc enim et deinceps, magnus fuit in penetratione revelatarum veritatum scientiae profectus, isque saeculo quarto potis-

---

plicis fidei, ut dictum est supra; in quo fundum mysterii perspiciebat sed nondum ingrediebatur considerationem difficultatum, easque, habebat notiones, quae etsi purae, nondum valebant sustinere assaltum obiectionum. Hinc in alium statum venit , quando incepit, sed adhuc imperfecte, materiam examinare. Quod fecit occasione expositionis quarumdam propositionum ex epistola ad Romanos, ubi prius in difficultatem incidit, deinde in opinionem falsam, ut ipse dicit l. 1 Retract. c. 23, et de praedest. SS. c. 3. Verum, ex hac falsa opinione cito exivit, antequam Pelagius dogmatizaret, occasione quaestionum quas ei proposuerat Simplicianus episcopus Mediolanensis. Et iam perfectus in intelligentia dogmatis, defensor eius egregius contra Pelagianos effectus est. — Notandum praesertim, quod multo melius de gratia loquebatur in primo statu quam in secundo: « Il y a cela de remar-« quable dans tout ce progrès, qu' il disait mieux en parlant de l' a-« bondance du coeur sans examiner la matière, qu' il ne faisait en l'exa-« minant, mais encore imparfaitement. Ce qu' on ne doit pas trouver « étrange, parce qu' ainsi qu' il a été dit, dans ce premier état la foi « et la tradition parlaient comme seules, au lieu que dans le second, « c' était plutôt le propre esprit. C' est un caractère assez naturel « à l' esprit humain de dire mieux par cette impression commune « de la vérité, que lorsqu' en ne l' examinant qu' à demi, on s' em-« brouille dans ses pensées. C' est là souvent un grand dénouement « pour bien entendre les Pères, principalemente Origène, où l' on trouve « la tradition toute pure dans certains choses qui lui sortent naturelle-« ment, et qu' il embrouille d' une terrible manière lorsqu' il les veut « expliquer avec plus de subtilité; ce qui arrive assez ordinairement « avant que les questions soient bien discutées, et que l' esprit s' y « soit donné tout entier ». Bossuet, Défense de la tradition l. 6, c. 16.

simum et quinto, prout insurgentium errorum occasiones ferebant, maxime conspicuus. Tunc in operibus Athanasii, Hilarii, Basilii, Nazianzeni, plena habetur de processionibus divinis tractatio ; quae in quindecim de Trinitate Augustini libris suam obtinet perfectionem, clare iam enuntiatio principio illo quod in altissimo mysterio clavem intelligentiae, quantum mortalium conditio patitur, suppeditat : *omnia nimirum in divinis esse idem ubi non obviat relationis oppositio*. Tunc elucescit doctrina de sacramentis, de gratia, de peccato orginali, de nova evangelii oeconomia per respectum ad vetus testamentum, in controversiis Augustini cum Donatistis, cum Pelagianis, cum Manichaeis. Tunc prodeunt definitiones ephesinae de unione hypostatica, et splendida illa Leonis Magni ad Flavianum epistola, ubi totum incarnationis dogma tam dilucide, tamque praecisis terminis ac formulis exponitur.

Sed nec dubium tibi erit quin absolute praeferendae sint istae posterioris aevi auctoritates. Nam post resolutiones Patrum qui contra haereses pugnaverunt, semper provocare ad vetustiores, nihil minus est quam laqueum simplicibus praetendere, ut nimirum praeponant id quod est obscurius et magis confusum, ei quod clarius et magis distinctum, id quod obiter dictum, ei quod accuratius enucleatum. Qui etiam laqueus eo periculosior esse noscitur, quod sub specie antiquitatis proponitur. Quid enim magis verosimile, et in fundo verius, quam dicere cum Lirinensi, antiquitatem esse sequendam, et quis crederet esse in hoc principio deceptionem ? Et tamen ita est. Sequenda antiquitas, regula utique Lirinensis est. Sed oporteret addere quod iuxta eumdem Lirinensem, posteritas saepe clarius loquitur. Et hoc est quod critici dissimulare solent, usque adeo a regula catholici intellectus declinantes, ut dicere non timeant quod post exortas controversias, Patres non ita facile audiendi sunt, quia disputationis ardor eos impulit ad dicendum plus quam volebant. Sed non oportet opponere modum loquendi Patrum, ante et post disputationes cum haereticis. Uterque verus

est, et uterque prodest Ecclesiae, dum in primo videt naturalem simplicitatem et mirandam perpetuitatem fidei suae, in altero autem eruditur ad profundiorem intelligentiam et notionem magis exactam de eiusdem fidei articulis. Haereses quippe sollicitiores reddunt doctores. Quanquam ex alia parte certissimum etiam sit quod Patres qui ante haereses exortas scripserunt, habent aliquid fortius, quia evidentius apparent ab omni studio partium liberi (1). Ideo isti duo modi sese mutuo complent, et sub alio atque alio respectu sibi invicem praestant.

Sic igitur, cum satis nunc appareat veritas distributionis testimoniorum traditionis in tres classes supradictas, et de prima ac de tertia nulla difficultas occurrat, sed solum de illa intermedia quae transitum signat a simplici fide ad explicationes vel profundioris intelligentiae, vel diligentioris cautelae contra haereticorum novitates: videndum iam est, quaenam legitima interpretatio sit quantum ad ea quae in eo transitionis statu, speciem heterodoxiae prae se ferre viderentur.

(1) Huc facit quod dicebat Augustinus Pelagianis, l. 2 c. Iul. n. 34: « Nondum exstiteratis, contra quos susciperemus de hac quae-« stione (peccati originalis) conflictum. Nondum eratis, qui diceretis « quod in libris tuis ponis: *Quia de vobis multitudini mentiti fuerimus,* « *et quod Pelagianorum nomine homines terreamus...* Certe ipse dixisti « quod omnes iudices ab odio, amicitia, inimicitia, ira vacuos esse « deceat. Pauci tales potuerunt inveniri, sed Ambrosium aliosque « collegas eius, quos cum illo commemoravi, tales fuisse credendum « est. Verum etsi tales non fuerunt in his causis quas ad se delatas « et inter partes cognitas, cum hic viverent, suo iudicio finierunt, « ad hanc tamen causam tales erant, quando de illa sententias pro-« tulerunt. Nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, « vel inimicitias exercuerunt; neque nobis neque vobis irati sunt, « neque nos neque vos miserati sunt. Quod invenerunt in Ecclesia, « tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus accepe-« runt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos iudices « aliquid agebamus, et apud eos acta est causa nostra. Nec nos nec « vos eis noti fueramus, et eorum pro nobis latas contra vos sententias « recitamus. Nondum vobiscum certabamus, et eis pronuntiantibus « vicimus ». Cf. Bossuet, ubi supra.

§ 3.

Et tota disquisitio ad duas observationes reducetur. Prima et praeambula erit, quod loca illa Patrum quae nunc in considerationem veniunt, in sensu orthodoxo *possunt* intelligi. Altera et principalis, quod non solum possunt, sed *debent* in isto sensu accipi, praescindendo etiam a disertis auctorum professionibus, si vel sola ratio habeatur criteriorum quae propria sunt catholicae traditioni.

I. – Et quod ad primum attinet, non vacat ad singulorum discussionem descendere, sed satis erit afferre exemplum de iis quae sunt difficiliora, quaeque meliorem calumniae ansam praebere possent : illa dico superius relata de mysterio Trinitatis veterum testimonia, ex quibus critici persuadere volunt, eosdem veteres ignorasse consubstantialitatem personarum, et praeter summum ac supremum Deum, duos alios inferiores Deos, secundum paganorum dogma, agnovisse ! In qua quidem sua exegesi causas deceptionis forte habuerunt in neglectu principiorum scholasticae theologiae.

Certe consubstantialitas non solum non repugnat ordini originis personarum inter se, sed imo, ita cum eo necessario cohaeret, ut si semel cogitarentur plures in divinis improcessibiles, eo ipso evaderet evidenter absurdum dogma unius Dei in personis tribus. De qua re vide tractatum de Trinitate, thes. 9 et 21, cum prolegomeno ad Q. 28. Propterea evangelium hunc ipsum originis ordinem tam instanter tamque studiose inculcat, adhibitis etiam formulis quae carnali intelligentiae videri possent in detrimentum aequalitatis, sicut cum de Filio dicitur quod non potest a se facere quidquam, et de Spiritu Sancto quod non loquetur a semetipso, quod quaecumque audiet loquetur, et alia huiusmodi. Dogma igitur Trinitatis ponit unum improcessibilem a quo Filius, a quo simul cum Filio tanquam ab uno principio Spiritus Sanctus. Sic enim et non aliter divinae personae distin-

guuntur inter se solis relationibus originis minime vero aliquo absoluto, hoc est essentia seu substantia quae cum virtute operativa et operatione ipsa tam ad intra quam ad extra, unum est atque idem. Sic etiam eadem est operatio Patris et Filii et Spiritus Sancti, sed est in Patre, cum relatione communicantis, est in Filio cum relatione accipientis a Patre, est in Spiritu Sancto cum relatione accipientis ab utroque. Nunc ergo videndum est utrum ibi habeant locum incriminatae locutiones *de Patre cui ad omnia ministrant Filius et Spiritus Sanctus*, (Iren. I. 4, c. 7. Iustin, in Tryph. n. 61) ; *de Patre qui mandat, de Filio qui obedit*, (Hippol. ubi supra) ; *de Patre qui facit, de Filio per quem fit*, vel *de Patre qui est tota substantia, de Filio qui est derivatio totius et portio*, (Tertull. in apolog. c. 21, et c. Praxeam c. 9). Et quod in huiusmodi esse non possit verborum proprietas, nulla sane quaestio erit inter nos. Sed et nos etiam quandoque ea de Deo dicimus, quae maiorem proprietatem terminorum prae se non ferunt. Dicimus enim quod Deum poenitet, et quod Deus irascitur ; nec veremur attribuere Deo manus et brachia et oculos. Numquid propterea corporeum facimus Deum ? Numquid mutabilem in consiliis suis, numquid humanis passionibus obnoxium ? Absit, quia si ab iis locutionibus dematur quidquid humani est, nihil iam aliud per manus et brachia significatum relinquetur, nisi virtus et potentia ; nihil aliud per iram, quam voluntas efficax puniendi peccata; nihil aliud per poenitentiam, nisi mutatio, non consilii, sed rerum quae consilio subsunt. Idem dic in praesenti. In ministrante enim respectu eius cui ministrat, in obediente respectu eius cui obedit, in instrumento denique respectu eius cuius instrumentum est, duo considerantur : primo, quod ab illo cui ministrat, cui obedit, cuius instrumentum est, derivatam habet vel virtutem operativam vel voluntatem operandi ; secundo, quod eam habet diversam ab ea quae est in principali operante, participatam scilicet, dependentem, et subiectam. Deme nunc ab huiusmodi vocabulis, si forte ad divina trasferantur, omne id quod dependentiae imper-

fectionem sonat, et nihil aliud significatum supererit nisi solus ordo originis, secundum quem, ut paulo ante dictum, operatio in Filio, etsi eadem numero ac operatio Patris, est tamen in eo cum relatione accipientis a Patre, sicut est in Spiritu Sancto cum relatione accipientis ab utroque. Et dices modos loquendi Irenaei, Iustini, Hippolyti, (imo etiam Tertulliani, cuius stylus semper hyperbolicus est, et exaggerato realismo laborans): dices, inquam, istos loquendi modos non compati sensum orthodoxum, praesertim quando [nondum erant qui his abuterentur Ariani, et communia] apud christianos de divinitate principia grossitiem carnalis intelligentiae per se satis excludebant ? (1).

1) « Ôtez, inquit Bossuet, *Sixième avertissement sur les lettres « de Jurieu*, n. 36, ôtez du nom de ministre l' inferiorité et la sujétion, « il ne restera dans le Fils qu' une personne subsistante, une personne « envoyée qui reçoit tout de son Père... C' est ainsi que les anciens ont « quelquefois donné au Fils de Dieu et au Saint-Esprit le nom de mi- « nistre du Père, et non pas pour leur attribuer une opération inégale, « car cela est de la crasse du langage humain, et de cette rouille dont « il faut purifier ses lèvres lorsqu' on veut parler de Dieu. Et c' est « pourquoi ces saints docteurs ont bien à la vérité employé quelque- « fois le mot de ministre en l' épurant à la manière qu' on vient de « voir. Mais si d'autres fois ils l' ont regardé avec cette imperfection « naturelle au langage humain, ils l' ont aussi pour cette raison exclu « des discours où ils parlaient du Fils de Dieu ». Ad rem epistola ad Diognetum, n. 7: *Ipse vere Deus, qui est omnipotens, et omnium conditor, ac invisibilis, e coelis Veritatem et Verbum sanctum [ac incomprehensibile inter homines locavit, non, quemadmodum aliquis coniicere possit, misso hominibus ministro aliquo, aut angelo, aut principe, aut quopiam eorum quibus commissa est in coelis rerum administrandarum cura, sed ipso opifice et creatore omnium quo coelos condidit, quo mare suis terminis conclusit.... tamquam rex mittens filium regem misit ; tanquam Deum misit.* (Migne, Patr. graec. Tom. 2, col. 1175).

Notandum praeterea, quod contra Sabellianos seu Noetianos adhibitum fuit hoc *ministri* vocabulum. Sabelliani autem ponebant quod Deus per Verbum operabatur, sicut architectus per artem suam. Porro ars in architecto non est persona subsistens, sed accidens animae. Et hoc modo haeretici illi asserebant Verbum, sapientiam, artem, ideam Dei. Quem sensum orthodoxi excludebant, dicendo Verbum

Praeterea, consubstantialitas optime stat cum appropriatione, per quam aliquod essentiale attributum, licet secundum rem tribus personis commune, consideratur tamen quasi uni prae caeteris conveniret. Quae quidem appropriatio usitata tum in Scripturis, tum in omnibus fidei symbolis, tum apud omnes Patres, doctores, ac theologos, adeo manifeste pertinet ad catholicam de Trinitate tractationem ut mirum sit si a criticis nostris possit vel ignorari vel reiici. « Dicendum, « inquit S. Thomas, quod ad manifestationem fidei conve- « niens fuit essentialia attributa personis appropriari. Licet « enim Trinitas personarum demonstratione probari non possit, « convenit tamen ut per aliqua magis manifesta declaretur. « Essentialia vero attributa sunt nobis magis nota secundum « rationem quam propria personarum, quia ex creaturis ex « quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem « devenire in cognitionem essentialium attributorum, non « autem in cognitionem personalium proprietatum. Sicut « igitur similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa « utimur ad manifestationem divinarum personarum, ita et « essentialibus attributis. Et haec manifestatio personarum « per essentialia attributa appropriatio nominatur ». Nec sane arbitraria res esse potest, sed quae fundamentum habens potissimum in quadam peculiari convenientia inter essentiale attributum et personae proprietatem, optimam enodationem suppeditat multis difficultatibus quae occurrunt in praesenti.

Sane vero, usitatissima est appropriatio potentiae, sapientiae, et bonitatis, eaque notior quam ut indigeat multis declarari. Nam potentia habet rationem principii, et appropriatur Patri qui est principium in personis divinis. Sapientia, exemplaritas, idea, ars, splendet in conceptione intel-

---

ministrum Patris, ac per hoc, personam a Patre distinctam. Sed ea est veritatis divinae altitudo, ut sermo humanus vix possit illam attingere, quin eam laedat ex aliqua parte. Propterea Gregorius dicit: *Balbutiendo ut possumus, excelsa Dei resonamus.*

lectus, et appropriatur Filio qui procedit ut verbum. Bonitas autem est ratio et obiectum amoris, et appropriatur Spiritui Sancto qui procedit ut amor. Sicut ergo veteres attribuebant Patri opus creationis primae, de qua dicitur in Genesi : *In principio creavit Deus caelum et terram ; terra autem erat inanis et vacua, et spiritus Dei ferebatur super aquas*, quia in hoc opere elucet omnipotentia de nihilo absoluto educens mundum : ita et Filio tanquam Verbo Patris attribuebant opus creationis secundae, hoc est formationis, distinctionis, et ornatus rerum, quia opus istud, opus sapientiae est. Insuper, processio Verbi a Patre per ordinem ad mundum ornandum, considerabatur ab eis quasi quaedam ipsius Verbi ab aeterno concepti emissio in lucem, seu partus ad extra. Hoc sensu Athenagoras dixit Verbum prodiisse ut omnium materialium rerum quae instar informis materiae et inertis terrae erant, idea et actus foret. Et Hippolytus dixit quod Pater creans mundum generabat Verbum, faciens ipsum aspectabile et visibile, cum prius esset inaspectabile et invisibile. Sicut enim architectus habens in sua mente ideam aedificii quam nemo prius videbat, facit illam visibilem quando ex informibus materiis incipit formare aedificium : sic Pater proferebat ad extra Verbum suum ab aeterno genitum, cum dicebat : *fiat lux, fiat firmamentum*, et caetera quae in Genesi commemorantur. Et sicut ars opificis quodammodo foras prodit ut sese imprimat atque figuret in artefacto, fiatque actus eius et forma : sic in opere ornatus mundi prodibat increata illa ars Verbo appropriata, de qua Prov. VIII-27 : *Quando praeparabat coelos, aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando athera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens.* Unde a primo ad ultimum, secunda haec ac temporalis generatio Verbi de qua tantam quaestionem movent critici, non est in mente veterum, nisi manifestatio Dei in creatione rerum, quoad increatam illam ideam

seu rationem intellectam universi, quae Verbo propter modum processionis specialiter appropriatur. Quam quidem manifestationem nihil novi addere Verbo, sed mutationem ponere ex parte solius creaturae, ei soli dubium esse poterit, cui prima naturalis etiam theologiae principia adhuc esent ignota ; imo vero, cui nequidem perspicuum foret quod interior idea architecti nequaquam in seipsa mutatur, quando per exsecutionem operis, ad extra parturitur (1). Quomodo ergo locutiones antiquorum de Verbo e

(1) « *Quand Dieu voulut* (verba sunt Hippolyti), *et de la manière* « *qu' il voulut, il fit paraître son Verbe... il engendrait donc le Verbe,* « *et comme il l' avait en lui-même où il était invisible, il l' a fait visible* « *en créant le monde.* L' engendrer en cet endroit n' est donc autre « chose que le faire paraître au dehors. Ce n' est là ni un nouvel être, « ni rien de nouveau dans le Verbe. C' est de même qu'un architecte « qui ayant en son esprit son idée comme le plan intérieur de son « bâtiment, que personne ne voyait que lui dans sa pensée, le rend « visible à tout le monde, l' enfante pour ainsi dire, et le met au « jour quand il commence à élever son édifice. Tel est cet enfantement « et cette génération du Verbe. Tout y regarde la créature à qui il « devient visible, de la même manière que *les perfections insivibles* « *de Dieu sont vues dans ses oeuvres.* Le Verbe ne change non plus « que son Père même, dans cette manifestation. Et cette manifesta- « tion est attribuée spécialement au Verbe divin, parce qu'il est « l' idée éternelle de cet architecte invisible. A quoi il faut ajouter, « en suivant la comparaison, que comme l' architecte parle et or- « donne, et que tout se range à sa voix qui n' est que l' expression « et comme la production au dehors de sa pensée: ainsi Dieu est « représenté dans l' Écriture comme proférant une parole, qui n'est « autre que son Verbe manifesté et exprimé au dehors... Voilà donc « le dénouement que j' avais promis. Toute cette production n' est « que la manifestation du Verbe; c' est la manière dont on expli- « quait alors ce que nous appelons à présent l' opération au dehors, « sans altération et sans changement de ce qui était au dedans ». *Bossuet, ubi supra, n. 68, seq.* Hanc porro considerationem veteres apologetae eo libentius afferebant, quod inveniebant in doctrinis platonicis aliquid analogum, iuvans ad *persuasibilem* altissimi mysterii expositionem, uti supra notatum est ubi de Athenogora in sua *legatione pro christianis* ad imperatores philosophos directa.

Patre ad opificium mundi foras procedente, cuiquam videri possent ad sensum orthodoxum irreductibiles ?

Sed quid nunc dicemus de omnibus Iustini locis in quibus theophaniae veteris testamenti attribuuntur Filio, eo quod « nemo non omnino mente captus auctorem universorum et « parentem, relictis omnibus supercoelestibus, in parva terrae « particula visum dicere audeat ? » Quae etiam ratio adhuc expressius exponitur infra, in eodem dialogo cum Tryphone (n. 127), cum dicitur : « Non existimetis ipsum ingenitum « Deum descendisse aut aliquo ex loco ascendisse. Neque « enim ille non enarrabilis Pater et Dominus universorum « in aliquem locum venit, neque ambulat, neque dormit, « sed in regione sua, quaecumque tandem illa est, manet, « acutum cernens et acutum audiens, non oculis quidem, nec « auribus, sed virtute non enarrabili, ac omnia videt, et omnia « cognoscit, nec quisquam nostrum eum latet, nec movetur, nec « loco comprehendi potest, imo ne toto quidem mundo, quippe « qui erat etiam antequam mundus fieret. Quomodo igitur « ille aut quemquam alloquatur, aut cuiquam appareat, aut « in angustissima terrae parte conspiciatur » ? Hic saltem, inquies, oportebit dare manus victas, ut vel inviti confiteamur Iustinum agnovisse in Patre et Filio naturam plane dissimilem. Imo vero, aio, adeo dissimilem, ut veniret conclusio quam tu ipse refugies, nempe naturam Filii fuisse in mente Iustini corpoream et animalem, in qua scilicet potuisset ascendere, descendere, ambulare, dormire, et caetera praestare quae de Patre negantur. Et quid, quaeso, magis inadmissibile ? Quomodo Filium Iustinus Deum ante saecula genitum, et in tempore de Virgine incarnatum ubique praedicaret ? Quomodo intelligeret magnificentissima illa Scripturae verba : *Ego sum qui sum, Dominus virtutum, Dominus fortis et potens*, et alia eiusmodi quae tam saepe, et in Apologia prima, et in hoc ipso Dialogo, ad Christum referri contendit ?

Sed ne obliviscaris, quaeso, quod disputat Iustinus cum Iudaeo, et dum Iudaeo persuadere vult theophanias veteris testamenti non esse referendas ad unicam illam personam

divinam quam Iudaei admittebant, ante omnia destruere intendit absurdam et carnalem circa ipsas theophanias Iudaeorum cum quibus disputabat opinionem : *Quemadmodum*, inquit n. 114, *magistris vestris placet, qui manus et pedes et digitos et animam habere instar animalis compositi exstimant parentem universorum et ingenitum Deum, et idcirco visum esse Abrahamo et Iacob ipsum Patrem docent.* Et contra hanc iudaicam et crassam imaginationem militant ea quae superius relata sunt. Intendit ergo quod non sic accipiendae sunt theophaniae, quasi Deus in sua propria substantia visus fuisset, sed secundum quod per operationem divinam formabantur species visibiles et voces audibiles. Nunc autem operationem hanc simul cum repraesentativis speciebus appropriat Iustinus personae distinctae a persona Patris: illi nimirum personae quae aliquando incarnanda, iam tum assumebat partes annuntiandi hominibus voluntates Patris ; illi personae cui ratione processionis suae convenire poterant nomina angeli seu missi, quae in veteris Scripturae theophaniis continuo occurrunt ; illi personae de qua ab initio disputationis (n. 56) dixerat : « Enitar vobis, quando- « quidem Scripturas intelligitis, ea quae dico persuadere, « nimirum alium esse et dici sub creatore universorum, Deum « et Dominum, qui et angelus vocatur, quia nuntiat hominibus « quaecumque illis nuntiare vult universorum Creator, super « quem non est Deus » (1). Illi denique personae de qua in fine (n. 127) concludit : « Nec Abraham igitur, nec Isaac, nec « Iacob, nec quisquam ex hominibus illum omnium omnino « Patrem et Dominum non enarrabilem vidit, sed eum qui « secundum ipsius voluntatem et Deus est ipsius Filius, et « angelus ex eo quod ministret ipsius voluntati, quem et « hominem nasci ex virgine voluit, qui et ignis aliquando « fuit in colloquio cum Moyse ex rubo ». Nec in his molestum tibi sit, quod Filium Iustinus Patri submittat. Non enim

(1) Sensus non est: Alium Deum esse sub Deo universorum creatore, sed: Alium, seu aliam personam esse, quae est et dicitur Deus, etc.

eum tamquam servum creatori submittit, sed tanquam filium Patri, ut secundum nostrum concipiendi modum, (*balbutiendo enim ut possumus, excelsa Dei resonamus*), originis ordo exprimatur (1). Neque etiam Iustino crimini vertas, quod eumdem Filium dixerit secundum voluntatem Patris vel voluntate Patris de Patre genitum esse. Nam praeterquam quod id recte intelligitur eo sensu quem in prima parte, Q. 41, a. 2, exponit S. Thomas (2), ne scilicet in hac Filii ex substantia Patris generatione imaginetur quis necessitatem dominantem Patri, et ei invito impositam, quemadmodum de suo secundo principio ac commentitio Deo fingebant Marcionitae : ipse se explicat Iustinus in eodem dialogo cum Tryphone, n. 128 dicens : « Illam autem virtutem, « quam et Deum sermo propheticus, et angelum vocat, non « solo nomine, ut lucem solis, numerari, sed et numero aliud « quid esse, (*intellige, aliquid subsistens distinctum*), etiam « supra breviter disserui, cum virtutem illam ex Patre geni- « tam dicerem, *virtute et voluntate ipsius, non vero per abscis- « sionem, quasi Patris substantia divideretur*, quemadmodum « caetera omnia quae dividuntur et scinduntur, non eadem « sunt ac antequam scinderentur ; ac exempli causa sumpsi « ignes quos ex alio igne accendi videmus, non imminuto « illo ex quo multi accendi possunt, sed eodem manente ». Ubi vides opponi generationem Filii voluntate Patris, generationi quae apud nos est per decisionem substantiae, id est, *spiritualem materiali*. Quo etiam vergit similitudo ignis ultimo adducta, in qua quodammodo praeit Iustinus

(1) Vide apud Hilarium, l. 9 de Trin. n. 54, quo sensu de Filio secundum quod divina persona est, intelligi possit locus evangelicus: *Pater maior me est.*

(2) « Cum dicitur aliquid esse vel fieri voluntate, dupliciter « potest intelligi. Uno modo, ut ablativus designet concomitantiam « tantum, sicut possum dicere quod ego sum homo mea voluntate, « quia scilicet volo me esse hominem. Et hoc modo potest dici quod « Pater genuit Filium voluntate, sicut et est voluntate Deus, quia « vult se esse Deum, et vult se generare Filium ».

definitioni Nicaenae : « Deum de Deo, lumen de lumine ».

Habemus itaque in his omnibus explicationes imperfectas, conceptiones confusas, denique locutiones improprias ac per se ambiguas, quae si exortae arianae impietatis tempus non praecessissent, suspectae videri possent. At, quae interpretationem ad orthodoxiam reductibilem non recipiant, certe non habemus. Caeterum, omnia quae hucusque de antenicaenis Patribus dicta sunt, ad dogma Trinitatis quod attinet, egregiam confirmationem habebunt ex celebri facto quod narrat Socrates, Hist. eccl. l. 5, c. 10. Nam, cum imperator Theodosius Magnus de pace Ecclesiae per Arianos ubique turbata sollicitus esset et de remedio cogitaret : « Accito Nectario episcopo (Constantinopolitano) sollicita « deliberatione cum eo tractavit, quonam modo christiana « religio dissensionibus liberari, et Ecclesia ad unitatem re- « duci posset. Aiebatque discutiendam esse controversiam, « ut amputatis discordiarum causis, ecclesiis concordia resti- « tueretur. His auditis, Nectarius anxius ac sollicitus haerebat, « et accersito Agelio (episcopo), utpote qui cum ipso in fide « consentiret, imperatoris consilium ei aperit. Ille cum vir « esset alioqui pius ac religiosus, sed qui de fidei doctrina « comminus disputare haudquaquam valeret, Sisinnium lecto- « rem suum qui hoc disputandi munus obiret, elegit. At Si- « sinnius, vir imprimis disertus et magno rerum usu prae- « ditus, cum probe nosset, ejusmodi disputationibus non « modo discidia minime sanari, verum etiam haereses ad majo- « rem contentionem accendi, hoc consilium suggessit Nectario. « Suadet ut dialecticas quidem concertationes omittat, expo- « sitiones autem veterum adducat : utque imperator singu- « larum sectarum principes interroget, *utrum veterum docto- « rum qui ante dissidium in Ecclesia floruissent, rationem « habendam esse censerent, an vero tanquam a christiana re- « ligione alienos eos reiicerent...* Haec Nectarius cum a Sisinnio « audisset, statim in palatium contendit, et quid sibi sug- « gestum sit consilii, imperatori significat. Ille consilium

« avide amplexus, rem ipsam prudenter exsequitur. Occul-
« tans enim id quod in animo habebat, id unum ex illis scisci-
« tatus est, *num rationem aliquam ducerent eorum qui ante ortam*
« *dissensionem doctores Ecclesiae exstitissent, et... utrum illis*
« *tanquam idoneis ac fide dignis christianae doctrinae testibus*
« *acquiescant.* Quae cum audissent sectarum episcopi eorumque
« dialectici,... quid acturi essent ambigebant. Etenim singuli in
« varias distrahebantur sententias.... Concors itaque malitia,
« non secus ac veterum illorum gigantum lingua divisa est.
« Postquam imperator multiplicem eorum dispersionem ani-
« madvertit, eosque sola disputatione, non autem veterum
« Patrum expositione fretos esse, ad aliud consilium se con-
« vertit » (1). Ubi vides quomodo ipsi Ariani, quanquam apud imperitam plebem se fidem a Patribus traditam tenuisse jactitarint, adeoque colorem aliquem ex iis quae de dogmate Trinitatis superius allata sunt, suae haeresi obducere potuerint : formiter tamen interrogati utrum antiquae traditioni stare vellent, veterum Patrum judicium atque auctoritatem prorsus declinarunt. Quod quidem argumento est, eos minime dubitasse quin condemnationem suam in antiqua illa et perenni traditione invenirent.

Et idem dicendum in aliorum dogmatum materiis. Vide ad exemplum epistolam Cyrilli Alexandrini ad Ioannem Anchenum in qua refellit suorum adversariorum calumnias de eo quod senserit confusionem vel commixtionem Verbi cum carne factam fuisse, passibilem esse divinitatem, etc. (2). Vide etiam Augustinum, de praedest. SS. n. 27, ubi circa traditionem dogmatis gratiae usque ad Pelagium, optima observatio est.

2. Quae igitur cum ita sint, quaerendum nunc superest, utrum eadem illa difficiliora Patrum testimonia, non iam *possint* tantum, verum etiam *debeant* in eo quem diximus, catholico sensu intelligi. Nec a longe petenda responsio, quia

(1) Migne, P. G. Tom. 67, col. 583 sqq.
(2) Migne, P. G. Tom. 77, col. 174.

satis est conclusio praemissorum in cap. 1. In iis enim quae ipsam fidei summam constituunt, praesentis Ecclesiae sensus certissimo argumento est sensus Ecclesiae primitivae, ut supra probatum est. Insuper, ab eo sensu deflectere de facto non potuerunt Patres illi omnes, quorum auctoritas semper recepta fuit, et usque nunc recipitur. Oportet igitur ut si qua in dictis eorum invenias, quae cum tanta cautela non dicantur, quanta a modernis servatur, inhaerendo tamen criteriis quae propria sunt interpretationi sacrae traditionis et monumentorum eius, in eo orthodoxo sensu illa indubitanter accipias, in quo possunt intelligi, quidquid sit de probabilitatibus quae e conspectu nudae et simplicis criticae scientificae, in contrarium occurrere adhuc tibi viderentur.

Et haec erat solidissima argumentandi ratio Augustini quoad Chrysostomum, cuius auctoritas contra dogma peccati originalis a Iuliano afferebatur. Observabat enim Augustinus, impossibile fuisse ut Chrysostomus aliter crediderit ac alii quorum consensum iam ostenderat, utique in ea re quae non admittebat sententiarum diversitatem, sed erat de ipsis religionis fundamentis. Nam si vere aliter sensisset *in tam magna causa, ubi christianae religionis summa consistit,* non tantam obtinuisset et conservasset in Ecclesia auctoritatem. Et ideo, ex hoc quod integra manserat eius auctoritas, signum habebatur quod catholicus fuerat sensus eius. « Itane, inquit l. 1 c. Iul. n. 22, ista verba sancti Ioannis « episcopi audes tanquam e contrario tot taliumque sen- « tentiis collegarum eius opponere, eumque ab illorum con- « cordissima societate seiungere, et eis adversarium consti- « tuere ? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere aut « dicere. Absit, inquam, ut Constantinopolitanus Ioannes « de baptismate parvulorum, eorumque a paterno chiro- « grapho liberatione per Christum, tot ac tantis coepiscopis « suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginensi Cy- « priano, Cappadoci Basilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo « Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sunt in qui- « bus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulae

« catholicae defensores, salva fidei compage, non consonant, « et alius alio de una re melius aliquid dicit et verius. Hoc « autem unde agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta... « Comparans ergo (parvulos) Ioannes maioribus, quorum « propria peccata dimittuntur in baptismo, dixit illos *non « habere peccata ;* non sicut verba eius ipse posuisti, *non coin- « quinatos esse peccato,* dum vis utique intelligi, non eos peccato « primi hominis inquinatos.... Ego ipsa verba graeca quae a « Ioanne dicta sunt ponam: Διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, « καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα. Quod est latine: *Ideo et infantes « baptizamus quamvis peccata non habentes.* Vides certe non « ab eo dictum esse, *parvulos non coinquinatos esse peccato,* « sed *non habere peccata :* intellige propria, et nulla conten- « tio est. At, inquies, cur non ipse addidit, propria ? Cur, « putamus, nisi quia disputans in catholica Ecclesia, non se « aliter intelligi arbitrabatur, tali quaestione nullius pulsa- « batur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur ? ».

Ubi vides Augustinum non inhaerere regulis criticae *textualis*, sicut dicunt nostri moderni, sed principiis altioribus quae regere debent omnem legitimam exegesim patristicam. Iis dico principiis quorum reiectio vel neglectus constituit principale vitium criticae de qua in sequenti capitulo nonnulla iam veniunt observanda.

CAPUT TERTIUM

DE VITIO METHODI HISTORICAE IN CRISI MONUMENTORUM TRADITIONIS

Investigatio divinorum, non praemissis debitis disciplinis, omnium malorum est causa.

De methodo historica magna utique quaestio apud modernistas, sed non par quoad omnia, non uniforme iudicium. Distinctione enim opus esse intelligunt, cum alia causa sit de praeambulis theologiae, ubi fidei fundamenta demonstrantur (*sitne, vel non, admittenda christiana revelatio*); alia vero de theologia ipsa, ubi post agnitam revelationis et fontium eius exsistentiam, intima ratio revelatorum dogmatum inquiritur, (*quis sensus sit, quae interpretatio, quae vera intelligentia verbi, quod e coelo a Deo descendens, in divinae traditionis vel inspiratae scripturae instrumento continetur*). Et distinctio quidem obvia, elementaris, evidentior quam ut expositione indigeat. Nunc autem considera ubinam, iudicio novorum theologorum, locum habeat methodus historica, ubinam non habeat. Locum non habet in praeambulis, locum non habet quando adhuc statur in vestibulo, locum non habet cum iudicandum est de revelationis facto, an sit doctrina ista quae christiana vocatur, originem e coelo ducens, vel ab homine. Ratio, quia mens moderna non amplius capit externa revelationis argumenta, miracula scilicet et prophetias, quae per talem methodum historicam in medium adducuntur; ideoque, substituenda methodus immanentiae, consistens in demonstrando veritatem religiosam, seu credibilitatem fidei christianae, ex solis aspirationibus, exigentiis, et energiis quae

animae humanae propriae sunt. Crederes igitur, actum esse de historia et criteriis historiae propriis in sacra disciplina, qua late patet ambitus eius. At non ita est. Nam haec eadem methodus historica, quae exsulare iubetur a vestibulo, suum iam locum inveniet (o mirum !), in intimo sanctuario ; et quae in re apologetica veluti antiquata explodebatur, nunc in re proprie theologica tanquam methodus per excellentiam acclamatur. Ratio, quia quidquid praeter historiam est, a priori est, in aëre est, positivo coaevorum hominum ingenio respondens non est. Pertinet igitur ad scholam historico-theologicam, fessis inclinatisque religionis rebus consulere, et vetustate fatiscens theologiae aedificium nova molitione, subductis antiquis fundamentis instaurare.

Sed quid, quaeso, haec attestantur, nisi omnimodam confusionem idearum in qua versamur, plenumque chaos e quo exoriuntur, et ad quod ducunt novella systemata ? Methodum enim historicam praecise reiiciunt, ubi valet. Praecise adhibent, ubi non valet. Id quidem paucis declarandum in iis quae sequuntur propositionibus.

§ 1.

Quod methodus historica, per oppositionem ad methodum immanentiae, sola est methodus legitima in fidei praeambulis, quando probandum venit revelationis factum, videlicet : an sit christiana praedicatio a Deo revelante, atque ut talis credibilis et credenda.

Methodus historica generatim consistit in duobus. Primo in hoc quod versatur circa textus, vel monumenta, vel facta *externa*. Secundo in hoc quod solis utitur criteriis experimentalibus, quae naturali humanae rationis facultati usui esse possunt. Utroque autem modo, statim et vel prima fronte apparebit conveniens demonstrationi de qua agitur in fidei praeambulis. Conveniens quidem, qua parte principium sui

processus sumit a factis externis. Nam, « ut fidei nostrae « obsequium rationi consentaneum esset, inquit Vaticanum, « Sess. 3, cap. 3, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti « auxiliis, *externa* iungi revelationis suae argumenta, *facta* « scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias ». Conveniens quoque, qua parte iis solis criteriis utitur, quae ex naturalis experientiae ordine assumuntur. Nondum enim supponitur cognita revelatio. Quin imo, ipsa revelationis exsistentia, totius inquisitionis obiectum est, et ideo, ne peccatum peccemus ineptae vitiosaeque circulationis, oportet ponere a parte quascumque regulas seu normas de revelatione ipsa descendentes, ut solius rectae rationis dictamini aestimatio et crisis factorum quae assumuntur in argumenta, committatur. Habes igitur in dicta methodo historica omnes conditiones in praesenti requisitas. Neque hoc tantum. Sed, quod magis est, habes in ea sola, processum rationabilem, ducentem ad solidam propositae demonstrationis conclusionem. Etenim, revelatio est factum ; est factum liberrimum ex parte Dei ; est factum supernaturale, id est, nulla prorsus naturae exigentia postulatum ; est denique factum quod non potest a nobis directe in se cognosci. Ubi ergo, putas, argumentum demonstrans eiusmodi factum ? Fuisse verbi gratia vere a Deo dictum id quod dictum est a Iesu Christo, qui a caeteris hominibus in habitu externo profecto non differebat ? Vere a Deo dictum, id quod ab apostolis est praedicatum, id quod ab eis acceptum de ore in os ad nos usque per Ecclesiam transmissum est ? Cogita et recogita. Nisi absurdum apriorismum in principium erigere velis, factum divinum in se non noscibile demonstrari debet per alia facta divina in se noscibilia : quae nimirum valorem signorum quoad nos habere queant, utpote proposita experientiae et aestimationi nostrae, tam in sua transcendentalitate supra naturae vires, quam in sua habitudine ad revelationem christianam, si vere divina sit, sigillandam atque authenticandam. Et haec quidem facta multiplicis generis esse poterunt ac revera erunt. Factum prophetiarum eventu completarum ;

facta illa physica quae simpliciter et sine addito miracula dicuntur; facta item alia quam plurima, supra omnes quas historia reperit leges miro modo eminentia, cuiusmodi ea sunt quae a Vaticano, loco citato circa finem referuntur: admirabilis Ecclesiae propagatio, eximia sanctitas et inexhausta in omnibus bonis fecunditas, catholica unitas, invicta stabilitas, aliaque similia. Nam haec etiam in ordine factorum continentur: haec etiam ex historicis criteriis ut divina innotescunt, et ideo idonea sunt ei de qua nunc agitur demonstrationi: quanquam principale eius fundamentum sumi utique debeat ex miraculis et prophetiis, eo quod evidentiora illa signa sint quoad nos, et communi omnium intelligentiae magis accommodata. Talis igitur processus fuit hactenus semper adhibitus, incipiendo ab ipso Christo Domino et apostolis eius, sicut tota ab initio ad finem evangelica narratio testatur: *contestante Deo*, inquit Heb. II-4, *signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus* (1).

At nunc processus ille, nescio quo vitio laborans inventus est, et nova methodus substituitur, principium demonstrationis sumens, non iam ex factis externis, sed ex solo subiectivo animae statu: pro quanto scilicet, dogmata christiana ab illo statu postulantur, eique ita iustantur, ut anima possit illa praeintueri in semetipsa, aut saltem sponte sua intrare in ea, propriaque energia ea sibi assimilare statim ac proponuntur, dummodo morali honestate sese rectificare atque purificare satagat. Nam progressus nostrae voluntatis cogit nos fateri insufficientiam nostram, ducit nos ad sentiendum indigentiam cuiusdam superadditionis, nobisque dat unde ordinem supernaturalem inspiciamus, agnoscamus, ac demum recipiamus. Porro haec sola est methodus legitima, quia omne dogma probatum ab extrinseco, indebitum ponit limitem iuribus rationis, et aufert necessariam eius auto-

(1) Cf. Matth. IX; Marc. II; Luc. X; Ioan. X-37 XIV–12 XV–24; Act. X–37, seq., etc. etc.

nomiam, quae vult ut veritatem, acquiramus ex iis solis quae nobis immanentia sunt. De caetero non est cur de hoc ipso principio sollicitus sis. Satis enim est ut scias quod generale immanentiae principium est acquisitio definitiva philosophiae modernae. Insupe : « Quisquis recusat admit-« tere hoc principium, iam non numeratur inter philoso-« phos. Quisquis non pervenit ad eius intelligentiam, eo ipso « demonstrat se non habere sensum philosophicum ». Et adhuc dubitas ? Si cui tamen non sufficiant rhetoricae illae declamationes in quibus tota de integro consistit demonstratio, ille forsitan mirabitur imaginariam basim systematis, phantasticam constructionem, plenamque vacuo vacuitatem. Et si quidem de novella theoria iudicium ferendum esset e conspectu proprie theologico, prorsus condemnanda appareret tanquam corruptiva fundamentalis notionis entis supernaturalis, imo et destructiva omnis fidei cuius motivum sit Dei revelantis auctoritas, uti alias notatum est. His tamen interim omissis, paulisper nunc considera, quam sit vana quoad fundamentum quod praesupponit, quam inepta quoad factum quod assumit, quam risu praesertim digna quoad praetentionem quam prae se fert, eliminandi aut certe superandi soliditatem apologiae traditionalis ex miraculis aliisque externis revelationis argumentis.

Vana, inquam, quoad fundamentum quod sibi praestituit. Nihil enim scire volens de argumentis quibus Deus unus et verus, creator et Dominus noster, per ea quae facta sunt tanquam per effectus cognoscitur ; claudens oculos super omnia gesta Dei in mundo, super vitam, praedicationem et opera Iesu Christi, super praeparationem et consectaria adventus eius, super alia quaecumque facta obiectiva quibus ab initio usque nunc testimonia divina credibilia facta sunt nimis : totum complexum veritatis religiosae, etiam revelatae, ipsa quoque comprehensa Dei exsistentia, eruere contendit ex sola inspectione insufficientiae, indigentiae, inquietudinis, et aspirationum animae humanae. Crederes revera audire philosophantes somnambulos. Quale enim,

quaeso, genus argumenti, qualis iste ratiocinandi processus : indigens ego sum, ergo vere a parte rei est id quo indigeo, vel mihi videor indigere ? Diceret quispiam solo dictamine sensus communis ductus : Erit in desiderio, erit in aspiratione, erit etiam, et saepissime, in phantastica illa obiectivitate cuius causa et principium ipsa anima est, tam facile creans et ad exsistentiam vocans desiderata sua. Illae enim sunt, quae animae illusiones vocantur : « Quantae sint autem « illusiones animae, inquit Augustinus, si voluero dicere « tempus quando sufficit ? Cuius enim anima, ista non pa- « titur ? Breve est quod admoneo, quomodo anima nostra « completa est illusionibus ». Verumtamen ab imaginata illa obiectivitate ad obiectivitatem obiectivam tanta distantia est, quanta inter realitatem et somnium. Denique, desiderium, aspiratio, et si quid aliud eiusmodi, per se nihil aliud ostendit quam indigentiam ; indigentia nihil aliud quam vacuitatem ; vacuitas autem, quod sciam, nusquam demonstrare poterit, realiter exsistere id per quod impleatur. Haec sane manifesta et videntur et sunt, quidquid dicat sensus ille philosophicus quo nos per summum infortunium destituimur.

Quod si forte his opponas, eos omnes qui ante nos de anima et beatitudine et fine hominis diserte sapienterque scripserunt, multas solidissimasque deduxisse conclusiones ex desiderio naturae, quod non potest esse illusorium, aut inane remanere : animadverte, quaeso, diligenter, quod conditiones argumenti eorum longe longeque sunt a fundamento methodi immanentiae. Considerant enim i naturam ut est opus Dei sapientissimi creatoris et provisoris; Dei, inquam, rerum omnium principii et finis, quem omnino cognoscunt aliunde quam ex aspirationibus suis: ex facto scilicet exsistentiae mundanorum effectuum qui in se non habent rationem sufficientem sui esse, sui ordinis, suaeque evolutionis. Tunc ergo desiderium naturae non accipitur tanquam nudum et simplex desiderium, sed tanquam desiderium in natura radicatum ab auctore Deo, cuius sapientiae manifeste repugnat ut creaturae suae proportionem

et exigentiam et tendentiam indiderit, quae non possit adimpleri. Tunc aspiratio naturalis formaliter sumitur ut *inclinatio rei in finem suum naturalem, qui est ex directione instituentis naturam* (1). Tunc quoque, ex appetitu animae efficax formari potest argumentum, quanquam non ex quolibet appetitu, sed ex solo appetitu, ut aiunt, innato, vel etiam elicito non excedente terminos innati (2). Verum enim vero, ex quo me concludis in aspirationibus, qua immanentes (ut dicis) aspirationes sunt ; ex quo e profundo aspirationum totum religiosae veritatis aedificium vis emergere ; ex quo contendis exsistere Deum, exsistere revelationem, exsistere ordinem superiorem, quatenus, nec plus nec minus, haec omnia respondent praedictis cordis aspirationibus : rideo intus apud memetipsum, et vanum, illusorium, phantasticum, inane, somnio simile dico fundamentum.

Sed haec, si placet, omittamus. Fundamentum paulisper admittamus, demusque maiorem totius processus praemissam : necessariam esse connexionem inter aspirationes animae praecisive ut tales et concretam exsistentiam rerum quae per eas postulantur. Iam veniamus ad factum quod nova methodus apologetica loco minoris ponit, nimirum : aspi-

(1) S. Thom. in III, D. 27, Q. 1, a. 2.

(2) Appetitus dupliciter dicitur. *Innatus*, qui non consistit in aliqua operatione, sed in ipsa proportione seu connaturalitate uniuscuiusque ad bonum sibi conveniens secundum exigentiam propriae conditionis. *Elicitus*, qui consistit in actu voluntatis, et iterum est duplex, secundum quod continet se intra terminos appetitus innati, vel e contra praetergreditur illos, sicut si quis appeteret id quod reputat possibile, et possibile non est, aut certe, etsi absolute possibile sit, transcendit tamen suam conditionem. Et ex priori quidem trahi potest argumentum tam pro possibilitate quam pro exsistentia eius ad quod est talis appetitus, *quatenus scilicet, frustranea esse non potest ordinatio auctoris naturae, quam eiusmodi appetitus ostendit*. Ex posteriori autem, nihil, praetereaque nihil, quia ferri potest in quodlibet, secundum imaginationem appetentis, vel ambitionem anhelantis ad id quod est supra naturae vires, debitaque naturae adiutoria.

rationes cordis revera requirere, exigere, postulare revelationem. Nam ibi forsitan, iterum somnium, iterumque lusus imaginationis. Certe, factum huiusmodi longe est ab omni experientia positiva. Illud negant primo omnes rationalistae. Negant secundo omnes ad unum catholici theologi. Negat tertio Concilium Vaticanum, expresse statuens ac definiens revelationem eatenus tantum fuisse absolute necessariam, quatenus placuit Deo ex infinita bonitate sua indebitum beneficium homini conferre, ordinando eum ad participanda bona divina quae humanae mentis intelligentiam omnino superant siquidem oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum. Sed, quod magis est, qui primi omnium negare deberent, ipsi sunt immanentistae, cum nulla eis sit legitima veritatis acquisitio, praeter eam quae est ex proprio animae fundo. Nihil quippe cogitatur magis extraneum fundo animae humanae quam revelatio, et statim quaeritur quale tandem chimaerae genus anima sit, si nullam recipere potest veritatem nisi autochtonam, et simul nullo alio magis indiget quam instructione et doctrina ab exteriori, id est a Deo revelatore, praeter et supra omnes naturae leges sibi adveniente.

Quid nunc, si ad concretam applicationem descendamus ! Nam revelatio quam postulari dicunt per aspirationes cordis, non est revelatio in genere, sed haec in individuo signata revelatio, quae fides catholica appellatur. « Fides autem « catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate. et Trinitatem « in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque « substantiam separantes. Alia persona Patris, alia Filii, « alia Spiritus Sancti, sed Patris et Filii et Spiritus Sancti « una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas... « Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, et tamen « non tres dii, sed unus est Deus.... Pater a nullo factus, « nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo, non factus, « nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre et Filio « non factus nec creatus, nec genitus, sed procedens.... Est

« quoque fides recta, ut credamus et confiteamur quia D. « N. I. C. Dei Filius, Deus et homo est.... Qui licet Deus et « homo, non duo tamen, sed unus est Christus; unus, non « confusione substantiae, sed unitate personae... Qui passus est « pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit « a mortuis, ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Patris.... « Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter fir- « miterque crediderit, salvus esse non poterit ». Nunc ergo, inquire et considera, Vide tu, quid commune esse possit inter catholicam hanc fidem et aspirationes, exigentias, ac postulata quae latent in profundo animae humanae. Si vides, bene est; ego quidem videre non valeo.

At dices, non ex hac parte sumendam esse fidem christianam, cum iudicium ferendum est de convenientia eius cum aspirationibus cordis: non ex parte theoretica, sed magis morali, quae sensum practicum afficit. Sit igitur ut volueris. Sed hoc etiam modo, dico tam efficax tamque rigorosum fore argumentum quo Turca quispiam credibilitatem demonstraret revelationis allatae per suum prophetam Mahumetem. Nam et Mahumes attulit revelationem mundo, et habuit colloquium cum Gabriele archangelo, secundum quod reperitur scriptum in Alcorano: sicut etiam invenimus in Evangelio, I. C. descendisse de coelo ut perferret ad nos verba eius qui misit illum. Porro, si penes exigentias et tendentias cordis iudicium sit, quot sunt quibus, dum consulunt aspirationes suas, verior videbitur revelatio Mahumetis quam revelatio Christi! Nec valet si respondeas, aspirationes quibus respondet paradisus Mahumetis, non esse bonas, adeoque non demonstrare veritatem suorum postulatorum. Nam caeteris nunc praetermissis, quis te docuit hanc distinctionem inter aspirationem bonas et non bonas? Et ego quidem, quamdiu hominem realem non exuo, quamdiu naturam meam apprehendo prout constitutam sub ordine primae causae, primi principii, et ultimi finis rerum omnium, tamdiu per respectum ad supremum hunc voluntatis meae finem iudicare possum et iudico de bonitate vel pravitate

aspirationum mearum. Sed rursus, semel ac me claudis in aspirationibus meis tanquam in primo principio ex quo omnis veritas educenda est et comparanda, iam nescio quid sint bonae vel non bonae aspirationes. Nihil aliud novi quam aspirationes veras et reales. Invenio autem in me aspirationes quae postulant paradisum Mahumetis, alias quae postulant paradisum Christi, et concludo tam veram esse revelationem Alcorani, quam vera est revelatio Evangelii, tam receptibilem unam quam receptibilis est et altera. Vides inane systema, insubsistens, ducens ad contradictoria ?

Est et aliquid peius, dum in tantum de sua soliditate confidit, ut persuasum habeat evanescere iam in splendore sui luminis apologiam traditionalem cum miraculis et aliis externis revelationis argumentis, de quibus affirmare non dubitat, quod mentalitati modernae amplius non accommodantur, et pro coaevis hominibus vim demonstrativam amiserunt. In hoc enim cumulus apponitur phantasticis iudiciis quibus totum de integro systema constat. Crederes eos immanentiae adeo studiosos, ut de iis quae foris aguntur nihil penitus sciant, nihilque unquam audiverint de novis ac splendidis signis quibus placuit Deo hac ipsa nostra aetate in lumine solis et summae publicitatis theatro, credibilitatem fidei catholicae confirmare. Ad horum ergo factorum historiam, in qua ridiculae assertionis plena confutatio est remittemus eos (1). Equidem verissimum est quod mo-

(1) Lege omnino egregium librum Georgii Bertrin: *Histoire critique des événements de Lourdes*. Ibi invenies miracula cum summo rigore critico narrata, miracula quae fecit Deus pro mentalitate moderna, miracula de quibus rectissime in sua praefatione auctor ait: *Ils forment comme un chapitre nouveau de l' apologétique chrétienne*. Inter alia autem multa quae in discussione factorum scite et apposite dicta inveniuntur, cum fructu leges paragraphum cui titulus: *Forces inconnues*, pag. 190, seq. Ubi auctor occurrit vulgari difficultati de incognitis naturae viribus, multis ostendens, occultas illas vires, postmodum forsitan detegendas, non posse esse in oppositione cum legibus certo a nobis cognitis, adeoque frustra obiici cum de dignoscibilitate miraculi agitur.

dernus incredulitatis spiritus resistit miraculis, et impossibilia tentat ne admittat realitatem miraculorum, et voluntarie claudit oculos ne irrecusabili miraculorum testimonio confundatur (1). Sed, praeterquam quod, proh dii immortales ! non ibi est aliqua moderna novitas, nisi forte aeram modernam a tempore scribarum et pharisaeorum incipere velis, conclusio esset e diametro opposita ei quam eruere volunt. Inimici enim revelationis conantur contra solidas eius demonstrationes ; at contra levem et nebulosam immanentiae apologiam quis arma converteret et vires ? De ea rident et ridebunt semper, et diabolus cum eis.

Sic igitur apparet quam absurde a fundamentali quam vocant theologia, methodus historica expellatur. Sed iam venit quaestio utrum immerito a vestibulo pulsa, iure admittatur in intimo scientiae sacrae sanctuario. Pro cuius solutione sequens sit propositio.

§ 2.

Quod methodus historica, per oppositionem ad methodum theologicam, est non modo prorsus insufficiens et improportionata, verum etiam in positivos omnis generis errores inductiva, quando post fidei praeambula, de revelatione christiana iam non quaeritur an sit, sed quaeritur quis sensus sit, quaeve interpretatio eorum quae in eius fontibus continentur. Et quod eadem methodus, si eousque perducatur ut sub dolosa specie abstractionis a superioribus regulis, eadem utatur independentia in solitis suis hypothesibus seu coniecturis construendis, ac si superiores illae regulae non exsisterent, habet in sua basi haeresim eo perniciosiorem, quo magis artificiose dissimulatam, eoque graviorem, quo ad omnem negationem revelatorum dogmatum liberiorem pandit viam.

(1) Vide apud Bertrin, op. cit., pag. 233, seq. *Les miraculées d' un romancier.*

Generalis ratio huius assertionis adeo evidens est, ut opus non sit longa declaratione. Etenim, in quocumque exegesis ordine, primum et maxime necessarium interpretationis criterium semper sumi debet ex iis quae propria sunt auctori vel scholae, de cuius doctrinis inquiritur. Id certe vel vulgaris et bonus sensus communis dictat ; id demonstrat ratio admodum obvia. Nam quid, quaeso, diceres de eo qui aggrederetur commentarium librorum Aristotelis, vel expositionem placitorum scholae peripateticae, nihil curando de terminologia Aristoteli propria, nihil de regulis, nihil de methodo, nihil de principiis quae scholam eius regunt ? Cum igitur ad interpretationem accedis, sive librorum qui auctorem habent Deum revelantem, sive operum quae etsi a Deo non inspirata, adhuc tamen sunt, si dicere liceat, de schola a Deo fundata atque instituta pro custodia et propagatione doctrinae revelatae : prae primis attendendae tibi erunt normae omnes de revelatione ipsa descendentes, specialesque regulae quas revelatio, vel natura sua infert, vel de facto assignavit. Istae autem dicuntur criteria theologica. Sed methodus historica ea praecise est, quae eiusmodi criteria ignorat, et illis solis exclusive utitur, quae a profano usu et consueto rerum humanarum cursu accipiuntur. Quomodo ergo sufficiens et proportionata ei de qua nunc agitur inquisitioni ? Imo vero, quomodo non conducens in positivos gravissimosque, ad verum multorum textuum sensum quod spectat, errores ? Id iam nonnullis exemplis illustremus.

Legis exempli gratia apud Matthaeum, quod antequam Ioseph et Maria convenerint, inventa est Maria in utero habens de Spiritu Sancto ; legis quod Ioseph non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum ; tibi etiam pluries occurrit mentio fratrum et sororum Iesu. Et tu in methodo historica clausus, facile concludes, uterinos fratres et sorores hic intelligi ; primogenitum dici, non solum ante quem nullus, sed etiam post quem alii ; sensum denique evangelistae esse, quod Maria fuit aliquando a Ioseph cognita, quod habuit filios et filias, et quod ex consequenti amisit

virginitatem. Erras, imo in formalem haeresim incidis. Si superioribus fidei criteriis attendisses, hunc sensum certissime exclusisses. Intellexisses evangelistam removisse conventum, quousque poterat in cogitationem venire ; intellexisses eum reliquisse tanquam indubitabile et velut extra omnem possibilem suspicionem positum, quod post talem ac tantam de Spiritu Sancto conceptionem, sacrarium divinitatis permanserit inviolatum ; intellexisses demum, eodem sensu dici : non cognoscebat eam donec, etc., quo sensu dicerem : iste poenitentiam non egit donec mortuus est, quia cum de poenitentia agitur, de solo tempore vitae praesentis quaestio esse potest, et qui aliquem non poenituisse affirmat quamdiu hic vixit, in aeternum removet ab eo poenitentiam.

Legis apud Lucam quod Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines, et quia non aliter id de Iesu edicitur ac de quovis puero disciplinato bona indole praedito, concludis sensum evangelistae esse, quod Iesus crescebat intrinsecus in virtute, quod sensim sine sensu acquirebat conscientiam sui, quod more caeterorum fiebat de ignorante sapiens. Erras. Certe testatur ibi Lucas, historici partes agens, factum externum, sensibile, experimentale, visum ab iis apud quos adoleverat Iesus ; factum scilicet cuiusdam progressus in exterioribus actionibus notati, secundum quod in eis, sive essent de officiis ad Deum, sive de officiis ad homines, magis magisque cum evolutione annorum manifestabatur sapientia et gratia. Et siquidem, de sensu evangelistae ac de facto ab eo attestato iudicandum foret secundum communes regulas, legitimus profecto transitus esset, legitima illatio ad progressum interiorem, utpote qui in consueto rerum cursu connectitur cum phaenomeno exteriori tamquam causa cum effectu. At vero, quominus iudicium nunc feras iuxta communem hanc et ordinariam normam, aliquid vetat. Quoad factum, vetat revelatum principium unde edocemur actiones adolescentis Christi non fuisse ex crescente sapientia et virtute, sed fuisse tantum crescentes manifestationes sapientiae et virtutis qua plenus ab initio

erat. Quoad sensum vero evangelistae, vetat certissima fides de inspiratione evangelii, a qua quidem abstrahere aliquando licet, contra quam aliquid sentire nunquam licet.

Legis apud Marcum quod Iesus veniens in Nazareth, *non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit*, et inde concludis scriptorem in ea fuisse persuasione, quod limitabatur potestas miraculorum in Christo, et quod revera defectus potentiae in causa fuit cur pluribus infirmis sanationis beneficium non sit elargitus. Iterum erras. Suppositis enim regulis fidei sine quibus libri Dei rectam interpretationem non habent : « Dicendum quod « hoc quod dicitur : *non poterat ibi virtutem ullam facere.* « non est referendum ad potentiam absolutam, sed ad id « quod potest fieri congruenter » (1). Non quod, inquit Hieronymus, illis incredulis facere non potuerit virtutes multas, sed quod, ne multas faciens virtutes, cives incredulos condemnaret. Secundum quem modum dicitur Genes. XVIII-17: *Num celare potero Abraham quae gesturus sum ?* Et XIX-22: *Non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc.* - Rursus apud Matthaeum legis quod Christus miratus est audiens loquentem centuriorem, et quia apud nos admiratio contingere solet ex hoc quod aliquid evenit contra nostram expectationem, eamdem admirationis causam in Christum trasfers, et ex consequenti, communis nostri defectus seu ignorantiae participem eum affirmas. Sic tu solo humano sensu ductus ; sed aliam explicationem altiora criteria suppeditabunt : « Dicendum quod admiratio proprie est de « aliquo novo et insolito. In Christo autem non poterat esse « aliquid novum et insolitum quantum ad scientiam qua « cognoscebat res in Verbo, neque etiam quantum ad scien- « tiam qua cognoscebat res per species inditas. Potuit tamen « aliquid esse ipsi novum et insolitum secundum scientiam « experimentalem, secundum quam ei poterant quotidie aliqua « nova occurrere. Et ideo si loquamur de ipso quantum ad

(1) S. Thomas, 3ª Part. Q. 43, a. 2 ad 1um.

« scientiam beatam vel etiam infusam, non fuit in Christo « admiratio. Si autem loquamur de eo, quantum ad scien- « tiam experimentalem, sic admiratio in eo esse potuit, et « assumpsit hunc affectum ad nostram instructionem, ut « scilicet doceat esse mirandum quod etiam ipse miraba- « tur » (1).

Difficultatem experiris in conciliandis inter se evangelistis quoad ordinem et circumstantias apparitionum Christi ad mulieres post resurrectionem, et tuae methodo innixus, quae semper ad verosimiliores vel faciliores hypotheses recurrit, opinaris lapsos esse in hoc puncto evangelistas, vel omnes, vel aliquos. Probabile id quidem forsitan esset si de libris humanis ageretur ; non est probabile, sed certissime excludendum si de divinis. – Comparas evangelium Ioannis cum synopticis, et collatione facta, iudicas quod si locutus est Christus ut apud Ioannem, non potuit loqui ut apud synopticos, aut vice versa, si locutus est ut apud synopticos, non potuit loqui ut apud Ioannem. Coniectura est valde debilis, cui omnem, si quam haberet probabilitatem, adimit certissima doctrina fidei proponentis quatuor omnino libros unius eiusdemque sancti Iesu Christi evangelii. Et sic porro in aliis multis, nam dies pene deficeret in omnibus similibus casibus enumerandis.

Quod si nunc opponas ad tuae methodi defensionem, evangelia esse etiam documenta vere historica, quae ut talia, nec plus nec minus, accipienda sunt in fidei preambulis per ordinem ad iudicium credibilitatis, quando regulae et criteria quae ex fide derivant, in usum nondum veniunt, nec venire possunt, ne, quod absit, vitiosus circulus manifeste incurratur : respondebo id esse verissimum, sed statim addendum esse quod in hac inadaequata evangelii acceptione, adaequatum et completum de rebus evangelicis iudicium possibile omnino non est. Accipies igitur facta externa, visibilia, ordinis experimentalis, quae in evangelio sunt attestata ; sed

(1) S. Thomas, 3ª Part. Q. 15; a. 8.

quoad intimam rationem eorum, revocabis in memoriam quod ex solis communibus criteriis saepe devenies ad conclusiones hypothetice tantum veras ; hypothetice, inquam, id est secundum solum ordinem communiter contingentium, quem ordinem ibi locum non habuisse, superius fidei lumen postea te docebit. Accipies etiam substantiam narrationis historicae, quae est evidentissime eadem, sibique maxime constans, in omnibus libris nostris, et talis quae omni homini sincero solidissimum de miraculis aliisque signis persuasionis fundamentum exhibeat. Sed quoad narrationis modum et accidentalitates, meminisse oportebit quod consueta critices historicae methodus ducere te poterit ad multas coniecturas magis minusve verosimiles, quae tamen nihil plus erunt quam coniecturae, quoadusque falsas eas forte ostendat transcendens tuam artem fides inspirationis (1). Habebis itaque saepissime unde suspendas iudicium, et dicas quod e solo conspectu scientiae historicae non constat omne id quod de factis sacrae historiae, vel de absoluta eius infallibilitate, sacra doctrina tenet et tradit. In omni autem modo, ratio tractandi et interpretandi evangelium cum eadem illa libertate et independentia quae in profanis historiae documentis admittitur, falsa, vitiosa, et ad errorem ducens methodus est.

Porro idem nunc, proportione servata, vitium occurrit quoad interpretationem traditionis, dum scilicet traditionem accipiunt quasi in communi facto historico esset reposita, hoc est in facto transmissionis qualiscumque doctrinae secundum solas humanorum ingeniorum vires et industrias ; adeoque relinquunt penitus a parte superiora criteria quae in casu necessaria essent ad legitimum iudicium ferendum de sensu veterum Patrum in multis locis quae nobis obscura sunt, et absolute loquendo, diversis interpretationibus an-

(1) Ubi nota quod contra certitudinem *historicam* factorum evangelicorum *quoad substantiam*, nihil faciunt difficultates seu antilogiae quae in quibusdam accidentalibus occurrunt. Ab iis ergo in ordine ad credibilitatem fidei nostrae, iure praescindes.

sam praebere possent ; inter quas critici pro suo pruritu libere et independenter opinandi, semper eligunt illas quae in partem heterodoxam inclinant, ut deveniant ad desideratam conclusionem : alium fuisse sensum primaevae ecclesiae, a sensu qui in posteriori aevo praevaluit. Et si quidem solo spiritu humano traditio duceretur, tunc nihil profecto a priori obstaret quominus admitteretur possibilitas mutationis factae in sensu et intelligentia dogmatum. Tunc non esset necesse sumere ex claris explicationibus posteriorum Patrum, tutam certamque normam interpretandi obscuriores expositiones antiquiorum. Tunc liceret committere successores cum antecessoribus. Tunc dicere forsitan posses, magnos illos quarti et quinti saeculi doctores aut decipere aut decipi, quando a sensu et sententia maiorum se per omnia pendere, tam asseveranter, tamque instanter profitentur. Augustinum non intellexisse auctores de quibus scribebat in exordio librorum de Trinitate : *Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate quae Deus est, divinorum librorum catholici tractatores, hoc intendunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres dii, sed unus Deus* (1). Scriptores denique primi aevi, sub summo ac supremo Deo, in Filio et Spiritu Sancto inferiores deos seu demiurgos agnovisse, ac per hoc, novum paganismum sola accidentali forma ab antiquo diversum introduxisse. Haec, inquam, dicere forsitan posses ; quae etsi sat dura videantur, adhuc tamen receptibiles forent conclusiones pro ea disciplina quae in coniecturis et hypothesibus ut plurimum conquiescere solet (2). Nunc autem ibi, non secus ac in Scriptura, elementum humano maius agnoscendum est ; et quod in causa erat cur historica me-

(1) August. de Trinit. l. 1, c. 4.

(2) « Les critiques ont conscience d' opérer constamment avec « des hypothèses, que l'examen des textes rend plus ou moins pro- « bables, qu'il peut rendre certaines autant que la matière le comporte.

thodus et crisis dici debeat plane insufficiens ad interpretandum evangelium, in causa pariter erit cur impar dicatur ad interpretanda monumenta sacrae traditionis.

Nota autem bene, non somniari nos, quod si qua inveniantur *certo demonstrata* secundum legitima criteria disciplinae historicae, illa eadem poterunt quandoque ostendi falsa secundum superiora fidei principia, et propria theologiae criteria. Absit ; non est sensus praemissorum. Sed solum dicimus quod usitatae in arte critica regulae saepissime ducunt ad iudicia mere probabilia, ad coniecturas plus minusve verosimiles, ne dicam penitus imaginarias. Nunc autem, id quod e solo conspectu criticae historicae coniecturale vel etiam probabile esse posset, probabile amplius non est, si opponatur veritati quae per aliam viam certissime innotescit. Imo est haereticum vel erroneum, et sub liceitate opinandi amplius non cadit, si contradicat iis quae vel fides docet, vel criteria theologica demonstrant. Proinde, si sub specie praecisionis a superioribus regulis, documenta Sacrae Scripturae vel Traditionis tractare attentas cum eadem libertate et independentia, quae in profanis conceditur, non solum non vitabis haereticam pravitatem, sed adiicies etiam crimen artificiosissimae fallaciae. Scribebat auctor libelli *L' Evangile et l' Eglise*, in introductione sui operis : « In « hoc libello propositum intentionis est, omnia considerare « e solo conspectu historiae ; non autem conficere apologiam « catholicismi et dogmatis traditionalis. Si hoc fuisset inten- « tionis propositum, praesens opusculum praesertim quod « attinet ad divinitatem Christi et auctoritatem Ecclesiae, « esset valde defectuosum atque incompletum.... Non inten- « dimus hic demonstrare, neque veritatem Evangelii, neque « veritatem christianismi catholici, sed solum definire habi-

---

« L' hypothèse joue dans l' investigation historique, le même rôle « que dans les recherches proprement scientifiques. La meilleure est « celle qui rend le mieux compte des faits connus, et qui s' y adapte « avec le plus de facilité ». Loisy, *Autour d' un petit livre*, pag. 35.

« tudinem qua Evangelium et Ecclesia catholica in historia « uniuntur. Lector bonae fidei in hoc non falletur » (1). Vix dici potest, quot incautos dolosa haec professio deceperit. Nonne, aiebant, aliud est praescindere, aliud negare ? nonne apud omnes receptum est axioma dicens : abstrahentium non est mendacium ? nonne alius est conspectus historici, alius theologi ? Profecto. Et perveniens ad finem libri, vides omnia dogmata fidei christianae, unum post alterum destructa ; vides ea prorsus abiuranda, nisi forte contrarium eius quod admittitur et approbatur ab historico, possit simul ut certissimum recipi a fideli. Propterea dico : methodum historicam eousque perductam ut sub dolosa specie abstractionis a superioribus regulis, eadem utatur independentia in solitis suis hypothesibus seu coniecturis construendis, ac si superiores illae regulae non exsisterent, habere in sua basi haeresim eo perniciosorem, quo ad destructionem omium revelatorum dogmatum liberiorem pandit viam.

(1) Pag. 7 primae editionis.

CAPUT QUARTUM

DE ERRORE VERITATIS RELATIVAE IN DOGMATIBUS TRADITIONIS (1)

« Dicit ei Pilatus : Quid est veritas ? »
(Ioan. XVIII-38).

Semel ac admissum est, sensum antiquae Ecclesiae circa primaria etiam dogmata religionis nostrae, fuisse revera diversum a sensu qui in Ecclesia sequioris aevi praevaluit, statim sequitur non posse admitti traditionem immutabilem, fixam, sibique semper constantem, sed e contra, talem eam esse agnoscendam, quae indefinitae variationi sit per se obnoxia. Ex quo enim, ut volunt novi magistri, notiones quas Ecclesia proponit tanquam dogmata revelata, non sunt veritates e coelo delapsae, et conservatae in eodem tenore in quo ab ipsa origine proponebantur, nihil iam prohibet quominus semper modificentur, semperque spolientur determinato illo modo quem speciales culturae conditiones attulerant in saeculis anteactis, ut magis ac magis vestiant politioris scientiae formam. Imo vero, nedum aliquid sit quod prohibeat, multa sunt quae eiusmodi modificationem quam maxime nunc necessariam faciunt. Nunc enim mutata est

(1) Ea quae in hoc capitulo continentur, fere de integro excerpta sunt ex duobus egregiis articulis Guidonis Mattiussi S. I. de immutabilitate dogmatis, in periodico: *La Scuola cattolica* (Quaderno di Marzo 1903 et seq.).

speculatio philosophica ; nunc habetur multo amplior cognitio historiae et universi, nunc..., nunc... etc.

Sed dicet aliquis : Si ita de sacra traditione sentiendum est, si illud quod heri et nudiustertius ut verum praedicabatur, hodie est corrigendum, si indefinita evolutio ponitur, et omnis evolutio nova secum fert aliquam deiectionem de doctrina quae credebatur prius, ergo erravit traditio antiqua sicut errat quoque traditio praesens ; omnis infallibilitas apostolico magisterio penitus aufertur, et promissum a Christo charisma veritatis in Ecclesia omnino non est. Gravis sane difficultas, quae tamen optimam habebit solutionem ex distinctione facienda inter veritatem *absolutam*, et eam quae dici potest *relativa*. Haec quippe distinctio est, quam contra fallacem Scholae dogmatismum suggerit philosophia Kantiana. Non enim errabat ille qui ponebat incognoscibilia numena, seu intimas rerum naturas, earum praesertim quae sunt supra nos. De facto, quis vere fidere poterit conceptibus suis, quasi conformes essent realitati obiectivae ? Quid magis incredibile quam axioma quo antiqua philosophia ponebat veritatem in mente nostra esse adaequationem intellectus et rei ? Imo quid magis absurdum, loquendo praesertim de rebus divinis quae infinite elevantur supra omne id quod nostrae ideae possunt exprimere ? Ergo veritas apud nos est continuum inquirere, potius quam impossibilis consecutio ac possessio eius quod inquiritur ; est conceptio quoad fieri potest approximans realitati ; est melior loquendi modus qui possit haberi secundum praesentes nostras conditiones et circumstantias, cui tamen nunquam definitive et immobiliter stare oporteat. Et quia ipsa fidei dogmata formata fuerunt per quamdam reductionem mysteriorum divinorum ad communes notiones humanas sicut vel sola eorum structura luculenter ostendit, clarum est quod hic quoque, imo hic maxime, attenta omnimoda obiecti transcendentalitate, nihil plus erit veritas quam quod melius et aptius dicetur secundum currentes ideas et statum culturae unicuique epochae proprium. In hoc autem stat ratio veritatis relativae, quae

cum semper adsit in doctrina traditionis et ecclesiasticis definitionibus, optime conciliat inter se duas res quae olim videbantur insociabiles, evolutionem scilicet doctrinalem et infallibilitatem sano modo intellectam (1).

Sic schola nova quae nunc invalescit, et nihil curare videtur anathema latum a Patribus Vaticanis, Sess. 3, can. 3 de fide et ratione, contra eos qui dicunt *fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia*. Porro, praesentis capituli scopus est declarare quid sentiendum sit de commento illo adeo nunc celebrato veritatis relativae, et primo quidem quoad se, deinde vero quoad applicationem eius ad dogmata fidei nostrae.

(1) Vix ac ne vix quidem differt conceptus ille ecclesiasticae infallibilitatis, ab eo de quo annotatur in primum schema constitutionis de doctr. cath. Concilio Vaticano propositum: « Affir- « matur munus Ecclesiae infallibilis eo tandem spectare, ut inter « varias sententias de sensu dogmatis illa praevaleat, quae pro tali « tempore sit aptissima. In qua sententia ita per Ecclesiae defini- « tionem praevalente concedunt semper esse aliquam veritatem, « sed non ideo veritatem simpliciter, et totam veritatem; atque « ideo progressu temporis pro alio ulteriori stadio scientiarum, ne- « cessariam reddi definitionem perfectiorem, quia illa prior huic « posteriori stadio scientiae iam apta non est. Sic, aiunt, saeculo V « excludenda erat separatio duarum personarum hominis Iesu et « Filii Dei. Damnatio vero huius separationis, iuxta psychologiam « illius aetatis includebat unitatem personae Christi, et ita definita « est una hypostasis seu persona in duabus naturis. At iuxta veram « philosophiam nostrae aetatis, inquiunt, iam intelligi debent duae « personae, divina et humana, permanentes in ipsa unione, et ideo « intelligendam esse non unitatem realem personae Christi, qualis « hactenus intelligebatur, sed unam personam compositam ex duabus « personis, etc. ». Collect. Lac. p. 538.

§ 1.

Quod conceptus veritatis relativae est in se absurdus, et quod praeter definitionem ab antiqua philosophia consecratam (adaequatio intellectus et rei), nulla alia admissibilis est notio veritatis.

« Sicut bonum nominat id in quod tendit appetitus, ita « verum nominat id in quod tendit intellectus. Hoc autem « distat inter appetitum et intellectum sive quamcumque « cognitionem, quia cognitio est secundum quod cognitum est « in cognoscente, appetitus autem est secundum quod appetens « inclinatur in ipsam rem appetitam, et sic terminus appetitus « quod est bonum, est in re appetibili, sed terminus cogni- « tionis quod est verum, est in ipso intellectu... Cum autem « omnis res sit vera secundum quod habet propriam formam « naturae suae, necesse est quod intellectus in quantum « est cognoscens, sit verus in quantum habet similitudinem « rei cognitae, quae est forma eius in quantum est cogno- « scens. *Et propter hoc, per conformitatem intellectus et rei « veritas definitur* » (1). Et re quidem vera, si notitia est ex propria ratione sua, repraesentatio obiecti existens in intellectu, statim sequitur quod veritas, utpote propria notitiae perfectio, non in aliquo alio consistere potest quam in conformitate eius cum obiecto ipso. Conformitatem autem dico, quae non est quaerenda in entitate actus cognoscitivi per comparationem ad entitatem rei extra intellectum, sed praecise in hoc quod obiectum reipsa in se constituitur sicut intellectus apprehendit et dicit obiectum esse constitutum.

Sed ut intellectus aliquid dicat de reali constitutione obiecti, necesse est ut sese ad illud referat cum actu suo, et hoc non facit in simplici apprehensione, sed solum in iudicio quod per propositionem exprimitur. Omne enim iudicium

(1) S. Thomas, I Part. Q. 16, a. 1–2.

comprehendit notiones duas, quarum una sumitur ut subiectum quod supponit pro re ad quam mens se refert, altera ut forma quae subiecto attribuitur et de eo praedicatur. Et subiectum quidem supponens pro re extra intellectum, semper enuntiat aliquid designatum ac distinctum, quamquam adhuc imperfecte apprehensum, velut quiddam quasi potentiale quod determinandum est per praedicatum. Neque haec inter se pugnant. Nam certe mathematicus incipit dicere de triangulo antequam sciat eius proprietates, et physicus de magnetismo tamquam de causa certorum effectuum quin adhuc cognoscat intimam eius constitutionem ; nominas unam plantam priusquam eius speciem determinaveris ; nominas angelum, etsi habeas de eo notionem valde vagam et imperfectam ; nominas Deum tametsi scias te infinite a conceptione eius essentiae abesse, nam satis est ut dicas primum ens, causam a qua pendet rerum universitas, aut si quid eiusmodi, ut eum distinguas ab omni eo quod non est ipse. Sicut ergo singulare corporeum praesentatur mihi distinctissime, licet multa de eo ignorem, et occulta mihi sit ipsamet numerica eius constitutio seu individuationis ratio : ita obversatur mihi subiectum iudicii velut aliquid singulariter designatum, et tamen potentiale, quod debet determinari per praedicatum. Nunc ergo, si forma per praedicatum significata conveniat rei designatae per subiectum, sicut iudicium convenire affirmat, aut si non conveniat, sicut iudicium convenire negat, habetur veritas ; sin autem minus, falsitas ; utraque autem, non relative, sed absolute, simpliciter, sine addito dicta. Convenientia enim a parte rei vel est, vel non est, et haec est obiectiva convenientia cui debet adaequari convenientia ab intellectu affirmata, ut hoc demum sit veritas, et nihil aliud : adaequatio intellectus et rei.

Sed nota bene adaequationis terminos. Termini adaequationis non sunt intellectus et res, quasi nempe hinc poneretur obiectum in tota realitate sua, inde vero intellectus totam huius realitatis intelligibilitatem exhauriens, ac per hoc, quasi nihil esse deberet in obiecto quod non esset

pariter in intellectu. Sic namque adaequationem intellectus et rei interpretari voluerunt novi magistri, ut ad absurdum deducerent definitionem veritatis in antiqua philosophia receptam, et sane nimis facili negotio. Nam quis, quaeso, somniare potuit unquam, idem esse notitiam veram ac cognitionem comprehensivam, per quam res cognoscitur tantum quantum est cognoscibilis ? Non ergo hoc modo adaequationis terminos accipies, sed ita ut ex una parte sit id quod de re intellectus affirmat, et ex altera id quod in re correspondet affirmationi conforme. Proinde, cum iudico Deum esse sapientem, non dico adaequationem esse inter meam notitiam et Deum vel sapientiam Dei, absit; sed solum inter id quod est, sapientiam esse in Deo seu convenire Deo, et id quod de hac convenientia affirmatum elucet in iudicio meo.

Rursus, termini adaequationis non sunt modus intellectus in intelligendo ac iudicando, et modus rei in seipsa, quia iterum, aliud est modus intelligendi, et aliud omnino id quod per hunc intelligendi modum de obiecto affirmatur. Unde S. Thomas in prima Parte, q. 13, a. 12, quaerens utrum propositiones verae possint formari de Deo, sibique obiiciens quod omnis intellectus intelligens rem aliter quam sit, est falsus, et quod aliunde modus Dei est plane diversus a modo cognitionis nostrae, sic respondet : « Ad tertium dicendum « quod haec propositio : *intellectus intelligens rem aliter quam « sit, est falsus*, est duplex, ex eo quod hoc adverbium *aliter* « potest determinare hoc verbum *intelligens*, ex parte intel- « lecti vel ex parte intelligentis. Si ex parte intellecti, « sic propositio vera est, et est sensus : Quicumque intel- « lectus intelligit rem esse aliter quam sit, falsus est. Sed « hoc non habet locum in proposito, quia intellectus noster « formans propositionem de Deo non dicit eum esse compo- « situm, sed simplicem. Si vero ex parte intelligentis, sic « propositio falsa est. Alius est enim modus intellectus in in- « telligendo quam rei in essendo. Manifestum est enim quod « intellectus noster res materiales infra se exsistentes in-

« telligit immaterialiter, non quod intelligat eas esse im-
« materiales, sed habet modum immaterialem in intelligendo.
« Et similiter cum intelligit simplicia quae sunt supra se,
« intelligit ea secundum modum suum, scilicet composite,
« (id est, componendo praedicatum cum subiecto), non tamen
« ita quod intelligat ea esse composita. Et sic intellectus
« noster non est falsus formans compositionem de Deo ».
Et simili quoque ratione, dum idem intellectus noster perfectiones simplices de Deo affirmat, non affirmat eas de ipso secundum modum determinatum et participatum quem apud nos habent. Nam in nominibus quae Deo attribuimus, est duo considerare, scilicet perfectiones ipsas significatas, ut bonitatem, vitam, sapientiam, etc., et modum significandi. Quantum igitur ad perfectionem quam significant huiusmodi nomina, proprie competunt Deo, imo magis proprie quam creaturis, et sic de eo a nobis praedicantur, non autem quantum ad modum imperfectum quo invenitur apud nos participata perfectio (1). Et ideo, etiamsi proprius divinae perfectionis modus a nobis positive non cognoscatur, nec etiam possit positive cognosci antequam intuitiva visione donemur, semper tamen in iis quae recte de Deo mens nostra iudicat, adaequatio est intellectus et rei, quia semper est revera in Deo id quod intellectus affirmat Deo competere. et sicut affirmat competere ei.

Vide igitur quam sophistica sint ea quae afferunt ad suam notionem veritatis relativae adstruendam. Dicunt enim : Quomodo esset absolute verum illud iudicium in quo subiectum confuse apprehenditur et praedicatum habet modum omnino diversum ab eo quem res habet in seipsa ? Quomodo non falsitate admixta, ac per hoc, ad summum relative vera, notitia tam longe distans a realitate undequaque supra nos elevata ? Denique, si nec Deus, nec eius attributa, nec propria eorum ratio sunt nobis nota, eritne tandem plus quam qualiscumque loquendi modus in iis omnibus quae de eo et

(1) Cfr. S. Thom. I, Part. q. 13, a. 3.

rebus divinis vel ratiocinamur vel disserimus? Sic ipsi, sed absurde, quia haec omnia ostendunt quod nostra cognitio potest recipere maiorem perfectionem, sive ope meliorum specierum quam illae sint quas nunc habemus, sive per directam intuitionem eius quod nunc non manifestatur nisi in suis effectibus, sive per novum lumen quo virtus intellectiva roboretur; at non probant reformanda unquam fore recta iudicia intellectus nostri de rebus etiam altissimis. Nihil refert quod subiectum iudicii non sit per se manifestum; satis enim est si sit ita designatum, ut sciamus de quo loquimur. Nihil iterum refert quod praedicatum sit inferius formae significatae; sufficit enim ut conceptus sit positus sub tali abstractione, sub qua possit se extendere etiam ad realitatem quae aliunde excedit notitiam nostram, sicut videre est, respectu substantiarum separatarum, in rationibus formalibus quae non includunt in suo significato limitationem propriam rebus corporeis; respectu autem Dei, limitationem creaturae. Et si quidem conceptus vitae, cognitionis, amoris, etc., includerent modum illum vivendi, intelligendi, amandi, qui est in nobis, certo certius nonnisi falso attribuerentur Deo, sicut falso diceremus Deum esse corpus, vel animal, etc. Nunc autem, cum rationes istae abstahant a nostris determinationibus, et de se dicant puram actualitatem non mixtam aliquo restrictivo, sic possunt et debent attribui enti infinito. Tandem non refert quod modus essendi Dei sit in immensum elongatus ab eo qui apud nos cognoscitur; non enim iudicamus, ut dictum est supra, quod sit in Deo ille perfectionis modus qui nobis est notus, aut concretio seu compositio quae invenitur in enuntiationibus nostris. Oportet igitur dicere quod Deus sit sapiens, inmensus, omnipotens, omniscius, etc., et iudicium sic prolatum eamdem semper immobilem veritatem habebit in quocumque culturae statu, et pro quolibet intellectu, quidquid sit de altiori modo quo supernae mentes obiectum attingunt, plenius penetrando intelligibilitatem eius, et magis appropinquando ad perfectam eius cognitionem.

Et sane, omnis doctrina quae cogitur mutare assertiones suas vel sensum earum, ita ut non amplius agnoscatur exactum quod fuerat prius admissum, debet evidenter confiteri se simpliciter errasse, et non tantum ignorasse quod nunc scit, aut fuisse solum in quodam inferiori veritatis relativae gradu. Si physica aliquando admisit quod lux propagatur per emissionem sphaerularum, et postea agnovit quod consistit in vibrationibus seu periodicis alterationibus alicuius fluidi, sine dubio prius erravit. Si unquam demonstraretur quod anima humana est coniuncta corpori solummodo per modum causae efficientis seu motricis, et non per intimam communicationem suae realitatis substantialis, quisquis olim putavit quod anima est vera forma corporis, iste in errore fuit. Si moderni merito affirmarent quod personalitas constituitur per conscientiam, et non per formalem rationem subsistentis distincti, quae quidem ratio natura sua antecedit omnem operationem, adeoque et omnem conscientiam sui, quisquis posuit in Christo naturas duas et personam unam, dum sunt evidenter duae conscientiae respondentes divinae et humanae cognitioni, ille rursus falsum de Christo iudicium habuit. Et a primo ad ultimum, quid quaeso clarius, quid evidentius, quam quod impossibile sit doctrinam mutari a sic in non, vel vice versa, quin eo ipso ostendatur facta mutatio, vel ab errore in veritatem, vel a veritate in errorem? Et si dicis, a veritate relativa in meliorem veritatem relativam, coniungis voces sine sensu, formas inanem sonum, et quid dicas non intelligis.

At forte subsument: Non mutatur sic in non inter eosdem terminos, sed terminorum significatio cum progressu scientiae efficitur alia, et ideo mutatio est, non tam in iudiciis in quibus formaliter residet veritas, quam in conceptibus et simplicibus apprehensionibus a quibus pendet sensus assertionum et totius doctrinae ratio. Certe, respondemus nos, dependet multum. Propterea, antequam efferatur aliqua propositio, oportet exacte definire sensum uniuscuiusque vocis, sicut fieri solebat in antiqua schola, et in moderna

negligitur. Sed videamus. Verene mutatus est sensus verborum? alii sunt conceptus? quid sequitur, ad mutationem iudiciorum quod spectat? Unum de duobus. Vel ita mutatus est sensus, ut iam importetur res omnino disparata ab ea quae significabatur antea, et tunc novum iudicium, cum non sit circa idem, nequaquam poni debebit in comparatione cum priori, aut haberi ut modificans vel reformans ipsum; ac per hoc, si talis mutatio unquam contingeret, oporteret a principio convenire de vocibus, et observare quod solum agitur de nova terminologia, seu novo vocabulario. Vel ita mutatus est sensus, ut eadem vox semper referatur ad eamdem rem, et nihilominus determinetur cum aliqua nota contraria ei quod intelligebatur prius, et tunc evidens est quod mutatum est sic in non inter eosdem terminos sub iisdem verbis, sicut si semper diceres animam esse humani corporis formam, sed iam intelligendo per formam, causam mere extrinsecam, non autem intrinsecam ac constitutivam. Tunc quoque evidens est quod vel prius dicebatur falsum et nunc dicitur verum, vel prius verum et nunc falsum; in omni autem modo, veritati relativae, sive prius sive nunc, nullus relinquitur locus.

Ultimo animadvertes quid distet inter eam quam dicunt *veritatem relativam*, et eam quam omnes admittimus, *perfectionem relativam cognitionis veritatis*. Sane vero, sicut sunt infiniti intellectus possibiles, alii aliis perfectiores, usque ad summum intellectum qui Deus est, ita quoque sunt infiniti perfectionis gradus in cognitione veri. Est cognitio comprehensiva, est non comprehensiva; est intuitiva, est abstractiva; est propria et quidditativa, est impropria et analogica. Sunt species intelligibiles quae diversis modis res repraesentant; est lumen intellectuale plus minusve potens penetrare id quod in eis continetur, et iudicare secundum ipsas. Est claritas principiorum plus minusve intensa; est plus minusve attenta consideratio notarum obiecti, factorum quae ab experientia dantur, effectuum in ordine ad causas. Sunt iudicia certa, sunt probabilia; sunt argumenta apo-

dictica, sunt solae coniecturae, etc. Potest igitur dici quod perfecta est relate ad hominem cognitio illa veritatis, quae esset relate ad angelum imperfectissima, eodem nimirum sensu quo recte diceretur magna relate ad puerum, scientia de qua erubesceret doctus philosophus. At, quaeso, ne inde deducas quod quidquid veri assequitur puer, non sit aequalis veritatis pro philosopho. Ne concludas quod veritas ipsa dicenda sit relativa ad varios intellectus, vel varias conditiones eorumdem. Quippe, adaequatio in qua consistit eius ratio, non admittit gradus, utpote in hoc reposita, quod forma expressa per praedicatum convenit revera subiecto reali sicut affirmat intellectus. Et adaequatio ista vel est, vel non est. Unde iudicium vel est absolute verum, vel est absolute falsum. Si est compositum, resolvatur in partes, et unaquaeque pars erit in se vel vera vel falsa absolute. Et in parte vera debebit convenire omnis intellectus, etiam sublimissimus, tametsi videat sublimior ille, quomodo mens inferior adhuc elongetur quam maxime, a perfecta et adaequata penetratione obiecti secundum totam eius intelligibilitatem. Conclusio ergo sit, quod veritas relativa, vel nullum habet sensum, vel reducit notionem veritatis ad conceptum Protagorae, secundum quem verum est id quod apparet, et ideo vera simul esse possunt quaelibet contradictoria, quando de iisdem, a diversis diversimode iudicatur.

Nunc autem, si philosophus non potest consentire tali modo veritatis, aut potius universalis ignorantiae vel amentiae, multo minus theologus seu fidelis, quia iam non sola destruitur ratio naturalis, verum etiam religio, fides, et revelatio Dei, prout paucis declarandum venit in propositione quae sequitur.

§ 2.

Quod dogmata nostrae religionis vere et proprie e coelo sunt, ac per hoc, speciali titulo rationi veritatis relativae adhuc repugnarent, etiamsi illa aliunde contradictoriis et pugnantibus inter se notis non constaret. Et quod idem absurdum commentum, dum evolutioni sacrae traditionis applicatur, destruit formale fidei motivum, destruit obiectum eius materiale, destruit modum summae certitudinis quem fides habere debet in credente.

Vix sane intelligitur qua hallucinatione capti, neocritici nostri sese serio transfigurent in reformatores theologiae et promotores altioris intelligentiae dogmatis catholici, dum apud eos eousque crescit confusio idearum, ut nesciant amplius dicere an doctrina fidei a Deo sit, vel ab hominibus. Ecce enim, ut persuadeant non esse in fide nostra plus quam veritatem relativam, affirmare iam non dubitant quod *conceptiones quas proponit Ecclesia tamquam dogmata revelata, non sunt veritates e coelo delapsae*, quia dogmata illa, *quantumvis divina quoad oirginem et substantiam, tamen humana sunt quoad structuram et compositionem* (1). Caeterum, quid per originem et substantiam in oppositione ad structuram et compositionem debeat intelligi, non explicant. Sed nec explicare opus habent, praesertim quia ubi clare loquuntur de elemento divino quod nomine tenus relinquunt in dogmatibus nostris, clare etiam apparet illud esse in re ipsa humanum, ut omnia tandem in eodem humano ordine

(1) « Les conceptions que l' Église présente comme des dogmes « révélés ne sont pas des vérités tombées du ciel et gardées par la « tradition religieuse dans la forme précise où ils ont paru d' abord. « L' historien y voit l' interprétation de faits religieux acquise par « un laborieux effort de la pensée théologique. Que les dogmes soient « divins par l' origine et la substance, ils sont humains de structure « et de composition ». L' Évangile et l' Église, c. 4, § 2.

contineantur, et origo, et substantia, et structura, et compositio. Quo semel posito, nihil interest scire proprias singulorum vocabulorum differentias. Verum ista interim omittamus. Sumamus distinctionem inter divinum et humanum dogmatum elementum in meliori sensu quem absolute prae se ferre potest, et videamus utrum ex eiusmodi distinctione (cuius legitimitatem certa quadam ratione nemo denegabit), id demum consequatur, quod conceptiones quas proponit Ecclesia tanquam dogmata revelata, non sint immobiles e coelo delapsae veritates, sed solum conceptiones mutabiles, reformabiles, relativae, et semper epurandae per progressivam deiectionem faecis et scoriae quam prius continebant.

Certe, in dogmatibus prout nobis proponuntur, sunt primo verba ; sunt deinde conceptus seorsum accepti, iique vel simplices et incomplexi, vel complexi et e simplicibus resultantes ; est denique nexus quo componuntur conceptus in iudicio. Quid iam volunt evolutionistae nostri, quando veritates dogmaticas dicunt non e coelo delapsas ?

Quod non sint e coelo delapsa verba ? Id quidem concedimus, quia nusquam somniavimus quod nova lingua desuper nobis advenerit simul cum revelatione Dei. Quod non sint e coelo delapsi conceptus ? Id quoque indubitanter damus, si sermo sit de conceptibus primis atque elementaribus, quia eiusmodi notiones, si apud nos non fuissent, debuissent venire in nobis, ad hoc ut nobis intelligibilis fieret sermo revelationis, aut per infusionem miraculosam, aut per hoc quod obiecta nova praesentata forent nostris sensibus et nostrae intuitioni. Neutrum autem ex his praestat revelatio. Non suppeditat nobis novas species intelligibiles, non affert nobis visiones, non elevat nos ad novum illum intelligendi modum quo in statu tantum termini donabimur. Praesupponebat ergo conceptus nostros, saltem primos et elementares. Nam de complexis non eadem omnino est ratio, quia nihil vetat quominus novos quosdam revelatio attulerit, quos ratio nostra alias non habuisset, sicut patet de his nominibus, *consubstantialis*, *Deipara transub-*

stantiatio, etc., in quibus elementa complexionis erant communiter nota apud nos, complexio autem ipsa, non ita. Sed hoc in praesenti non admodum refert. Id enim nunc sufficiet observare : Quod conceptus seorsum sumpti se habent ad doctrinas, sicut se habent litterae alphabeti ad vocabula, vel vocabula ad sermones ; et quod iidem conceptus ingrediuntur diversissimas diversissimae originis doctrinas, quemadmodum eaedem litterae ingrediuntur diversissima diversissimae significationis vocabula, « Litterae, « inquit Augustinus, in tot millibus verborum atque sermo- « num ipsae repetuntur, non augentur ; verba infinita sunt, « finitae sunt tamen litterae ; verba numerare nemo potest, « litteras quivis potest, unde multitudo verborum est. Cum « una littera variis in locis ponitur, et pro loco valet, non « unam rem valet. Quae tam diversae res, quam Deus et « diabolus ? Tamen in capite, *D* littera est, cum dicimus, « Deus, et cum dicimus, Diabolus. Ergo littera pro loco « valet. Errat autem, et nimis absurdus est, et gestat puerile « cor, qui cum legerit, verbi gratia, *D* litteram in nomine « Dei, timet illam ponere in nomine diaboli, ne quasi « Deo faciat iniuriam » (1). Nun autem, cave et tu, a corde puerili, et transfer comparationem ad propositam nobis quaestionem, ut videas usque ad evidentiam, quod possunt e terra esse verba, e terra esse elementares conceptus, e terra esse structuram et modum enuntiationum, quamquam e coelo sint veritates et dogmata quae ex his conceptibus formantur, quae his verbis significantur, quae hac sermonis structura exprimuntur.

Dic enim mihi : Ex hoc quod non sunt nisi viginti quatuor litterae alphabeti, quod istae viginti quatuor litterae versantur in usu omnium, quod nonnisi cum iisdem illis vulgatissimis viginti quatuor litteris scribere possum quidquid voluero scribere, deducesne tu, quod veritas aliqua quae exempli gratia, mihi soli erat nota, et quam nunc tibi in

(1) August. Serm. 32, n. 6.

scriptis manifesto, formaliter et praecise prout tibi manifestata et ad te directa, non est a me delapsa ? Aut ex hoc quod lingua uteris quam non composuisti, quam ab aliis de integro didicisti, cuius denique vocabularium, idiotismi, structura, regulae, nihil a te acceptum ferunt : ex hoc, dico, quod tali lingua uteris, debebone tandem concludere quod sensus a te in ea lingua expressi, non sunt sensus tui ; quod sententiae enuntiatae, non sunt sententiae tuae ; quod assertiones ac prolata iudicia non sunt assertiones et iudicia a te oriunda, et tua, si quam habeas, auctoritate vestita ? Idem ergo sentias in praesenti, et cum proportione ratiocinare. Nam conceptuum quidem humanorum non erat auctor Deus, praecise in quantum revelator. Adhuc tamen iidem conceptus comparabantur ad ipsum sicut alphabetum ad scribam, sicut vocabularium ad oratorem, sicut lingua iam fixa et praeformata ad auctorem qui ea uti vult, ut quovis modo, sive perorando, sive scribendo, sive dictando, reconditos mentis suae sensus aliis manifestet. Quid igitur refert quod litterae alphabeti et verba vocabularii a Deo revelatore usurpata, non fuerint e coelo delapsa ? Sententiae enim et dogmata nusquam in alphabeticis, vel phoneticis, vel idealibus etiam elementis resident, sed solum in compositione qua elementa illa associantur ut consurgant in sententias, et formentur in enuntiationes. Eiusmodi autem compositio in casu nostro, procul dubio e coelo est, quia a Deo revelante, quia a Deo dictante est (1).

Non igitur ex hoc quod dogmata nostra humanarum conceptionum modum et structuram servant, deducere licet id quod volunt novi magistri. Sed sola conclusio esse potest, quod mysteria divina alium modum habent in verbo revelationis, et alium modum in seipsis, sicut notavit S. Thomas, 2-2, Q. 1 a. 2 : « Cognita, inquit, sunt in cognoscente secundum modum cognoscentis. Est autem modus

(1) De hac dictatione Dei vide alibi dicta, *De inspiration Sacrae Scripturae*, Part. I.

« proprius humani intellectus ut componendo et dividendo « veritatem cognoscat. Et ideo ea quae secundum se simplicia « sunt, intellectus humanus cognoscit secundum quamdam « complexionem, sicut e converso intellectus divinus incomple- « xe cognoscit ea quae sunt secundum se complexa. Sic ergo « obiectum fidei dupliciter considerari potest. Uno modo « ex parte ipsius rei creditae, et sic obiectum fidei est ali- « quid incomplexum, scilicet res ipsa de qua fides habetur. « Alio modo ex parte credentis, et secundum hoc, obiectum « fidei est aliquid complexum per modum enuntiabilis ». Huc quoque redit quod ait Augustinus exponens initium evangelii Ioannis, ubi de Verbo quod erat in principio apud Deum : « Dicere ut est, quis potest ? Audeo dicere, fratres mei, for- « sitan nec ipse Ioannes dixit ut est, sed et ipse ut potuit, « quia de Deo homo dixit, et quidem inspiratus a Deo, sed « tamen homo. Quia inspiratus, dixit aliquid ; si non inspi- « ratus esset, dixisset nihil ; quia vero homo inspiratus, non « totum quod est dixit, sed quod potuit homo, dixit » (1). Et ratio ultima est, quia in hac supernaturali revelatione sive dictatione, alphabetum dictionis adhuc sunt naturales conceptus nostri, et tale alphabetum non capit proprium modum Dei. Non quod dicat Deum habere alium modum ac eum quem revera habet in se ; sic enim esset falsitas, ut dictum est supra. Sed quia nec dicit nec dicere valet quis positive sit modus ille transcendens omnem limitationem et omnem imperfectionis admixtionem, quem per multiplices suarum veluti litterarum compositiones verissime de Deo exprimit et renuntiat. Neque in hoc ulla differentia est inter dogmata theodiceae naturalis et dogmata revelationis, quia utraque in eadem lingua intellectuali expressa sunt et exprimuntur. Sed dum in prioribus consociatio elementorum iudicii est a ratione quae evidentia movetur, in posterioribus est a Deo docente nos convenientiam praedicati cum subiecto, etiam ubi convenientia illa omnem rationis intui-

(1) August., Tract. 1 in Ioan. n. 1.

tum fugit, omnem eius aestimationem exsuperat. Verum enimvero, si in iudiciis per eamdem ipsam rationem nostram recte formatis absoluta semper veritas est, quanto magis in iis quae directe a Deo sunt, nisi forte velis aut facere Deum falsitatis auctorem, aut denegare ei potestatem exprimendi veritatem mysteriorum suorum in lingua quantumvis imperfecta et deficiente quae apud nos est.

Caeterum, vix opus est demonstrare quomodo stante commento illo veritatis relativae in dogmatibus ab Ecclesia propositis, actum est de fide christiana, id est theologica, cui iam subtrahitur et formale motivum, et obiectum materiale, et proprius firmitatis ac certitudinis modus.

Subtrahitur primo formale motivum, quod est auctoritas Dei revelantis. Ubi enim locus erit auctoritati Dei in iis conceptionibus quae nequaquam absolute verae sunt, quae solummodo quoad eius fieri potest approximant realitati, quae in modis loquendi consistunt, quae fluctuant et variant et mutantur ad ventum doctrinae hominum? Habebimus ergo humanas opiniones; fidem vero quae ipsi primae veritati seu Deo testificanti innitatur, profecto non habebimus.

Subtrahitur quoque obiectum materiale. Quid enim est quod iam poterimus credere? Forte quod sit aliquod mysterium confuse analogum assertionibus quas praedicat et docet Ecclesia? Sed has praecisas doctrinas, puta quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unus Deus et inter se consubstantiales, quod Iesus Chrsitus una persona est divinam habens et humanam naturam, quod panis et vinum convertuntur in eius corpus et sanguinem, quod sub speciebus sacramenti ipsum corpus et ipse sanguis continentur vere, realiter, et substantialiter, credere non poterimus. Nos enim sic nunc loquimur, quia melius nunc loqui non possumus. Veniet autem tempus in quo secundum meliorem evolutionem studiorum dicetur aliter, et verius. Ergo propter disciplinam stabimus formulis authentice propositis: formulis, inquam, non iis quae per formulas significantur.

Subtrahitur a fortiori proprius modus credendi qui in

fide divina necessarius est, modus scilicet adhaesionis indubitatae et super omnia firmae. Nam certe, deberem dare vitam, potius quam ponere in dubium consubstantialitatem Trinitatis, dualitatem naturarum in uno Christi supposito, transubstantiationem in Eucharistia, etc. Sed, o sanguis inutiliter profusus, o vita non ad suum verum valorem aestimata, si solum agitur de humanis formulis quae hodie in favore sunt, et cras mutabuntur ! Si interim licitum mihi est existimare quod consubstantialitas est proprium cuiusdam scholae vocabulum, cui aliud vocabulum, aliusque sensus, substitui aliquando poterit ! Si possum putare quod forte Iesus Christus non est Deus nisi per aliquam transformationem animae suae, et nescio quam conscientiam acquisitam de nescio qua coniunctione cum Patre ! aut quod praesentia eius eucharistica non male forsitan explicatur de perenni permanentia spiritus eius in medio eorum qui opus eius in mundo continuant et promovent ! Et qua tandem mente, quo animo aut credulitate emittemus in posterum fidei professionem dicentes : *Ego firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in symbolo fidei quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet,* etc. ? Ac rursus : *Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, ego idem spondeo, voveo, ac iuro. Sic me Deus adiuvet,* etc. ?

Evidens igitur est omnimoda oppositio quam commentum veritatis relativae habet cum primis et maxime fundamentalibus principiis religionis catholicae. Sed iam age. Considerandae nunc veniunt paulo accuratius rationes ex historiae fontibus depromptae, per quas hoc idem commentum persuadere volunt.

§ 3.

Quod pro defensione sui erroris frustra appellant ad notiones vel doctrinas quas e scholis profanis in doctrinam sacram importatas dicunt, vel ad praeteritas quas fingunt, adaptationes theologiae ad philosophiam, praesertim aristotelicam.

I. — Satis apparet ex dictis in praecedenti paragrapho, quomodo notiones quae sunt revera communes doctrinae fidei et scholis philosophicis, nequaquam evincant id quod neocriticis placet, nimirum dogmata nostra non esse e coelo; ac per hoc etiam, non esse alius conditionis, ad absolutam veritatem quod spectat, ac quaslibet doctrinas humanae originis et auctoritatis. Satis apparet quomodo dogma supernaturale iisdem ac scientia naturalis utitur elementis ad formandum suos proprios conceptus, suaque propria iudicia. Veritas est nova in nova compositione idearum, etsi ideae componentes sint antiquae; nova etiam est idea complexiva multarum notarum, etsi notae ipsae sint vulgares. Nihil quippe nobis foret amplius intelligibile in materia religionis, si in ea usui esse non possent conceptus magis fundamentales entis, substantiae, corporis, animae, vitae, spiritus, causae et effectus, medii et finis, potentiae et actus, et huiusmodi. Quid, quaeso, inserviret nominare Deum, si de eo non formaremus conceptum, utique abstractivum et analogicum, non intuitivum et proprium, talem nihilominus qui soli Deo conveniat, repraesentando eum per notas desumptas ex vulgarissimis obiectis, tanquam ens primum, perfectum sine limite, causam essendi omnibus quae sunt praeter ipsum? Quid nobis revelatum esset de Trinitate, nisi iam habuissemus notionem personae tanquam individui subsistentis in natura intellectuali? Quid de incarnatione, si non intellexissemus sensum verborum: persona divina, natura humana, assumptio unius ab alio, etc.? Re-

velata est ergo compositio conceptuum, non dati sunt, aut dari debuerunt de novo conceptus primi.

Errant itaque, et toto coelo errant in quaestione iuris, deducendo ex praedicto facto communitatis conceptuum, consequentias quas factum non patitur. Sed errant insuper in ipsa quaestione facti, dum ultra veros limites factum extendunt, dum adscribunt philosophiae certas notiones quae in re ipsa sunt revelationi exclusive propriae, ponentes v. g. tanquam notos antiquis paganis, et currentes in scholis profanis, conceptus consubstantialitatis et transubstantiationis.

Sane ratio substantiae non erat ignota veteribus, sicut nec ratio identitatis. Locuti sunt veteres de identitate substantiali, eaque tum numerica tum specifica. Numerica quidem, et tunc observabant quod individuum sibi ipsi identicum non habet ad seipsum relationem realem, sed tantum rationis, in qua sola constitui possunt termini comparationis. Specifica vero, et tunc considerabant ut convenientia in eadem ratione substantiali, omnia individua quorum essentia eidem definitioni respondet, et distinctio ex divisione materiae provenit. Verum enimvero, conceptus complexivus quem vox *consubstantialis* exprimit, nusquam occurrerat menti humanae, aut certe nunquam fuerat clare formatus, priusquam fides Trinitatis conduxisset homines ad tractandum de personis inter se distinctis per relationes originis, et non per aliquam realitatem absolutam. Forte potuissent Platonici cogitare aliquid simile quoad formas illas universales quae secundum ipsos uniformiter sigillabant omnia eiusdem speciei individua, sed absurdus eorum conceptus nunquam potuit fieri praecisus, et mansit confusus absque ulla formula determinata. Forte etiam potuissent Averroistae dicere homines consubstantiales in eo intellectu quem ponebant unicum et communem, ita ut per continuationem variorum phantasmatum cum illo, intelligentes essent singuli individui. Sed iterum, absurda positio remanet semper sicut umbra vaga, absque delineatis terminis, praecisaque expres-

sione ; praeterquam quod ex praefata unitate intellectus, consequens quidem fuisset communitas intellectualium operationum in distinctis subiectis, non numerica in eis substantiae identitas. Unde vera consubstantialitatis ratio non fuit ullo modo in scholis philosophorum excogitata, neque apud eas correspondens nomen *homousion* reperitur. Sed vox illa quae iam inceperat adhiberi pro divinis personis a nonnullis tertii saeculi Patribus, fuit definitive consecrata in Concilio Nicaeno ad praecavendas omnes Arianorum fraudes. Nam cum Filius dicebatur una res cum Patre, inferebant isti quod tunc non esset ab eo distinctus. Si dicebatur a Patre alter, concludebant : ergo non cum eo re et essentia unum. Si non principiatus, ergo non filius. Si principiatus, ergo non Deus. Si secundus, ergo non aequalis. Si aequalis, ergo non procedens. Si non productus, quomodo genitus ? Si productus, quomodo non creatura ? In summa, undique quaerebant artificia, et sola illa vox adeo expressiva identitatis absolutae in reali aliqua distinctione, (nam consubstantialis dici non potest qui non est vere alter, et non habet simul eamdem numero substantiam), fuit vox victrix, cui non potuerunt aliud opponere quam rabiosam negationem (1).

Similiter nulli unquam venerat in mentem, quod realis conversio fieri possit unius substantiae secundum se totam, in aliam substantiam singulariter designatam et praeexsistentem, cui etiam vi conversionis nihil additur, sicut fides docet in mysterio Eucharistiae. Longe enim aliud sunt naturales omnes transformationes de quibus tractat philosophia, ubi semper aliquid remanet de termino a quo conversionis, et semper terminus ad quem de novo resultat, aut certe in seipso augetur, non autem de integro conversioni praesupponitur. Et tamen, hic quoque notae elementares et primae sumuntur ex vulgari experientia, utputa notio *substantiae ;* notio

(1) Cf. Hilar. l. c. Constantium, n. 16; August. Tract. 97 in Ioan. n. 4.

substantiae *totius*, seu substantiae secundum omnia sua elementa constitutiva ; notio denique *conversionis*, quae quoad generalissimam rationem positivae mutationis qua una res desinit in aliam, adhuc retinetur. Ex quo fit ut possimus nos apprehendere sensum horum verborum : tota substantia panis convertitur in corpus, et tota substantia vini convertitur in sanguinem I. C., manentibus duntaxat speciebus. At nullus mortalium coniunxerat simul eiusmodi notiones, et non solum non coniunxerat in thesi, sed ne quidem in hypothesi, cogitando vel solam possibilitatem tam singularis tamque mirabilis conversionis. Quisquis igitur somniavit currentem in scholis transubstantiationis conceptum, iste non satis didicit in catechismo quid importet *transubstantiatio*, et quam longe longeque distet ab omni *transformatione*, etiam substantiali (1).

Quid nunc dicendum de idea *verbi*, quam critici vestigiis inhaerentes Ioannis Clerici et Moshemii, derivatam vellent in doctrina revelata a schola neoplatonica Alexandrina ? Quid, putas, nisi fere idem ac quod dictum est in duobus praecedentibus exemplis ? Certe, vox Λόγος seu Verbum, cum propria sua significatione, de ordine humanae cognitionis est. Nam iterum iterumque quaero : Si hanc notionem nullo modo habuissemus, si non fuisset in nostro vocabulario vox notioni correspondens, quomodo potuisset nobis loqui evangelista de Verbo quod erat in principio apud Patrem ? Necesse ei fuisset adinvenire vocem novam, dando eius definitionem, et ad hoc ipsum debuisset uti nominibus apud nos usitatis. At non ita res accidit, quia idea verbi iam erat praeformata, et ad gloriam scholae Platonicae pertinet, quod in tam nobili speculatione versata sit. Aristoteles quidem quaestionem attigerat ; imo cum maiori, ut assolet, praecisione declaraverat σύλληψιν seu mentalem conceptum qui est res intellecta in esse intellecto, et idem ac verbum intellectus. Sed non consideraverat verbum tanquam

(1) Vide in tomo primo de Sacram., prologomenon ad Q. 75, § 4.

exemplar operis quod artifex ponit extra se, nec praesertim aliquid dixerat de verbo quod esset in summo intellectu exemplaris causa universi. E contra Platonici ad talem considerationem ducti fuerant per absurdam eorum doctrinam circa universalia, seu ideas subsistentes quae in qualibet corporalium specie, omnibus individuis forent ratio et principium essendi. Inde enim devenerant ad ponendum aliquam ideam primam, a summo ac supremo Deo emanatam, cui totius universitatis rerum ordo et structura responderet (1). Et in hac quidem conceptione aliquid veri erat. Verumtamen quot falsa admiscebant ! quam e diametro opposita omnibus christianae doctrinae principiis ! De qua re plenam tibi demonstrationem exhibebit Petavius l. I de Trin. c. I, et D. Maranus in praefatione ad opera S. Iustini, Part. 2, c. I.

Verum est quod Augustinus et alii scriptores ecclesiastici attribuerunt Platonicis ideas quasi christianas de Verbo.

(1) « Eorum quae pro naturae suae ratione sensibus usurpantur, « certa quaedam in quoque genere ac definito exemplaria, quas « ideas vocabat, Plato constituit, quibus proprie cum scientiae tum « definitionis ratio conveniat. Etenim praeter omnes homines, ho- « minem; praeter equos equum: atque in universum, praeter ani- « mantes omnes, animantem quemdam ortu simul interituque caren- « tem animo cogitari. Et quemadmodum unius eiusdemque sigilli « expressae complures formae, virique unius imagines permultae « esse possunt: ita prorsus ex unaquaque sensu perceptorum cor- « porum idea, vim naturarum ingentem exsistere: v. g. ex hominum « idea, homines universos; quod ipsum de caeteris omnibus sit pro « sua cuiusque natura statuendum. Ideam porro sempiternam, quam- « dam essentiam esse vult, quae rebus singulis causa principiumque « sit ut qualis ipsa est, tales esse possint. Ut igitur peculiares ideae, « sensu percepta corpora tanquam archetypum aliquod antegre- « diuntur, ita pulcherrimam illam atque perfectissimam, quae caeteras « omnes sinu suo complectitur, mundi huius exemplar esse defendit, « quod eius ad imitationem, auctoris sui molitorisque Dei provi- « dentia conditus, atque omni ex naturarum genere conflatus exsti- « terit ». Haec de Platonicorum doctrina Didymus apud Eusebium, Praep. evang. l. II. c. 23.

Sed notetur primo, quod sancti illi Patres complacentes sibi in eo quod spirituale et divinum habebat schola Platonis comparative ad caeteras, interpretes fuerunt urbaniores et faciliores quam alias tulisset simplex rei veritas ; in quo etiam imitatores postea habuerunt scholasticos quantum ad Aristotelem. Notetur secundo, quod veritas revelata illuminat ex parte eos etiam qui illam reiiciunt, et quod christianismus statim compulit philosophos Alexandrinos secundi et tertii seculi ad exponendum proprias sententias cum melioribus quibusdam veritatis apparentiis. Notetur praesertim tertio, quod scholae neoplatonicae dux et praeceptor fuerat Philo, qui utpote Iudaeus, Scripturas veteris testamenti, optime callebat, imo et varia in eas edidit commentaria. In Scripturis autem veteris testamenti, puta Prov. VIII–22 (ut alia multa loca nunc praetermittam), sermo est de sapientia ab aeterno genita, quam possidebat Deus initium viarum suarum antequam quidquam faceret a principio ; quae iam concepta erat, iamque parturiebatur, cum nondum essent abyssi, necdum fontes aquarum erupissent ; quae aderat generanti quando praeparabat coelos, quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum et legem ponebat aquis ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terrae ; quae cum eo erat cuncta componens et delectabatur per singulos dies ludens in orbe terrarum (1) ; *cui denique sapientiae genitae promptum omnino erat applicare Platonicam doctrinam de* Λόγω *seu Verbo, seu ratione ideali per quam omnia condita, formata et disposita sunt* (2). Et hoc est quod fecit Philo, qui ubicumque de sempiterno Dei Verbo loquitur, evidenter pendet a doctrina antiquae Scripturae, tum in Genesi, tum

(1) Vide pulcherrimum huius loci commentarium in 4 c. Gent. c. 11.

(2) Cf. Athenagoram, Leg. pro Christianis, n. 10. Tum Iustinum. Dial. cum Tryph. n. 61.

in praecitato loco Proverbiorum et aliis parallelis: « Quisquis, « inquit, eo se liberum pudore volet qui dubitationem vulgo « consequitur, is libere palamque pronuntiet, nihil eorum « quae in materiam immersa sint, ad sustinendam orbis « molem satis habere virium. At sempiternum illud aeterni « Dei Verbum, longe potentissimum ac firmissimum esse « columen universi. Hoc enim illud est, cuius arbitrio, dum a « mediis ad extrema, simulque a summis ad media pertinet, « constitutus ac perpetuus naturae cursus peragitur. Partes « enim omnes inter sese consociat atque constringit, quod « illud Pater a quo genitum est, firmissimum quoddam totius « universi vinculum esse voluerit. Mirum ergo nihil est, si « neque terrarum moles, aquarum tanta vi sinus earum in- « teriores permeante, nunquam dissolvetur, nec ab aere « exstinguetur ignis, nec aer contra igne conflagrabit, cum « divinum illud Verbum, quod sese muta inter elementa « quasi vocale quoddam medium constituit : ut tanquam « in musica suis instructa digestaque notis, aptus et suavis « totius universi concentus exsisteret, contrariorum minas « amica quadam coniunctione leniendas moderandasque « susceperit » (1). Haec Philo in uno e clarioribus locis ab Eusebio collectis. Sed etsi lumine antiquae revelationis esset adiutus, adhuc tamen, dum ideis Platonicis doctrinam Scripturae adaptare nititur, non dubitat ponere Verbum tamquam *Deum secundum* sub primo ac supremo Deo. « Cur, inquit, « perinde ac si de alio Deo loqueretur, ad imaginem Dei « tactum ab sese hominem esse ait, non autem ad suam ? « Id vero praeclare omnino atque sapienter divino celebratur « oraculo, (Genes. v–1). Prorsus enim mortale nihil erat, quod « summi illius ac rerum universarum Parentis imagine consi- « gnari posset. Erat tamen quod *secundi Dei*, hoc est eiusdem « Verbi, posset » (2). Et haec ipsa pagana conceptio, multis

(1) Apud Eusebium, l. 7 Praep. evang. c. 13.
(2) Ibid, in principio.

aliis absurdis respersa invenitur apud posteriores eiusdem scholae auctores, Plotinum, Porphyrium, Iamblicum, et Proclum (1) : ita ut liquido tandem appareat, mysteriosam illam notionem Verbi quam proponit fides, et tradit evangelium Ioannis (dico autem Verbi quod unus Deus est cum eo a quo secundum operationem intellectivam procedit, et sola relatione originis ab eo distinguitur), longe longeque distare ab omni eo quod philosophi potuerunt cogitare, ne iis quidem exceptis qui in hoc puncto, altius quam caeteri sentire visi sunt.

Per haec tamen non abnuimus quin recta philosophia debeat omnino agnoscere verbum interius in mente nostra procedens. Sed simplicitas Dei et summa eius cum suo intelligere identitas videbatur excludere omnem huiusmodi intra ipsum Deum processionem. Imo, quamdiu non cogitabatur alia distinctio quam absoluti ab absoluto, exclusio erat evidenter legitima et vera, ac per hoc, Platonici ponentes Verbum divinum realiter distinctum a suo principio, ponebant magnum absurdum, eo ipso multitudinem deorum adstruendo. Nihilominus disposuit divina Providentia ut iidem illi philosophi praepararent, usitatamque facerent ipsam vocem cum qua intelligibiliter quoad nos exprimeretur in quarto evangelio sublimis veritas, quae implicite iam contenta in libris sapientialibus V. T., necnon et in tribus

(1) « Plotinus primum de tribus (diis) censet esse summum « ac perfectum, quem κρείτονα νοῦν vocat, *mentem* videlicet *po-* « *tiorem*. Secundum appellat νοῦν δεύτερον, *mentem posteriorem*, a « priore genitam, et illius imaginem. Tertium porro animam esse, « quae a secunda mente gignitur eiusque est Λόγος. Addit et mentem « a primo genitam, omnia quae sunt genuisse, adeoque pulchritu- « dinem idearum omnem, et intelligibiles deos omnes. Tum clarius « Platonis sententiam explicat...., ac summum ait Deum patrem « esse τοῦ αἰτίου, id est causae vel principii, sive Mentis ac De- « miurgi; hunc vero animam procreare. Subiicit deinde Patrem « eumdem illum esse τἀγαθόν, id est *bonum ipsum*, a quo νούς et idea « propagetur; a mente vero anima ». Petavius, l. 1 de Trin. c. 1.

synopticis (1), aperte demum per Ioannem a Deo nobis est revelata. De caetero, eruditio quae Verbum S. Ioannis et theologiae catholicae, derivatum dicit a Λόγω neoplatonicorum, non aliud esse potest quam fucata et levis levissimae scientiae eruditio.

Sed iam dicet aliquis : Nonne doctrina fidei catholicae cum doctrinis philosophorum comparata, non solum notiones, aut simpliciter, aut certe quoad prima rudimenta communes, verum etiam identica quandoque de integro dogmata habere invenitur ? Et responsionem statim dabit Concilium Vaticanum dicens : « Sancta mater Ecclesia tenet « et docet, Deum rerum omnium principium et finem, « naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo « cognosci posse.... Attamen placuisse eius sapientiae et bo- « nitati, alia, eaque supernaturali via seipsum ac aeterna « voluntatis suae decreta humano generi revelare.... Huic « divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea quae « in rebus divinis humanae rationi per se impervia non « sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab « omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto er- « rore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio « absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita « bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, « ad participanda scilicet bona divina quae humanae mentis « intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, « nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praepara- « vit Deus iis qui diligunt illum ». Et re quidem vera, semper fuit rata certaque Patrum ac theologorum omnium sententia, quod in doctrina fidei continetur ordo veritatum, quarum aliae sunt suprarationales, et eatenus tantum cognitae, quatenus revelatae, aliae vero ratione etiam humana cognoscibiles, et tamen a Deo revelante de facto nobis traditae,

(1) Ubi de Filio Dei. Nam in nomine Filii eadem importatur proprietas, quae in nomine Verbi, dicente Augustino: *Eo dicitur Verbum, quo Filius.*

iis de causis quas subindicat Vaticanum ubi supra, et late declarat S. Thomas in primis capitulis Summae contra Gentes. Semper etiam persuasum habuimus, quod fuerunt omni tempore aliqui, tantum recti iudicii et boni sensus a natura consecuti, quantum satis est ad cognoscendum certa quaedam principia : puta quod nova entitas exigit causam proportionatam ; quod subiectum in potentia non reducitur in actum nisi virtute actus perfecti ; quod natura corporea constare debet duplici principio, materiali et formali ; quod vita provenit a principio magis perfecto quam sint vires mechanicae ; quod anima unitur substantialiter corpori vivo ; quod operatio intellectiva ostendit spiritum independentem in esse a materia ; quod existentia et ordo mundi demonstrat existentem Deum, etc. Hae et aliae veritates visae sunt manifestae alicui scholae non illuminatae lumine revelationis. Unde Iustinus dicebat quod Verbum in anteactis saeculis concesserat multis sapientibus gentilibus radium suae lucis (1). Et Clemens Alexandrinus videbat in philosophia graeca quamdam veluti praeparationem ad plenam veritatem christianismi (2). Et Augustinus, ut dictum est supra, cum plausu recepit quidquid vere sublime erat in doctrinis platonicis (3). Et quando deinde, ducibus Boetio et Damasceno, incepit ordinari cum maiori rigore disciplina theologica, sponte sua in usum venit logica adeo praecisa, et methodus adeo humanae cognitioni conformis, quam docuerat Aristoteles. Quod totum ideo est, quia infirma nostra ratio adhuc capax est aliquid certo cognoscendi ; et mirum sane si oporteat id nunc adserere ac vindicare in tanta inflatura scientiae superbae. Nos igitur, cum antiquo sensu communi sic ratiocinabamur : Aliquae naturales cognitiones, fructus verae experientiae et sanae logicae, inveniuntur *etiam* in infallibili doctrina catholica ; ergo istae naturales cognitiones

(1) Iustin. in 2 Apol. n. 13.
(2) Clem. Alex. in Paedagogo.
(3) August. de civit. l. 8, c. 14.

erant verae, et recta philosophia illas acquisiverat, quatenus et ipsa naturalis ratio a Deo est. Nostris vero diebus processus est e diametro mutatus, et dicunt : Doctrina christiana nonnulla habet dogmata quae inveniuntur etiam in antiquis philosophorum scholis ; ergo ista doctrina ab eis derivat, et cum aliunde doctrinae philosophicae semper sint incertae, relativae, et mutabiles, eiusdem quoque incertidudinis, mutabilitatis, et relativitatis particeps sit necesse est. Sed ubi, quaeso, processus rectus ? ubi sophistica ratiocinatio ?

II. — De calumnia vero adaptationis theologiae ad philosophiam aristotelicam, dictum est iam alibi (1). Certe, ex hoc ipso quod veritates fidei expressae sunt, iuxta superius praemissa, in idiomate naturalium nostrorum conceptuum, quidquid iuvat ad accuratam eorum analysim, iuvabit quoque ad intelligentiam et expositionem revelatae veritatis, eodem fere pacto quo ad intelligentiam et explicationem auctoris cuiuspiam iuvat vocabularium seu lexicon, in quo rationes nominum dilucide, enucleate, et exacte proponuntur. Nunc ergo, si ad philosophiam pertinet classificare, definire, et in prima elementa resolvere communes nostras ac vulgares notiones, usus eius in theologia proportionaliter se habebit sicut usus lexici in re exegetica. Et sicut exegeta non accommodat expositionem suam lexico, ex hoc quod in lexico quaerit unde sensum sui auctoris magis penetret magisque declaret : ita nec doctores scholastici accommodaverunt doctrinam sacram ad philosophiam, ex hoc quod philosophia usi sunt ut exponerent distincte, ordinate, et cum methodo scientifica, dogmata nobis a Deo revelata.

Notandum autem diligenter, quod nunquam philosophia aliqua adhibita est in subsidium theologiae traditionalis, hoc praecise nomine, quia in mundo praevalebat, vel auctoritate alicuius particularis scholae commendabatur ; sed hoc solo, hoc unico titulo : quia et pro quanto rectae rationi, et

(1) De virtutibus, in epilogo.

regulae revelationis consentanea inventa fuit. Unde S. Thomas, 2-2, Q. 167, a. 1 ad 3^{um} : « Studium philosophiae se-« cundum se est laudabile propter veritatem quam philo-« sophi perceperunt, Deo illis revelante, ut dicitur Rom. « I-19. Sed quia quidam philosophia abutuntur ad fidei im-« pugnationem, ideo Apostolus dicit Coloss. II-8 : *Videte ne « quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secun-« dum traditionem hominum, et non secundum Christum* ». Non ergo omnes philosophiae in eodem censu veniunt ; sed aliae se habent sicut idola Aegypti, quae populus Israel debuit detestari et fugere ; aliae vero sicut ornamenta et vasa de auro et argento quae idem ille populus de Aegypto exiens, sibi potius tanquam ad usum meliorem, Deo praecipiente, vindicavit, sicut eleganter tradit Augustinus l. 2 de doctr. christ. c. 40.

Omnibus ergo modis apparet inania esse argumenta allata pro absurdo illo commento veritatis relativae in traditionali Ecclesiae doctrina. De quo quidem hactenus satis.

CAPUT QUINTUM

DE CONSUMMATIONE RUINAE PER DOGMATISMUM MORALEM

« Et fuerat multa perpessa a compluri-
« bus medicis, nec quidquam profecerat,
« sed magis deterius se habebat ».

(Marc. V-27)

Dogmatismus moralis generatim dici potest, systema derivare faciens cognitionem veritatis religiosae ex pressione cordis, et inflexione voluntatis moraliter bonae. Retinet, imo propugnat omnia principia systematis immanentiae. Proclamat quoque ruinam absolutae veritatis, id est, adaequationis intellectus et rei, quae in rebus religionis non est possibilis, iuxta praemissa in capitulo praecedenti. Sed intendit reparationi ruinae, instaurando aedificium super fundamentum moralitatis, et restituendo dogmatibus suum verum valorem, qui non tam speculativus et obiectivus est, quam practicus et directivus actionis rectae. Veritas siquidem religiosa, tota quanta est, moralitati subordinatur; moralitas est religionis principium et finis; pro religione valet quidquid a moralitate est, et ad moralitatem facit, etiamsi caetera desint. In moralitate ergo habebitur solida illa basis, quam in ignota et inagnoscibili veritate obiectiva, frustra quaerebat prostratus et iacens dogmatismus intellectualis.

Aliquid analogum invenimus apud Emmanuelem Kant, e cuius officinis novella systemata prodeunt. Radicaliter destruxerat ille omnem scientiam, ponendo velut unicam

rationem primorum principiorum, indolem nostrae mentis inclinatae ad sic cogitandum, seu potius, somniandum. Destruxerat cognitionem universi, ponendo leges naturae non esse aliud quam proiectiones ad extra immanentium nostrarum idearum, reduci dispositiones corporeas ad subiectivas impressiones, quin imo, pro subiectivis formis habendas etiam esse duas illas universalissimas mensuras temporis et spatii, sine quibus chimaericus evadit totus ordo materialis. Destruxerat denique in intellectu nostro Deum, auferendo omnem modum probandi eius exsistentiam, et declarando illegitimam extensionem principii causalitatis ad totum complexum phaenomenorum. Unde, consequenter loquendo, non remanebat lapis super lapidem de aedificio veritatis. Cum autem ipse magister de tanta ruina esset atterritus, tentavit instaurare cum idea moralitatis, id quod in ordine intellectuali ad nihilum redegerat. Et sibi visus est ad intentum scopum pervenire, dicendo : Percipio in mea conscientia ideam officii, simul cum categorico imperio adimplendi illud : ergo admittenda moralis obligatio, cum qua utique connectitur notio libertatis. Rursus, liberae adimpletioni officii videtur respondere consecutio beatitudinis ; ergo debet esse beatitudo. Sed beatitudo in praesenti vita non est ; ergo esse debet in alia vita, in qua anima manet superstes corpori. Denique, beatitudo futurae vitae non concipitur absque Deo ; ergo tenenda quoque exsistentia Dei. Et hoc modo, e categorico imperativo quod est in conscientia mea, pervenio ad stellatum coelum quod est super caput meum ; hoc etiam modo, per rationem practicam restituitur aedificium veritatis, ad quod inaniter adlaboraverat ratio speculativa (1).

Et similis est reaedificatio quam dogmatismus moralis tentat, post inductum nihilismum veritatis relativae in doctrina seu fide christiana. Nisi quod non accipit notionem moralitatis, ut ex qua, methodo deductiva caeteras inferat veri-

(1) Guido Mattiussi, *Il veleno Kantiano*, cap. IX. (Monza, Tipografia Artigianelli, 1907).

tates. Sed, quod peius est, ponit moralitatem in actu exercitam, id est, voluntatem actu tendentem in bonum, tamquam activum principium quo determinatur et inflectitur intellectus in omnibus ideis religiosis efformandis. Insuper, ideas illas seu religiosa dogmata, eatenus, nec plus nec minus, aliquid valere asserit, quatenus ad moralitatem inserviunt, suppeditando bonae actioni regulam, vel excitamentum, vel quaelibet alia adiumenta. Haec est reaedificatio excogitata per philosophiam quam alio nomine vocant *actionis*. Et haec ipsa est, quam nos consummationem potius ruinae appellamus. An recte? Iudicium erit ex tribus quae sequuntur propositionibus.

§ 1.

Quod in primis, dogmatismus moralis frustra quaerit restaurationis medium ex parte voluntatis, cui inepte primatum attribuit in negotio acquirendae et cognoscendae veritatis religiosae. Et quod immerito prorsus appellat in hoc puncto ad catholicam de fidei assensu doctrinam, ut quamdam sibi conciliet speciem et apparentiam orthodoxiae.

Revera, non sunt duae notiones veritatis: alia valens in iis quae ad religionem spectant, alia in caeteris. Si quis hoc negat, inutilis est cum eo concertatio, quia aut somniat, aut sibi ipsi conscius est quod inverecunde vocat veritatem, id quod non est veritas. « *Cui saltem illud manifestum est,* « ait Augustinus de ver. rel. c. 36, *falsitatem esse, qua id pu-* « *tatur esse quod non est,* **intelligit eam esse veritatem, quae « ostendit id quod est** ». Ad illam ergo facultatem evidentissime pertinet in quocumque ordine inventio veritatis, ad quam pertinet videre, apprehendere, percipere res quae sunt et ut sunt. Haec autem facultas non est voluntas, quae non videt, quae non percipit, quae non apprehendit, sed ap-

petit et prosequitur bonum, seu verum seu apparens, seu reale seu imaginarium, quod monstrat intellectus. Ideo, postquam destructa est veritas prout in intellectu et ab intellectu percepta, attentare restaurationem ex parte voluntatis, tam absonum absurdumque est, ac si caecutienti homini, ducatum caeci in remedium infirmitatis provideres. Non quod negandus sit omnis influxus voluntatis in negotio et acquirendae cognoscendae veritatis; illius praesertim veritatis quae alte supra mentes nostras est, et tam in se quam in suis practicis consequentiis, pravis naturae corruptae inclinationibus contrariatur. Sed quomodo se habeat voluntas ad intellectum, oportet considerare.

Primo se habet voluntas ut removens prohibens. Nam multa sunt quae iudicium rationis perturbant, et in oculum mentis pituitam ac phlegma immittunt. Sunt effrenatae passiones, sunt perversi affectus, sunt superbiae tumores: sunt etiam contentiones, dissensiones, aemulationes, quae instar ignis in ligno humore saginato, fumum solum evomunt, flammas lucidas habere non possunt. Nec sane dubium quin ad eiusmodi impedimentorum ablationem bona voluntas plurimum influat. — Secundo se habet ut movens intellectum ad quaerendum rationes ex quibus possit veritas apparere, ut applicans aciem mentis ad diligentem earum considerationem ac discussionem, ut impetrans quoque a Deo auxilia in hoc grandi negotio necessaria. Et quia id certe non praestat voluntas, si odio habeat lucem, si timeat venire ad lucem, si magis diligat tenebras quam lucem, propterea inventio veritatis amori ipsius veritatis non immerito ab Augustino adscribitur ubi ait: « Si veritas non totis animi « viribus concuspiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si « ita quaeratur ut dignum est, subtrahere se a suis dilectoribus « non potest. Hinc est illud quod in ore habere etiam vos « soletis: *Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate « et aperietur vobis. Nil est occultum quod non revelabitur.* « Amore petitur, amore quaeritur, amore pulsatur, amore « revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit, per-

« manetur » (1). — Tertio demum se habet voluntas ut imperans intellectus assensum, quando intellectus ipse ex perfecta evidentia veritatis non constringitur, et non necessario rapitur per plenam illam obiecti perspicuitatem quae nullum penitus possibili etiam dubio locum relinquit. Sed hic distinctione quam maxime opus est. Nam vel voluntas imperat assensum proportionatum dignitati rationum quae per prius innotuerunt intellectui tanquam legitima mentalis assensus fundamenta, vel imperat disproportionatum, et qui aut ex toto aut ex parte, in proprium beneplacitum sive arbitrium resolvatur. Si primum, bene. Sin autem secundum, quid aliud habebitur nisi irrationabilis cuiusdam opinionis vacuum et inane figmentum ? In omni enim iudicio quod ad rectae rationis normam exigatur, voluntas non habet intervenire tamquam loco rationum sese substituens, vel tamquam ponderi eorum addens, sed solum ut faciens intellectum assentiri secundum meritum eorumdem, ubicumque scilicet non adsunt conditiones in quibus spontanea, necessaria, atque omnino inimpedibilis sequitur mentis adhaesio (2). Et non oportet in longiori demonstratione nunc immorari, quia haec principia evidentia sunt, haec principia absoluta sunt, haec principia nullam patiuntur exceptionem, nequidem in negotio fidei divinae, ad quam inconsiderate appellant, ut suo dogmatismo quamdam orthodoxiae apparentiam concilient.

Dicunt enim quod non habemus ullam rationem necessitantem credendi divinam Ecclesiae institutionem ; quod fides est donum, quod est actus liber ; quod si fides resultaret e ratiocinationibus nostris sicut conclusio syllogismi sequitur ex praemissis, nemo non mente captus posset sese a fide unquam subtrahere, etc. (3). Atque inde subinferunt,

(1) August., de moribus Ecclesiae, cap. 17, n. 31.

(2) De his cf. *de virtutibus*, Prolegom. de fide.

(3) « Nous avouons qu' il n' y a pour nous aucune raison né-« cessitante de croire à la divinité de l' Eglise. N' oublions pas d' abord

nostras credendi rationes non habere per se plus firmitatis quam illas quae liberis opinionibus fundamento sunt ; credentis intellectum pro sua parte non esse in meliori conditione quam opinantis ; ad voluntatem bonam, ad voluntatem adiutam per gratiam pertinere, ut quod rationum ponderi deest, sua libera determinatione addat vel suppleat; ac per hoc, ipsum dogmatismi moralis generale principium quam maxime consentaneum esse iis quae de fide theologica et salutari tenet ac confitetur doctrina orthodoxa.

Sed contra haec omnia est, quod cum de ratione credendi agitur, sermo esse potest, vel de ratione ipsius fidei secundum se, vel de ratione iudiciorum quae praecedunt fidem ut ad eam praeambula. Et si quidem sermo sit de fidei praeambulis, habemus profecto rationes necessitantes ad iudicandum certissime, quod rationabile, quod debitum, quod obligatorium sit credere divinam Ecclesiae institutionem tanquam a Deo de facto revelatam. Et rationes istae dicuntur motiva credibilitatis, alia absolute, alia relative sufficientia, pro diversa capacitate diversaque conditione intellectuum, omnibus autem modis a beneplacito voluntatis semper independentia. Quanquam utique consequens adhuc non est, nullas ibi partes habiturum esse liberum arbitrium, in cuius potestate semper erit, vel directe vel indirecte avertere mentem a consideratione praemissarum ex quibus necessaria haec oritur conclusio : ergo rationabiliter credibilis, ergo obligatorie credenda catholica revelatio.

Nunc vero, si sermo sit de ipso assensu fidei secundum

« que la foi est un don, qu' elle est un acte libre. Si la foi résultait « fatalement de nos raisonnements comme la conclusion d' un syllo- « gisme des prémisses, elle ne serait plus un acte libre dans l' acce- « ption ordinaire de ce mot, et personne, à moins d'une lacune céré- « brale, ne pourrait s'y soustraire, pas plus que nous ne pouvons nous « soustraire à l' évidence. Elle ne serait plus un don, elle ne serait plus « la foi, si elle se déduisait de propositions antécédentes à la façon « des théorèmes d' Euclide, etc. ». Mignot Critique et tradition. *Correspondant*, 10 Janvier 1904.

se, ratio eius nil minus est quam auctoritas Dei revelantis. Quae auctoritas omni homini delirio amentiae non abrepto, evidentissime innotescit tanquam dignissimum firmissimae adhaesionis fundamentum, utpote quae constituitur per infinitam sapientiam ac veracitatem illius qui est subsistens Veritas, et cuius attestationes, ex hoc ipso, ex hoc solo quod *eius* attestationes sunt, sunt quoque ab ordine veri absolute indefectibiles. Et tamen, cum cedere auctoritati in quantum huiusmodi, non sit in spontaneitate intellectus repositum, adhuc necessarius est interventus liberae voluntatis, non quidem ut addat rationi assensus, qua sufficientior omnino esse non potest, sed solum ut determinet exsecutionem seu exercitium actus, prout et in quantum rationabilem illum, et debitum, et obligatorium iudicat intellectus. Neque ergo in fidei praeambulis, neque a fortiori in ipso credendi actu voluntas pro ratione est, vel pro rationis complemento. Et ideo Vaticanum, inconcussam soliditatem rationis credendi assignans, ait : *Propter auctoritatem ipsius Dei revelantis qui nec falli nec fallere potest.* De rationibus vero per quas innotescit prius divinae revelationis factum, subiungit : *Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata.* Signa, inquit, certissima. Quibus proinde nullo opus est supplemento ex arbitrio voluntatis.

Nedum igitur dogmatismus moralis munimentum accipiat ex catholica doctrina de ratione et modo assensus fidei christianae, per hanc ipsam doctrinam evacuatur potius, et iam destruitur. Sed et destruitur adhuc magis in eo quod vult fidem sinceram et veram necessario dependere a voluntate moraliter perfecta perfectione amoris seu charitatis. Nam distinguunt inter fidem amoris et fidem timoris, et dicunt quod fides timoris non est fides sincera, quia continet

in se desiderium non credendi ; quod cum ea et per eam perambulatur in tenebris, quod est fides mortua, et ex consequenti coacta, etc (1). In quo quidem, argumentum aliquod sumere sibi videbuntur ex testimonio Iacobi apostoli, ubi de fide daemonum qui credunt et contremiscunt, collata cum fide hominis, quae si opera non habeat, mortua est in semetipsa. — Sed contra est primo, quod fides illa daemonum nequaquam a libera voluntate pendet, seu bona seu mala illa sit, sed a sola signorum evidentia, et ideo, nec timoris nec amoris fides dici ullo modo potest, nisi forte fidem timoris libeat vocare eam quae timorem habet pro consequente effectu : quo quidem sensu, consideratio non est amplius ad rem, ut evidenter constat. — Sed contra est secundo, quod fides christiani sine operibus, nequaquam comparatur cum fide daemonum quantum ad speciem actus, sed solum quantum ad hoc, quod sicut dàemonibus nihil ad salutem prodest omnis illa notitia quam de rebus divinis ex evidentia signorum habent, ita christiano, quamdiu non studet vitam suam conformare fidei suae, fides ipsa prodesse non poterit. — Sed contra est tertio, quod fides mali christiani dicitur mortua, non quia coacta, non quia sinceritate carens, sed quia otiosa et in effectum boni operis non transiens. — Sed contra est denique quarto, quod omnis doctrina quae facit veram fidem christianam a charitate et statu iustitiae inseparabilem,

(1) « En plus de la foi d' amour il y a donc une foi de crainte. « Toutefois elles ne se ressemblent guère. Et quand la foi de crainte « est le commencement de la sagesse, c' est que dans la crainte même « il y a déjà autre chose. Mais croire uniquement par crainte, c' est « croire en niant. C est ainsi qu' un ennemi croit à l' existence de « son ennemi en aspirant à le supprimer. La foi de crainte à elle toute « seule n' est donc pas une foi sincère, puisqu' elle contient le désir « de ne pas croire. Avec elle et par elle on s' enfonce dans les ténèbres. « C' est une foi morte, une foi subie dont on cherche à se débarrasser, « et dont en fait il arrive qu' on se débarrasse. Tandis que la foi « d' amour est une foi vivante et voulue dans laquelle on s' affermit « sans cesse, et qui va toujours croissant. *Supercrescit fides vestra* ». Laberthonnière *le dogmatisme moral*, § 4.

doctrina haeretica, doctrina protestantica est, iamdudum condemnata in Tridentino Sess. 6, can. 28, et novissime in Vaticano Sess. 3, cap. 3. In Tridentino enim sic habetur : *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti ; aut fidem quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva ; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse christianum, anathema sit.* Et in Vaticano : *Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non oporetur, donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.* Iterum ergo frustra appellabunt ad doctrinam catholicam, in eo praecise puncto in quo dogmati solemniter definito diserte contradicunt.

A primo itaque ad ultimum, falso asseritur quod cognitio fidei suum emendicat valorem a voluntate bona. Falso dicitur quod defectus adaequationis cum veritate obiectiva compensatur in dogmatibus, per id quod de influxu bonae vitae est. Falso supponitur quod in rebus religionis, notiones nostrae tantum valent, nec plus, nec minus, quantum valet vita nostra moralis, quantum finis ad quem tendimus. Falso denique adstruitur nova illa ratio veritatis, quae iam non ostendit id quod est, sed quod influit moralitas. At nunc, operae pretium erit investigare an haec ipsa moralitas, quae toti systemati pro basi et fundamento est, salva in eo, integraque permaneat. De quo quidem sequens assertio sit.

§ 2.

Quod dogmatismus moralis non solum non instaurat collapsum veritatis aedificium, erigendo in principium ac fundamentum voluntatem boni, sed magis ruinam super ruinam accumulat, videlicet ruinam ipsius ordinis moralis super ruinam cognitionis intellectualis, faciendo notionem moralitatis independentem a notione Dei et legis eius, et construendo regulam honesti super solas immanentes animae vires sive aspirationes.

Hic de moralitate, praeviae quaedam notiones sunt omnino necessariae. Notio moralitatis includit duos conceptus. Includit primo conceptum bonitatis vel malitiae in actibus humanis ; includit praeterea conceptum obligationis qua adstringimur ad bonum faciendum et malum non faciendum. Et semper ac necessario fundatur super notitiam Dei, tum sub ratione ultimi finis nostrae voluntatis, tum sub ratione legislatoris iubentis ut ordo in finem servetur, prohibentis ne perturbetur.

Considera primo moralitatem in quantum includit conceptum bonitatis vel malitiae in actibus humanis. Haec bonitas, haec malitia, undenam accipitur ? Generatim loquendo, bonitas vel defectus cuiuslibet operationis accipi debet per respectum ad finem qui activo operationis principio est praestitutus. Nam operatio se habet ut motus potentiae operativae in terminum attingendum. Est igitur bona, si recte dirigitur in illum, est mala et defectuosa si secus. Sicut in operationibus naturae, « quando actus procedit a virtute naturali secundum « naturalem inclinationem in finem, tunc servatur rectitudo « in actu, quia medium non exit ab extremis, scilicet actus « ab ordine activi principii ad finem » (1). At quando vitium organi vel perturbatio aliqua undecumque proveniens facit deflectere actum ab ordine illo, tunc incidit ratio actus defectuosi et mali. Idem etiam est in operationibus artis, nam tunc servatur rectitudo, quando operatio continetur in linea finis quem ars sibi attingendum praestituit ; incidit ratio defectus, quando a dicto fine deviat, quicumque tandem ille sit. « Cum peccatum sit per deviationem ab ordine ad « finem, in actu artis contingit dupliciter esse peccatum. « Uno modo per deviationem a fine particulari intento ab ar- « tifice, et hoc peccatum erit proprium arti, puta si artifex « intendens facere bonum opus, faciat malum, vel inten- « dens facere malum, faciat bonum. Alio modo per deviationem « a fine communi humanae vitae, et hoc modo dicitur peccare,

(1) S. Thom. 1-2, Q. 21, a. 1.

« si intendat facere malum opus, et faciat, per quos alius de-
« cipiatur. Sed hoc peccatum non est proprium artificis in quan-
« tum artifex, sed in quantum homo est. Unde ex primo pec-
« cato culpatur artifex in quantum artifex ; sed ex secundo
« culpatur homo in quantum homo » (1). Et sic discurrendo per omnia operationum genera, semper invenietur bonitas vel defectus repeti ex habitudine actus ad finem seu terminum qui operativae potentiae praefigitur, secundum quod actus recte in eum finem dirigitur, vel e contra, a debito eiusdem finis ordine deflectit.

Iam igitur videndum est, quodnam sit in moralibus activum operationis principium, quisnam finis seu terminus eidem principio praefixus. Hinc enim, et hinc tantum, accipietur notio actus moralis, boni vel non boni, recti vel non recti. Porro principium actus moralis in quantum huiusmodi, est libera voluntas, ut omnes facile concedent, cum ibi evidenter incipiat genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur. Voluntas autem est, ad quam manifeste pertinet directio totius vitae, quia ipsa est quae movet alias vires. Habet igitur pro fine et termino ultimo, ipsum humanae vitae finem supremum, qui nullus alius est nisi Deus, sub cuius ordine vita tota quanta constituitur. Praeterea, voluntas natura sua, respicit bonum summum atque absolutum, et licet possit pro suo arbitrio summum bonum exercite collocare in variis rebus, puta in voluptate, in divitiis, in honoribus, etc., tamen unum solum est in quo summi boni ratio vere, et non apparenter tantum, salvatur ; quod unum rursus, ipsa est per essentiam bonitas, Deus.

Rectitudo igitur et bonitas actus voluntarii seu moralis in quantum huiusmodi, essentialiter consistet in servato ordine qui terminatur ad finem Deum ; perversitas et malitia in recessu et deviatione ab ordine qui est in eumdem finem Deum ; ibi norma, ibi regula, ibi ratio secundum quam concipitur quid bonum sit, quidve malum in moralibus. *Secundum*

(1) Ib. a. 2. ad 2um.

hoc namque intelligitur in primis, malum morale esse quidquid contra Deum ipsum immediate committitur, sicut est blasphemare Deum, discredere Deo, cultum denegare Deo, etc. *Secundum hoc* deinde intelligitur, malum morale esse quidquid est contra ordinatum amorem hominis ad seipsum : tum quia amor boni quod habemus a Deo, manuducit nos ad amandum plus quam nosmetipsos causam illam principem et supremam a qua omnia participamus, et in qua bonum proprium magis continetur quam in nobismetipsis ; tum quia, corrupto eo quod praedispositive se habet, stare amplius nequit illud ad quod est necessaria praedispositio et manuductio. Propterea ergo, id quod repugnat ordinatae sui ipsius dilectioni, repugnat etiam subiectioni ad Deum finem ultimum, et ea de causa, inter ea quae moraliter mala sunt, accensetur. *Secundum hoc* denique intelligitur. malum morale esse quidquid laedit vel destruit bonum convictus seu societatis humanae, quia rursus cum homo sit ad societatem natus, et extra societatem fini suo assequendo omnino impar : corrumpere foedus societatis humanae, nihil aliud est quam auferre necessariam conditionem, vel destruere necessarium medium tendendi in ultimum vitae humanae finem Deum, ac pro tanto vere dicitur esse contra finem ipsum, sin minus immediate, at certe mediate, quantum est ex natura sua.

Tale igitur est principium discernendi ea quae bona vel mala sunt in moralibus, et nullum aliud est aut esse potest. Si finem Deum removeas, vel ab eo solum praescindas, nihil iam ex omnibus ad quae libido humana se extendit, apparere poterit ut deordinatum deordinatione *morali*, id est, *cadente supra actum voluntarium praecise in quantum est voluntarius*. Nam secluso fine Deo, iam non remanet nisi finis qui esset vel in aliis creaturis, vel in homine ipso. et neuter aliquid valet in proposito. Non finis qui esset in aliis creaturis : tum quia sub aliis creaturis qua talibus, a quibus nihil participat, liberum arbitrium non constituitur ; tum quia ad nullam creaturam liberum arbitrium naturalem habet

vel habitudinem vel dependentiam, ut ei illa terminus prosequendus cogitetur praestitutus ; tum quia ex consequenti, impossibile est ut actus liberi arbitrii, eo praecise perversus, eo deordinatus exsistat, quo ab alius cuiusvis creaturae ordine, convenientia, exigentia, bono, utilitate exorbitans. Neque etiam finis qui esset in homine ipso, quia homo sibi ipsi finis prosequendus non est, ut probant illae aspirationes cordis ad bonum extra et supra se positum, ab ipsis immanentistis adeo decantatae.

Quod si nunc consideres moralitatem in quantum notioni boni et mali superaddit notionem obligationis faciendi bonum et declinandi a malo, dependentia ideae moralitatis a praesupposita Dei notitia adhuc tibi manifestior apparebit. Nihil enim magis evidens quam quod obligatio conscientiam ligans, hominemque (velit, nolit) insuperabiliter adstringens, importat in suo conceptu subiectionem ad regulam absolutae necessitatis, eamque a superiore aliquo, realiter seu a parte rei vere existente, impositam : siquidem subiectio libertatis restrictiva, respectu abstractionis quae nullum esse haberet extra proprii intellectus considerationem, chimaera et fabula est, lusus imaginationis est, vacuum phantasma est, quod eadem facilitate exsufflatur, qua construitur. Et propter hoc dico patere in terminis, quod moralitatis regula, in quantum apprehenditur ut obligatoria, apprehenditur ipso facto tanquam de lege alicuius dominantis descendens. Hunc autem, nullum alium esse posse nisi Deum, obviis plane rationibus manifestum fit, quae iam alias expositae sunt, ubi de notione peccati agebatur (1), quasque hic iterum in memoriam breviter revocare iuvabit. Etenim *primo* cum regula morum homini dominetur, non in quantum est hic vel ille homo, sed in quantum est homo simpliciter, ab eo solo imposita esse potest, cui homo subest secundum quod est naturam humanam participans. Et iste non est nisi Deus, qui solus naturae humanae auctor est et dominus. Praete-

(1) De natura et ratione peccati, Introd. § 3.

rea *secundo*, regula moralitatis non potest in defectibiles voluntates descendere, nisi ab eo cuius intentio nequeat omnino a moralitatis fine deviare, quique per essentiam absolute impeccabilis exsistat, utpote indeclinabiliter atque immobiliter inhaerens supremo bono quod totius ordinis moralis principium est et terminus. Sed rursus iste est Deus solus. Nam, ut dicitur in Compendio theologiae, c. 113 : « Sicubi voluntas non potest a fine deficere, manifestum « est quod ibi defectus voluntariae actionis esse non potest. « Voluntas autem deficere non potest respectu boni quod « est ipsius volentis natura. Quaelibet enim res suo modo « appetit suum esse perfectum, quod est bonum uniuscuius- « que ; respectu vero boni exterioris deficere potest, bono « sibi connaturali contenta. Cuius igitur volentis natura est « ultimus finis, in hoc defectus voluntariae actionis contingere « non potest ; hoc autem solius Dei est, nam eius bonitas « quae est ultimus finis rerum, est sua natura. Aliorum autem « volentium natura non est ultimus finis ; unde potest in eis « defectus voluntariae actionis contingere per hoc quod vo- « luntas remanet fixa in proprio bono, non tendendo ulterius « in summum bonum quod est ultimus finis ». Praeterea *tertio*, moralis obligatio non est nata descendere nisi ab eo summo superiore, qui non solum in seipso absolute sanctus est, verum etiam necessario vult omnes alias voluntates esse servandi ordinis debitrices. Hoc autem iterum atque iterum in solo Deo verificatur, cui idem est velle seipsum ut ultimum finem omnium rerum, et velle servari in universo ordinem iustitiae, quandoquidem ordo iustistiae et ordo ultimi finis adaequate convertuntur. *Denique*, si a Deo volumus praescindere, quid, quaeso, remanebit ? Remanebit forte aliqua convenientia aesthetica, emolumentum individuale, utilitas socialis, et si quid aliud eiusmodi. Sed haec longe longeque sunt ab obligatione absoluta, quae debet esse superior voluntati hominis, superior cuicumque bono alias consequendo, superior cuicumque dolori eventualiter sustinendo, superior difficultati cuiuscumque conatus pro officii

custodia requisiti. Plane autem repugnat ut in homine ipso in se considerato, sit necessitas homine maior. Repugnat ut creatura quaelibet sit indefinita et insuperabilis ratio regulae semper observandae et nunquam praetereundae. Repugnat ut sit norma suprema et finis ultimus, sicut deberet esse ad imponendam talem ac tantam necessitatem.

Sic igitur, a primo ad ultimum, notio moralitatis est notio essentialiter fundata super notionem Dei finis ultimi, cui creatura rationalis se tota est subiecta, et a quo imposita habet legem, praeceptivam quidem eorum quae ad finem ducunt, et pro tanto rectitudinem ordinis servant ; prohibitivam vero eorum quae a fine abducunt, et pro tanto ordinem perturbant. Quisquis proinde solvit notionem moralitatis a notione Dei, quisquis moralitati aliam praestituit basim, aliud fundamentum, aliud principium, iste destruit quantum in se est moralitatem, eamque reducit ad meram quamdam inclinationem humanam, in eadem linea eodemque gradu inventam ac inclinationes caeteras, quae procul dubio subsunt libero arbitrio, nedum ei legem recte agendi dictent, et irremovibilem normam ordinatae operationis praestituant.

Nunc autem dogmatismus moralis non fundat notionem moralitatis super notionem Dei, creatoris, domini, legislatoris, et ultimi finis nostri ; sed magis e converso, vult notionem Dei esse foetum et procreationem moralitatis. Prior est voluntas moralitate instructa ; posterior est notitia Dei, ad quam mens flectitur sub pressione cordis. Relinquitur ergo moralitas quoad nos a Deo independens, moralitas emergens e solis immanentibus animae viribus vel aspirationibus, moralitas denique interclusa et undequaque circumscripta Kantiano illo *imperativo categorico*, quod ad trutinam rationis revocatum, invenitur inane, insubsistens in se, contradictoriis constans notis, et pro tanto contemnendum.

Sentis equidem in temetipso inclinationes ad servandam iustitiam, temperantiam, castitatem, sed sentis etiam alias, et ex toto oppositas. Sentis inclinationes ad benefacien-

dum aliis, ad diligendum parentes, filios, fratres, proximos ; sed in animalibus quoque similes observare est propensiones, et quandoque quidem valde teneri ac delicati affectus, sicut narrat Basilius l. 8 Hexaem., de ciconiis quae parentes suos aetate confectos fovent plumis, alimentis recreant, et in volatu supportant. Hucusque ergo nihil plus quam instinctus quidam, inter tot alios quibus complexa nostra natura abundat. Sed cum tibi videris audire vocem conscientiae quae *categorice imperat*, ut has prae aliis inclinationes tanquam obligatorias regulas sequaris, ludibrium es vanae sentimentalitati. Dico autem vanae sentimentalitati, quamdiu tuum hominem immanentistam pro virili sustines ; quamdiu hominem illum realem quem expulisti furca, quique confuse saltem sese conscit sub lege Dei constitutum, eadem semper furca longius semper pellis, et redire non sinis. Imperat conscientia ? Sed nullus comparet, in cuius nomine imperet vel imperare possit. Categorice imperat ? Sed nulla est assignabilis necessitas cui categorica illa iniunctio proportionetur. Nam si honorem et dignitatem propriae personae in medium adducas, quaero de qua personae dignitate, de quo honore loquaris. An de honore quo gaudeas apud alios ? Sed in hoc potest esse ratio cohibens manum, aut verius, actionem quae in caeterorum hominum notitiam veniat ; quoad forum vero et praescriptum conscientiae, nihil praeteraeque nihil. An de honore quo gaudeas apud temetipsum ? Sed contra primo, quia eiusmodi honor proprio uniuscuiusque beneplacito subiacet. Quomodo ergo non iustos limites excedens, iniunctio illa, etiam adversus ea quae ardentius concupiscis, tam insolenter insurgens ? Sed contra secundo, quia adeo larga et varia esse solet apud homines aestimatio honoris et dignitatis, ut de eo quod tuus requirit honor, praesertim in solis oculis tuae conscientiae individualis, iure meritoque independentem iudicem et arbitrum te constituas. Sed contra tertio, quia praescindendo semper a fine superiore et ordine quo ad illum religaris, honorem et dignitatem in nullo alio melius et rectius collocabis, quam in non abdicando liberta-

tatem qua te natura donavit, teque tuarum determinationum dominum fecit. Si quid autem in contrarium occurrerit, terriculamentum erit, praeiudicium erit, subiectiva impressio erit, quam frigida ratio ad criticum examen revocans, vanam atque inanem pronuntiabit.

Sic igitur, moralitas ad quam recurrit dogmatismus moralis, moralitas revera non est, sed radicalis negatio omnis moralitatis. Nec obstat quod intendant forte moralitatem qualem vulgo, plus minusve confuse, omnes eam concipiunt. Haec enim est perpetua contradictio in quam infallibiliter incidunt quicumque pervertunt primas illas notiones, quae in ratione nostra tanquam incorruptibilis fundus reponuntur. Semper consociant notionem veram cum notione sophisticata, et sophisticatam vestiunt attributis ac proprietatibus quas inveniunt in vera. Sed de moralitate nunc loquimur, qualem illam systema adstruit. Systema scilicet, in quo homo debet omnia haurire ex intimo suo fundo vitalique potentialitate, ne indebitus limes apponatur legitimae eius autonomiae, proprioque autochtonae expansionis modo Systema praestituens voluntatem bonam, cui caecus instinctus pro criterio boni est, et imaginaria lex pro regula dirigente. Systema demum non modo dissolvens vinculum dependentiae moralitatis a Deo, sed imo ipsam Dei notitiam et omne aliud dogma religiosum pullulare faciens sub incubatione cordis, cuius suggestioni obedit intellectus, ut in ultima analysi sit pure ac simpliciter, pro ratione voluntas. Et non vides ibi accumulatam ruinam ordinis moralis super ruinam cognitionis intellectualis, ut sit plena destructio? Est tamen et aliud quo adhuc evidentius destructionis consummatio ostenditur, de quo, ultimo loco, nonnihil iam dicendum est.

§ 3.

Quod dogmatismus moralis consummat irreparabilem veritatis fidei destructionem, proclamando valorem pure practicum dogmatum religionis, id est, asserendo, nullum

in eis esse posse valorem obiectivum, utpote nobis penitus incognoscibilem, sed esse tantummodo normas vel excitamenta actionis, quatenus sic nos in agendo habere debeamus, ac si vera ea essent quae per fidem nostro praesentantur intellectui.

Equidem nihil magis apertum obviumque est, quam valor practicus dogmatum christianae religionis. Nihil usitatius apud SS. Patres, quam ut dicant fidem rectam esse initium bonae vitae ; christianos ab infidelibus distingui debere operibus et moribus, eodem modo quo ab eisdem distinguuntur fide: opera super fidem construi, sicut construitur fabrica supra fundamentum. Ait Augustinus, de fide et symbolo, n. 25 : « Haec est fides quae paucis verbis tenenda « in symbolo novellis christianis datur..., ut credendo subiu- « gentur Deo, subiugati recte vivant, recte vivendo cor mun- « dent, corde mundato quod credunt intelligant ». Ait Leo Magnus, Serm. 37, n. 1 : « Memoria rerum ab humani generis Sal- « vatore gestarum magnam nobis confert utilitatem, si quae « veneramur credita, suscipiamus imitanda. In dispensatio- « nibus enim mysteriorum Christi, et virtutes sunt gratiae, « et incitamenta doctrinae, ut quem confitemur fidei spiritu, « operum quoque sequamur exemplo ». Ait Gregorius, hom. 26 in Evangelia, n. 9 : « Ille etenim vere credit, qui exercet « operando quod credit. Quo contra de his qui fidem nomine « tenus retinent, Paulus dicit : *Confitentur se nosse Deum, factis « autem negant* ». Et ideo, de fidelibus qui male vivunt, idem Gregorius l. 25 Moral. c. 10 ait: « Insequuntur moribus quod « credulitate venerantur. Quibus divino iudicio saepe contingit, « ut per hoc quod nequiter vivunt, et illud perdant quod sa- « lubriter credunt ». Et infra, l. 28, c. 7 : « Sunt qui aeterna quae audiunt, veraciter credunt, et tamen eidem quam tenent fidei, male vivendo contradicunt ». Sed et si omnia eiusdem sensus, eiusdemque doctrinae testimonia oporteret singillatim referre, ne integra quidem arbitror sufficere posse volumina. De Scripturae autem sensu quis dubitare posset ?

Docet Scriptura, fidem sine operibus mortuam esse in semetipsa; apparuisse gratiam Dei Salvatoris nostri erudientem nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo; eos qui christianam fidem profitentur, debere esse in vi professionis suae, pudicos, prudentes, sobrios, in omni conversatione sanctos, ut non blasphemetur verbum Dei; et alia sexcenta huiusmodi. Et ne his generalioribus contenti esse videamur, ecce tibi quaedam magis determinata. Quid relationis ex. gr., sit inter speciale dogma incarnationis et regulam morum, Scriptura paucis comprehendit dicens: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset..., semetipsum exinanivit formam servi accipiens... Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (1). Et de speciali dogmate resurrectionis Christi eadem Scriptura dicit: *Si Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit..., vana est fides vestra... Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci: corrumpunt bonos mores colloquia mala* (2). Et de speciali dogmate Eucharistiae dicit: *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem,* etc... *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans corpus Domini* (3). Et sic discurrendo per singula, a veritate dogmatis descenditur ad conclusiones quae spectant vitae puritatem, correctionem malae voluntatis, et omnis generis virtutum exercitium. Neque ab ea conditione oportebit eximere ea etiam dogmata quae

(1) Philipp. II, 5-8.
(2) I Cor. XV, 12-33.
(3) Cor. XI, 23-29.

pure speculativa esse viderentur, utputa altissimum illud mysterium Trinitatis, in quo utique incitamentum habemus ad subiiciendum nos Deo per plenissimum intellectus et voluntatis obsequium, ad inchoandum vitam quae nos manet cum angelis in coelo, ad tendendum totis animae viribus in eam visionem in qua sola aenigma revelabitur, testante apostolo ubi ait : Videmus nunc per speculum et in aenigmate, tunc autem facie ad faciem ; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (1). Itaque non est

(1) « S' il existe un autre monde invisible, où Dieu déploie d' au-« tres merveilles, où il habite lui-même dans sa gloire, et se mon-« tre sans voile à ses élus; si nous sommes faits pour ce monde « meilleur, pour y voir, y posséder Dieu, et jouir dans son sein des « délices éternelles: ne faut - il pas que nous soyons avertis de notre « sublime destinée, pour nous efforcer de l'accomplir ? ne faut - il pas « qu' il nous soit donné au moins quelques notions de cette patrie vers « laquelle nous devons tendre, de cet immortel bonheur que nous « devons mériter, de ce Dieu auquel nous devons être unis à jamais « par l' amour ?... Longtemps avant l' âge de raison, l' enfant est « éclairé d' une faible lumière intellectuelle, qui en est comme l' au-« rore; ses idées, d' abord confuses et enveloppées, s' éclaircissent peu « à peu; il bégaie longtemps un langage qu' il n' entend pas, avant « d' attacher un sens net et distinct aux mots qu' il prononce, et ne « parvient qu' à travers une longue étude d' éléments arides et presque « inintelligibles pour lui, à cette mesure de science dont l' esprit humain « est capable ici-bas. Voilà ce qu' une expérience journalière nous « découvre; étendons maintenant nos vues et élevons nos pensées. « L' homme étant un être immortel, dont l' existence, commencée « dans le temps, doit durer au delà des siècles, nous pouvons bien « dire que la vie présente n' est tout entière que son enfance, et que « son âge mûr est l' éternité. Enfant donc en ce monde, il y est comme « l' ébauche de ce qu' il sera un jour; il n' a pas encore la pleine intel-« ligence des choses de Dieu, mais il en a de premières vues incom-« plètes, qui se développeront dans un autre état; il apprend à bé-« gayer sur la terre la langue des bienheureux et des anges qu' il doit « parler éternellement dans le ciel; il étudie les éléments encore ob-« scurs d' une science divine, qu' il ne possédera dans toute son é-« tendue, que lorsqu' il aura atteint, selon l' expression de S. Paul, « la plénitude de l' homme parfait en J. C. Toute cette doctrine est « de ce grand apôtre, entendez le-lui même: *Tant que nous sommes en-*

ullatenus diffitendum quin dogmata nostra ad dirigendam rectam actionem plurimum valeant, et si nihil aliud sibi vellet novum illud systema quod *pragmatismi* nomine vocant, veritatem enuntiaret quae de ipsis primis doctrinae christianae elementis est.

Sed istud quoque de primis elementis est, videlicet : eatenus dogmata illa aliquid valere in ordine ad regulam morum, quatenus absolute vera sunt, et ut talia a nobis certissime tenentur, indubitanterque creduntur. Prior esse debet veritas *quae ostendit id quod est* : veritas de Deo prima causa et fine ultimo, de Deo legislatore, de Deo iudice, de Deo remuneratore : veritas de Filio Dei propter nos homines et propter nostram salutem incarnato, passo, mortuo, et a mortuis redivivo : veritas de Ecclesia ab unico illo humani generis Salvatore instituta, et habente in se media ad consecutionem beatitudinis quam sanguis I. C. nobis promeruit conducentia,

---

« *fants*, dit-il, *nous parlons en enfants, nous pensons, nous raisonnons en* « *enfants. Mais quand la maturité sera venue, tout ce qui tient de l' en-* « *fance disparaîtra. Ce que nous voyons maintenant comme en un miroir* « *et en énigme, nous le verrons alors face à face ; ce que nous ne connais-* « *sons encore qu' obscurément et en partie, nous le connaîtrons aussi* « *pleinement que nous serons nous-mêmes connus.* A quoi servent donc « les mystères ? Vous le voyez, ils forment un degré nécessaire, dans « ce grand et magnifique développement de l' homme, croissant ici- « bas pour l' éternité, et se préparant, parmi les ombres de la cité « terrestre, pour la lumière et la gloire de l' immortelle patrie. A quoi « servent les mystères ? Ils sont le lien qui unit la terre au ciel, par une « admirable communauté de sentiments, de pensées et de langage. « Tout ce que les bienheureux voient, nous le croyons ; tout ce qu' ils « possèdent, nous l' espérons ; ce qu' ils aiment et adorent, est aussi « l' objet de notre adoration et de notre amour ; nos cantiques répon- « dent aux leurs ; ils rendent grâces, dans des transports perpétuels « d' allégresse, pour les biens ineffables dont ils jouissent ; nous « soupirons, dans l' ardeur de continuels désirs, vers ces mêmes biens « que les mystères nous montrent à travers des voiles, et qu' ils nous « promettent comme la récompense assurée de notre foi ». (Maccarty, Sermon sur la divinité de la religion chrétienne prouvée par ses mystères, pour la fête de la très Sainte Trinité).

veritas de sacramentis, veritas de remissione peccatorum, veritas de aeterna vita iis repromissa qui bona egerint, de aeterna damnatione iis praestituta, qui secus. Et hoc absolutae veritatis fundamento semel praesupposito, regulam actionis ex dogmatibus rationabiliter utique accipio. Hoc fundamento sublato, nonne stultitia est, nonne vesania ? « Ad sanctorum « martyrum corpora consistimus, aiebat Gregorius (1). Numquid « isti carnem suam in mortem darent nisi eis certissime consti- « tisset, esse vitam pro qua mori debuissent ? » Et universaliter loquendo, quid, quaeso, stultius quam regulam actionis sumere ex ignoto, ex nihilo, ex vacuis formulis de quibus nescitur, scirique non potest, quid eis in realitate respondeat, imo vero, hoc unum scitur, quod realitati consonae non sunt? Atqui hoc facit dogmatismus moralis, proclamando valorem *pure* practicum dogmatum religionis. Ideo, hunc ipsum valorem practicum destruit simul cum obiectivo, et ruina absoluta, ruina totalis est.

Putant se aliquid dicere cum aiunt, sensum nostrorum dogmatum esse quod sic in agendo nos habere debemus ac si vera essent ea quae per fidem praesentantur nostro intellectui : « *Deus personalis est,* vult dicere : Te habeas erga « Deum, sicut te habes erga personam humanam. Similiter : « *Iesus est resuscitatus*, vult dicere : Sis erga Iesum, sicut « fuisses erga eum antequam moreretur, sicut erga coaevum « te habes. Et similiter etiam, dogma praesentiae realis vult « dicere quod oportet te esse respectu hostiae consecratae, « in eadem habitudine in qua esses respectu Iesu facti vi- « sibilis » (2). Revera versamur in pleno sonnambulismo. Nam, ut opinor, pro omni eo qui parumper e somno evigilat, haec propositio, *Deus est personalis,* sibi vult quod Deus est per-

(1) Greg. M. Homil. 32 in Ev. n. 6.

(2) « *Dieu est personnel* veut dire : Comportez vous dans vos rela- « tions avec Dieu comme dans vos relations avec une personne hu- « maine. Pareillement, *Jésus est ressuscité* veut dire : Soyez par rapport « à lui comme vous auriez été avant sa mort, comme vous êtes vis-

sonalis, id est, subsistens in se, distinctus a mundo et omnibus rebus finitis quae esse participant. Haec propositio, *Iesus est resuscitatus*, sibi vult quod Iesus resurrexit, id est, e morte rediit ad vitam. Haec propositio, *Iesus est realiter praesens in sacramento*, sibi vult quod est realiter praesens, id est, quod sub speciebus sacramenti, loco substantiae panis latet ipse Christus, vere et substantialiter. Alioquin, quae logomachia ! quae mendax verborum acceptio ! praesertim vero, dii immortales, quae absurda religio ! Panem video, panem mihi sensus renuntiant, nullum nisi de pane idoneum, imo possibile testimonium est, et tu me cogis ut circa id quod in mea notitia panis est, praetereaque nihil, in ea sim habitudine cultus, adorationis, reverentiae, in qua esse deberem erga Iesum factum visibilem ? Iesus est aut fuit homo ; id mihi historia testatur. Caeterum, divinitas eius ne sensum quidem habet pro meo intellectu, et tu me cogis ut erga hunc hominem de quo, an supra hominem aliquid sit, non solum nihil scio, sed nec scire possum, me habeam ac si esset Deus ? Iesus mortuus est ; de hoc rursus nulla possibilis dubitatio. Aliunde vero resurrectio mortuorum, ad intelligibilitatem quod spectat, aequivalet quadraturae circuli, et tu me cogis ut cum hoc mortuo, qui quoad me saltem remansit inter mortuos, tanquam cum vivente converser ? Amara est vita praesens, et multis plena doloribus ; habet tamen quasdam dulcedines a quibus prohibet austera quaedam, quam vulgo dicunt, legis praescriptio. Ex alia vero parte, vita futura, an sit, et qualis sit, in eadem semper agnosticismi sphaera invenitur. Quid igitur faciam miser, qui nollem abdicare praesentia ob vanam spem vel formidinem futurorum ? Sed ecce tibi solutionem providet philosophia actionis. Sic

---

« à - vis d' un contemporain. De même encore, le dogme de la pré- « sence réelle veut dire qu' il faut avoir en face de l' hostie consacrée « une attitude identique à celle qu' on aurait en face de Jésus devenu « visible ». Le Roy, Qu' est-ce qu' un dogme. (Quinzaine, 16 Avril 1905).

age, sic vive, *ac si* esset vita futura, in qua et bonis praemia, et malis poenae sunt constitutae.

Vides ergo *nihilismum* ad ultimum limitem in dogmatismo morali perductum. Re enim vera, regulam agendi tam rationabiliter acciperem ex aliqua fabula romanensi, quam ex evangelio. Nec iuvat si dicas quod etsi in dogmate prout in intellectu nostro, nulla sit ratio praxim legitimans, adhuc tamen esse poterit in *realitate subiacente*, nobis quidem ignota, sed cognita Deo revelanti. Nam, missis nunc aliis considerationibus, de Deo, et praesertim de revelatione Dei dogmatismus moralis nihil plus scit ac de caeteris. « Solet dici « quod Deus locutus est. Sed quid in casu significat vocabulum « *loqui ?* Certo certius metaphora est, et quaenam est rea- « litas quae sub hac metaphora tegitur ? » Nemo scit (1). Unde nihil remanet nisi vitalis conatus mentis humanae. Aiunt enim quod nisi velimus religionem absurde transmutare in entitatem logicam seu abstractionem metaphysicam, oportet in ea introducere notionem motus et vitae, ita ut dogma concipiatur tanquam aliquid vivens, cuius omnia principia homini sunt immanentia.

Superest itaque ut ostendamus quale tandem animal sit fides illa vivens. Et hoc praestare curabimus, referendo verba et sententias auctoris qui sibi munus adscivit *vulgarizandi* quidquid de singularis animantis originibus, incrementis, progressibus, praeteritis futurisque metamorphosibus apud rationalistas saeculi proxime elapsi adinvenit. Id quidem in capitulo quod sequitur.

(1) « Dieu a parlé, dit-on. Que signifie le mot *parler* dans ce cas ? « A coup sur, c' est une métaphore. Quelle réalité cache-t-elle ? Toute « la difficulté est là ». Le Roy, ubi supra.

CAPUT SEXTUM

DE CUMULO ERRORUM IN SYSTEMATE FIDEI VIVENTIS

« Nomen habes quod vivas, et mortuus es ».
(Apoc. III-1).

Haec doctrina de fide vivente colligit in se omnes rationalismi errores hactenus exortos, et sub ementito nomine revelationis dissimulat quantum potest, radicalem negationem omnium dogmatum fidei christianae, *ne uno quidem excepto*. Quod si de hoc dubites, habebis iam unde convincaris. Ipsam doctrinam interroga, aetatem habet, ipsa de se loquatur.

§ 1.

Id quod revelationem vocant, nihil aliud esse potuit quam conscientia ab homine acquisita de sua ad Deum relatione.

Initium revelationis fuit perceptio, quantumcumque rudimentalis, illius relationis quae debet exsistere inter hominem sui conscium, et Deum praesentem sub mundo phaenomenorum. Speciatim vero, revelatio christiana in suo principio suaque origine, non fuit nisi perceptio in anima Christi, tum relationis qua Christus ipse cum Deo uniebatur, tum relationis quae omnes homines religat ad Patrem coelestem.

Similiter revelationis progressus fuit perceptio novarum relationum, aut potius, magis praecisa, magisque distincta determinatio relationis essentialis confuse ab origine perce-

ptae, dum homo informabatur ad cognoscendum semper melius, et magnitudinem Dei, et rationem proprii officii.

Caeterum, id distat inter perceptiones ordinis scientifici et perceptiones veritatum religiosarum quae revelatae dicuntur, quod hae posteriores non sunt sicut illae priores, fructus solius rationis, sed elaboratio quaedam intellectus sub pressione cordis, et directione sensus moralis seu voluntatis boni.

Haec porro elaboratio quae effectum habet semper magis ac magis perfectum in religione Israelitica, ac deinde in religione christiana, est primo et principaliter operatio Dei in homine, sive operatio hominis cum Deo : pro quanto scilicet involvit actionem Dei excitantis hominem ad quaerendum, et adiuvantis eum in suo continuo atque indefinito conatu ad melius. Quanquam ratio quoque habenda sit occurrentium historiae eventuum a quibus revelata religio sumebat occasiones, incitamenta, adiumenta, materiam suae propriae evolutionis, et tanto quidem magis, quanto maiori vitalitate erat praedita. Unde etiam nil mirum est si religio Israel et religio christiana, praecise propter intensissimam vitalem energiam, fuerunt plus quam caeterae religiones omnes, mutationi obnoxiae.

Itaque, duo sunt in praesenti minime confundenda, imo adaequate condivisa. Hinc quidem *ideae* religiosae quae solae constituunt obiectum fidei, et in dies evolvuntur. Inde vero *facta* historica quae evolutioni idearum causam suppeditant, vel determinantem, vel certe occasionalem.

§ 2.

Et incipiendo a Christo a quo religio nostra nomen habet et originem, oportet distinguere veluti Christos duos. Unum historicum, qui solus est quoad nos in reali ordine factorum. Alterum non historicum, qui est Christus fidei, Christus idea, Christus spiritus, seu Christus mysticus.

Porro Christus historicus imprimis non est Christus a mortuis redivivus. Primo quia Christus resuscitatus iam non pertinebat ad ordinem praesentis vitae, qui est ordo sensibilis experientiae. Secundo quia si consideretur testimonium novi testamenti independenter a fide apostolorum, non praebet nisi limitatam probabilitatem, quae nemini non videbitur improportionata gravitati rei attestatae. Tertio quia necesse est ut omne naturale argumentum facti supernaturalis, incompletum ac deficiens semper inveniatur.

Rursus, a veritate historiae penitus excluditur Christus Iohannicus. Nam quartum evangelium nullo modo haberi potest tanquam historicum testimonium de vita et doctrina Salvatoris. Si Iesus egit et locutus est ut apud synopticos, non potuit agere et loqui ut apud Ioannem, et vice versa, si relatio Ioannis est historica, relatio synopticorum non est nisi relatio artificialis defigurans Christum. Sed Christus Iohannicus est Christus fidei, spiritualis et mysticus, qui omnes transcendit conditiones temporis et terrestris exsistentiae. Unde narrationes apud Ioannem non sunt historiae, sed mystica evangelii contemplatio ; sermones vero sunt meditationes theologicae de mysterio salutis.

Adhuc, ab eadem historiae veritate excluditur magna ex parte Christus synopticorum, quia synoptici, prae scopo quem habebant producendi fidem, de fidelitate historica non admodum curabant, et narrando evangelium, evangelium interpretabantur. Libri eorum sunt libri ad aedificationem scripti, et necessitatibus nascentium ecclesiarum passim adaptati. Quo fit ut critico onus incumbat selectionem facere in factis evangelicis et praedicatione Salvatoris, inter id quod primitivae memoriae est, et id quod pertinet ad solas appretiationes fidei, posterioremve mentis christianae evolutionem.

Hinc historicam veritatem in Evangelio non habet : nec primo attestatio Christi de sua divinitate ; nec secundo, affirmatio eius de sua missione ad redemptionem mundi per mortem crucis ; nec tertio fundatio Ecclesiae, praesertim ut a synagoga distinctae ; nec quarto institutio ullius sacramenti.

Non primo attestatio Christi de sua divinitate. Nam attestatio ista pertineret ad praedicationem Iesu, et deberet ut talis ab historico agnosci, si quartum evangelium esset directa doctrinae Iesu resonantia, aut si verba synopticorum, *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare,* forent aliquid aliud quam foetus posterioris traditionis. Sed quartum evangelium est liber theologiae mysticae in quo non auditur nisi vox conscientiae christianae. Locus vero Matthaei (XI, 25-27), et Lucae (X, 21-22), quaedam est imitatio orationis Iesu filii Sirach (Eccli. LI), et videtur esse opus cuiusdam prophetae christiani. Cum enim vix credi possit quod Christus voluerit imitari Ecclesiasticum, satis probabile est quod praecitata verba nunquam dicta sunt a Christo, sed fuerunt fructus evolutionis christologicae in primo Ecclesiae aevo.

Neque secundo, attestatio Christi de sua missione ad redemptionem mundi per mortem crucis. Nam fides mortis expiatoriae non exstitit ab origine, sed a Paulo fuit invecta. Et locus Marci (X, 45), ubi legitur quod Filius hominis venit ut daret animam suam redemptionem pro multis, confictus fuit sub influxu theologiae Paulinae, non secus ac narrationes ultimae coenae.

Neque tertio, fundatio Ecclesiae, praesertim ut a Synagoga distinctae. Nam institutio Ecclesiae non est factum quod possit historice demonstrari, et traditio apostolica rite intellecta supponit Ecclesiam *super Iesum,* potius quam *a Iesu* fundatam ; aut certe, si a Iesu, non a Iesu praedicante evangelium regni, sed a Iesu resuscitato a mortuis, adeoque extra omnes historiae et demonstrationis conditiones iam posito. Proinde omnia de Ecclesiae institutione testimonia non sunt nisi testimonia fidei quae fidei praesentant Christum mysticum, et voluntatem eius supra Ecclesiam.

Neque quarto, institutio ullius sacramenti. Nam Iesus, durante suo ministerio, nullam praescripsit formam ritualem cultus exterioris, characteristicam religionis; siquidem in evangelio ab eo praedicato christianismus nondum erat reli-

gio distincta et per se existens, sed simplex quaedam renovatio religiosa in sinu Iudaismi.

Itaque historica evangelii veritas nihil aliud habet a primo ad ultimum, nisi quod Christus per orationem, confidentiam, et amorem, ad maximam unionem cum Deo, et consequenter, ad conscientiam vocationis messianicae sese paulatim elevavit ; quod incepit praedicare regnum coelorum mox cum fine mundi venturum ; quod sese in hoc regno asseruit vicarium Dei ac ministrum ; quod denique ad supremum eventum imminentis iam consummationis saeculi accommodavit praedicationem suam, quae tota fuit de contemptu mundi et abdicatione rerum temporalium.

Talis est igitur Christus historiae, post quem incepit evolutio dogmatis christiani, et prae primis evolutio dogmatis christologici : de Christo mystico, de Christo spiritu, de Christo immortali, de Christo Deo, qui ad ordinem factorum amplius non pertinet, sed in sola fide habet subsistentiam, quia a sola fide habet et originem.

§ 3.

I. — Porro dogma christologicum in conscientia christiana paulatim crevit et adolevit, quasi quodam continuo conatu fidei versus suum transcendens obiectum, et nondum pervenit ad ultimum terminum, quamvis eamdem semper sequatur viam, in altiori semper loco proponens Iesum, et de eius missione ideam exhibens semper magis comprehensivam, secundum quod illuminatae fidei largior in dies de mundo et humanitate conceptio aperitur.

Et primus evolutionis gradus fuit post mortem ignominiosam Iesu, cum incepit fides in Iesum viventem, assidentemque dexterae Dei usque ad tempus parousiae, seu ultimi adventus regni coelorum. Secundus gradus fuit in accessu gentilium ad christianismum, qui dedit occasionem theoriae Pau'inae de Iesu omnium hominum salvatore, et novo Adam

qui sanguine suo universum genus humanum expiavit , duosque populos de circumcisione et praeputio reconciliavit Deo in uno corpore per crucem. Tertius gradus fuit post contactum fidei christianae cum philosophia hellenica, quando in eo loco, inter Deum et mundum intermedio quem Philo assignaverat Λογω, repositus est a Paulo Christus immortalis et mysticus, ut esset iam imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, per quem omnia in mundo physico creata sunt, omnia in mundo morali pacificata, tam quae in coelis quam quae in terris sunt. Quartus gradus fuit in apparitione quarti evangelii, quando Iesus filius Dei et hominis, praedestinatus salvator, transformatus est in Verbum carnem factum, quod sese hominibus manifestavit tanquam aeterni luminis aeternaeque vitae fontem. Quintus postmodum gradus fuit, quando fides debuit invenire medium conciliandi inter se realitatem historiae evangelicae, theoriam Pauli, et theoriam Ioannis, ut exinde prodiret systema coordinatum.

In hoc autem systemate construendo, sensus christianus post multas haesitationes affirmavit primo, Verbum et Spiritum esse personalitates a Patre creatore distinctas. Athanasius deinde cum concilio Nicaeno adseruit Verbum Dei, etsi personaliter a Patre distinctum, esse nihilominus Deum eidem Patri consubstantialem. Exhinc damnata est opinio Apollinaris dicentis Verbum fuisse in humanitate Iesu loco animae intellectivae. Tum opinio Nestorii qui ponebat personam Iesu distinctam a persona Verbi. Tum opinio Eutychetis qui naturam humanam naturae divinae volebat incorporatam. Ultimo additum est in Concilio quinto quod humanitas Iesu unita est Verbo substantialiter, et in Concilio sexto, quod unitas personae non trahit secum unitatem voluntatis. Et sic absolutum fuit dogma christologicum pro quando id possibile erat secundum notiones traditionales et principia antiquae philosophiae.

At nunc problema de integro resurgit, et mysterium unionis hypostaticae indiget nova determinatione, quia formula traditionalis non amplius respondet statui scientiae modernae.

Nam iuxta theologiam notio personae est notio metaphysica, sed in moderna philosophia facta est notio psychologica ad conscientiae ordinem pertinens. Nisi ergo velimus dicere Ecclesiam amisisse dona fidei et intellectus quibus construxit fidem temporis anteacti, credere licet quod iisdem mediis fidem futuri temporis poterit aedificare, explicando suum fundamentale principium de duplici revelatione Dei in mundo, seu notionem religiosam de Deo vivente et Christo Deo.

II. — Eodem modo quo dogma christologicum, evolutum quoque est dogma theologicum, usquedum desineret in fidem Dei triplicis sine Dei multiplicatione. Et licet hoc dogma contradictoriis notionibus constare videatur, non ideo existimandum est fuisse minus accommodatum sensui religioso a quo habuit originem. Defectus enim logicae et rationalis consistentiae qui est principium ruinae in systematibus philosophicis, est in theologia principium potius soliditatis et durationis, eo quod orthodoxia, quando non percipit amplius connexionem et concordantiam assertionum suarum proclamat mysterium. Et sic de facto accidit quoad incarnationem, cum definita fuit dualitas naturarum in unitate suppositi ; sic etiam quoad trinitatem, cum definitive praevaluit consubstantialitas trium personarum.

III. — Idem evolutionis modus cernitur in dogmate gratiae et in dogmate Ecclesiae. Sed haec duo dogmata progerminaverunt in Occidente conformiter ad proprium ingenium Latinorum ; dum e contra, dogma theologicum terram culturae mollem ac facilem habuerat in Oriente, ubi mens graeca ad speculationes methaphysicas magis propendebat.

In altero autem horum dogmatum specialiter observabis quod determinationes principii auctoritatis in Ecclesia, non nituntur interpretationi litterali et logicae textuum, (Matth. XVI-18, XVIII-18, Ioan. XXI-15, etc.), quia non super textus sed super fidem viventem fundata est Ecclesia, et per hanc fidem, non per textus subsistit, nisi in quantum textibus fides utitur, eos interpretando, et in eis considerando expres-

sam voluntatem Christi sui, qui non est Christus historicus, sed Christus idea, sive Christus mysticus.

Certum enim est quod Iesus, cui persuasum erat imminere iam consummationem saeculi, nihil prorsus cogitaverat de ecclesiastico gubernio super terram instituendo. Sed post eum, pro nata exigentia supremae illius legis quae est socialis conservatio, sensim sine sensu introducta fuit organizatio hierarchica sub primatu Romani episcopi, et accommodata sunt ad conditiones mundi perdurantis, ea quae a Iesu dicta non fuerant nisi pro mundo mox desituro.

Proinde praesens regimen Ecclesiae Romanae, regimini militari simillimum, sub influxu contingentium duntaxat circumstantiarum suam accepit determinationem. Et cum aliunde gravissimis incommodis facilem ansam praebeat, (cuiusmodi sunt oppressio individuorum, et obstructio impediens motum scientificum, omnesque generatim formas liberi examinis), iure meritoque quaeri potest utrum eadem Ecclesia, quae usque ad extremos limites principium auctoritatis exaggeravit, non in ea necessitate mox ponenda sit, attenuandi formas quasi despoticas sui gubernii; idque instar humanorum guberniorum quae eas in dies coguntur abolere. Imo coniectura est, eaque valde optabilis, quod in futura democratia quae iam praeparatur, episcopi non ita magni erunt apud homines, sed nihil interim amittendo de iuribus sui ministerii (quae tunc tandem reassument primitivam et essentialem officiorum rationem), habebunt modum agendi cum fidelibus magis conformem fundamentali aequalitati et personali dignitati omnium christianorum.

IV. — Systema quoque sacramentale, totum quantum est, generalem evolutionis conditionem servat, et luculenter ostendit perseverantem christianismi conatum ad hoc ut suo spiritu pervaderet ac veluti imbueret totam hominis vitam, a nativitate usque ad mortem.

Et Ecclesia quidem primitiva nondum habebat nisi sacramenta duo, baptismum scilicet et eucharistiam, quae quo sensu dici possint a Christo instituta, necesse est considerare.

Certe institutio baptismi referenda est ad Christum fidei, non historiae. Nam de baptismo quaedam habentur in quarto evangelio, velut est illud Ioan III-5 : *Nisi quis renatus fuerit etc.*, cum iis locis ubi legitur quod Iesus baptizabat, Ioan III-22, IV-1. Sed saepe iam dictum est quod in quarto evangelio non auditur nisi vox conscientiae et fidei christianae. De aliis vero quae habentur apud Synopticos, velut est illud Matth. XXVIII-19 : *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, observandum quod feruntur dicta a Christo resuscitato, qui extra omnem ordinem concretae realitatis quoad nos est. Insuper, tam categorica ac distincta trium personarum enumeratio, quae vix esset possibilis in quarto evangelio, non potest inveniri in primo, nisi ut glossa inserta sub influxu usus christiani. Unde historicus iure meritoque asserit quod primum sacramentorum christianorum natum est cum christiana communitate per imitationem consuetudinum iudaicarum. Item, quod ipsa communitas est, quae determinavit conditiones in quibus debet baptismus administrari, communitas etiam quae baptismum fecit necessarium, eique annexuit omnes obligationes professionis christianae. Adhuc tamen e conspectu fidei baptismus dici potest a Christo institutus, quia quod ordinavit communitas id volitum est a Spiritu qui gubernat communitatem, et per consequens a Christo immortali qui dat Spiritum.

Idem a fortiori applicatur confirmationi, quae in christianismo primitivo nondum formaliter distinguebatur a baptismo. Quanquam liberum sit theologiae admittere distinctionem virtualem quae in actum reducta est secundum indigentiam communitatis, auctoritate Ecclesiae in qua vivit Christus.

De alio vero sacramento quod habebat Ecclesia primitiva id est de eucharistia, sentiendum est sicut de baptismo. Etenim in Paulina narratione ultimae coenae (I. Cor. XI), quae omnium est completissima, difficile est distinguere id quod forte est ex primitiva traditione, ab eo quod pertinet ad commentarium theologico-moralem apostoli. Nam Paulus

est theologus mortis redemptoriae, et manifestum est quod interpretatur secundum suam propriam theoriam de expiatione universali, coenam mortis commemorativam. Praeterea, videtur sat clarum quod verba illa : *Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro multis effundetur*, a redactore secundi evangelii superaddita sunt simpliciori narrationi quae prius sic habebat : *Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.* Et haec narratio concordat cum narratione Lucae, absque additionibus quae ex prima ad Corinthios fuerunt postmodum importatae. In qua quidem breviori narratione insinuatur idea mortis proximae, sed non idea expiationis, et nihil est quod innuat renovationem coenae extra convivium messianicum in adventu regni coelestis. Proinde origo eucharistiae praesentatur historico in iisdem conditionibus ac origo baptismi, salva tantum duplici differentia. Prima est quod connectitur cum memoria circumstantiae determinatae ac praecisae ultimi convivii Iesu cum discipulis suis. Altera est quod melius perspiciuntur adiuncta in quibus memoria coenae ultimae sese quodammodo incarnavit in coena communitatis apostolicae, hoc est eucharistiae sacramento.

Caeterum fides praesentiae realis evoluta est simul cum fide in Christum resuscitatum, in Christum immortalem, in Christum-Spiritum, et radicem suam magna ex parte habuit in visionibus illis in quibus apparebat Iesus redivivus frangens et dans panem amicis suis.

Nunc vero, verbum Christi iohannici de remissione peccatorum (Ioann. XX-23), non respicit directe sacramentum poenitentiae. Theoria quae ponit in tribus actibus poenitentis materiam, et in absolutione formam sacramenti, non habet originem apostolicam. Confessio peccatorum post baptismum commissorum non fuit formaliter a Christo prae-

scripta. Prima aetas christiana non agnovit ut sacramentum confessionem privatam soli sacerdoti factam. Absolutio ecclesiastica non fuit primitus habita ut sententia iudiciaria.

Re enim vera, ecclesia prioris aevi non habuit ideam christiani peccatoris et reconciliati, sed paulatim tantum haec notio fuit introducta, simulque cum illa notio secundae post naufragium tabulae. Verumtamen, etsi textus evangelici de potestate clavium principaliter baptismum respiciant, adhuc supponunt in Ecclesia conscientiam potestatis illimitatae ad remittendum, quae cum processu temporis originem dedit duplicationi baptismi in poenitentiae sacramento. Et haec origo legitima est e conspectu fidei, quia quemdam praesentat aspectum Christi qui vivit, et Spiritus qui agit in Ecclesia ab initio. Quare in hoc sensu historicus admittere potest, nihil esse in praesenti disciplina poenitentiae quod sit peregrinum ab institutione Christi.

Item, cum Iesus videatur praescripsisse, aut certe permisisse ut infirmis fierent unctiones olei coniunctae cum quibusdam precibus pro eorum sublevatione vel sanatione, iste usus post Iesum perseverans, tandem desiit in extremae unctionis sacramentum.

Nec dissimilis origo sacramenti Ordinis, quia secundum quod coena paulatim assumebat characterem actus liturgici, illi qui ei praesidere solebant, characterem acquisiverunt sacerdotum. Praeterea, seniores (unde nomen *presbyteri*), qui in coetibus christianis fungebantur munere invigilandi (unde nomen *episcopi*), ab apostolis instituti sunt ut satisfieret necessitati organizationis in christianis communitatibus, minime vero ad perpetuitatem missionis et potestatis apostolicae. Eorum ministerium coexsistebat ministerio apostolatus, et loco eius fuit postea, prout necessitas ferebat, de facto subrogatum. Distinctio autem inter episcopum et presbyterum advenit tardius. Et haec omnia sunt opus Spiritus in Ecclesia ; institutio vero Christi, pro eo qui credit in Christum.

A primo igitur ad ultimum, nihil evidentius est quam quod generalis idea institutionis sacramentalis, prout in de-

cretis Tridentinis enuntiatur, non est historica repraesentatio eius quod fecit Iesus et sensit ecclesia apostolica, sed mera interpretatio facti traditionalis quae pro sola fide auctoritatem habet et valorem.

Hinc etiam constat quod epocha in qua Ecclesia determinavit septenarium numerum sacramentorum, (saeculo circiter XII), uit tantum particularis quaedam phasis evolutionis sacramentariae et quod evolutio ista minime pervenit ad suum ultimum terminum, quia finem accipere non poterit nisi cum Ecclesia ipsa.

Porro, symbola sacramentalia eatenus in posterum haberi poterunt ut non indigna maiestate Dei, quatenus bene intelligetur, non interponi illa inter Deum et hominem ut sanctificationis instrumenta, sed solum ut revocantia in mentem hominis praesentiam perpetuo beneficam Creatoris sui.

§ 4.

I. — Concludes ergo quod fides non habet in terris mansionem permanentem, quanquam semper indigeat transitoriis tabernaculis. Concludes praesertim quod frustra conarentur retinere eam in formis iam antiquatis, quae alii mentalitati accommodatae, nihil plus nunc esse possunt quam veneranda monumenta temporis acti.

Nunc enim novus status culturae spiritus humani undique appellat evolutionem novam. In qua quidem evolutione nova, Ecclesia nihil aliud agendum habebit quam quod egit ab initio. Nam semper sese mira flexibilitate adaptavit progressui, abiiciendo veterem sensum dogmatum, et substituendo novum qui novis temporibus congruebat.

Nec valet si dicas quod Ecclesia catholica videtur non agnoscere exsistentiam huius suae mutationis in saeculis praeteritis, imo vero sub anathemate in Concilio Vaticano condemnavit opiniones quae adstruunt eam. Hoc enim ideo est,

quia nondum pervenit ad conscientiam suae evolutionis, et nondum habet theoriam fixam circa philosophiam suae propriae historiae. Quapropter nihil aliud sequitur nisi quod unum adhuc restat in Ecclesia evolvendum, et hoc est ipsa idea seu notio evolutionis.

II. — Concludes praeterea, quod res omnino disparatae sunt, fides et historia. Nam historia est de factis, fides vero nonnisi de ideis quae occasione factorum evolvuntur, et motu continuo progrediuntur versus summum ideale. Disparatae quoque partes theologiae, et partes criticae. Ad theologum enim pertinet definire formam veritatis christianae quae nunc est ; ad criticum vero, investigare formam aliam quae in origine erat. Nam sine paradoxo dici potest quod ne unum quidem Scripturae capitulum est, ab initio Geneseos usque ad finem Apocalypsis, in quo doctrina contineatur omnino identica praesenti doctrinae Ecclesiae circa idem obiectum. Et ideo etiam, ne unum quidem capitulum est quod eumdem sensum habeat pro critico et pro theologo.

Unde sequitur, impossibile esse ut criticus unquam contradicat theologo, et vice versa, modo uterque intra propriam sphaeram sese contineat ; impossibile quoque, et eadem de causa, ut critica sit aliquando in oppositione cum fide. Et ratio est, quia nulla est possibilis oppositio, ubi nullum est possibile punctum iunctionis, prout revera contingit in praesenti, suppositis supponendis. Si enim fides non est de factis, sed solum de conceptionibus, et quidem secundum coaevam evolutionis formam, quae penitus diversa est a forma quam habebant conceptiones temporum praecedentium ; si insuper critica non iudicat nisi de factis vel de formis quas habebat fides in saeculis anteactis : clarum est quod fidelis nunquam in eodem campo concurrit cum critico. Criticus poterit in eodem homine coexistere simul cum fideli, et quidquid opinetur ille, semper remanebit iste in pacifica possessione fidei suae.

Et tanto quidem facilius id accidet, quod fidelis pro sua parte, nunquam adhaeret ex corde alicui formulae determi-

natae, sed semper intentione sua adhaeret veritati absolutae et ignotae quam *figurat* formula imperfecta et relativa ab Ecclesia proposita. Adhaerere enim formulae ut tali, assensu fidei divinae, idem esset ac adhaerere inevitabilibus imperfectionibus eius ; idem ac proclamare formulam imperfectibilem et adaequatam, licet absolute vera nec sit nec esse possit. Catholicus ergo credere potest auctoritati Ecclesiae et iis quae Ecclesia docet, sed non ideo existimat quod formularium ecclesiasticum significet suum obiectum cum tanta perfectione, ut nihil in eo sit unquam corrigendum per viam interpretationis.

§ 5.

Hucusque igitur existimaveras, o bone, quod totum obiectum fidei nostrae aliquid est solide consistens in ordine realitatis obiectivae, notificatum nobis, sive attestatum a Deo revelante. Sed in hoc fallebaris, et tempus est ut scias, obiectum hoc non aliud esse quam certum complexum idearum quas humana mens procreavit, et usque nunc elaborat. Idea, Christus Deus. Idea, Christus a mortuis redivivus. Idea, mysterium Trinitatis. Idea, praesentia realis sub speciebus sacramenti. Idea, beatitudo aeterna cum omnibus promissionibus vitae futurae, ut non iam in firma terra viventium, sed in conceptionibus indefinitae evolutioni obnoxiis figenda sit anchora illa spei tuae, quam prius nimia simplicitate deceptus putabas incedere *usque in interiora velaminis ubi praecursor pro nobis introivit Iesus*, id est realis et historicus Christus.

Hucusque exixtimaveras quod in praedicto fidei nostrae obiecto multa continentur facta qua talia. Facta, inquam, simpliciter quidem historica secundum quod humano historiae testimonio attestata, sed ad fidem divinam omnino pertinentia secundum quod simul investita altiori et firmiori testimonio Dei. Et rursus fallebaris, quia facta ut facta, de

fidei obiecto nec sunt, nec unquam esse possunt. Quod si passio, crucifixio, et mors Iesu, ex. gr., inter caeteros fidei articulos recensentur in symbolo, eatenus tantum fidei ordinem ingrediuntur, quatenus sunt per sensum religiosum affirmata, et in constructione idealis systematis introducta. Verumtamen horum factorum obiectiva materialitas solius historicae cognitionis obiectum est ; sub solius historiae iudicio exclusive reponitur.

Hucusque existimaveras, Evangelium esse librum absolutae inerrantiae, ubi sincera est figura Iesu Christi Domini nostri, cuius benignitas et humanitas omnibus apparuit erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo. Sed haec rursus veteris et antiquati styli sunt. Ioannes cum suis mysticis fictionibus realem Christum penitus defigurat. Synoptici vero, tot suppositia habent admixta, ut difficillimum criticae sit, genuinas relationes a non genuinis distinguere. Quin imo, in ipsis indubiis et maxime authenticis verbis Salvatoris, non erit quod quaeras in posterum certam regulam veritatis et sanctitatis. Putabas forte bonam esse orationem quam Dominus Iesus te in evangelio docuit. At nunc oportet ut scias quod Oratio dominica in quibusdam suis partibus non minus ansam criticae praebet quam oratio ad S. Antonium de Padua pro recuperando obiecto deperdito, et quod in rigore suae historicae ac primitivae significationis acccepta, subversiva est oeconomiae socialis.

Hucusque existimaveras quod religio nostra, quod Ecclesiae constitutio, quod sacrificium et sacramenta christiana sunt de iure divino, id est de institutione Dei. Sed rursus necesse est ut huic quoque piae credulitati renunties, aut certe mutes omnino notionem iuris divini quam tibi prius efformaveras. Re enim vera, omnia ista sunt a communitate inventa, a communitate volita, a communitate praescripta, a communitate imposita. Cum tamen nihil certe prohibeat quominus communitatem consideres, ut in qua agit et vivit spiritus Christi mystici, si in hoc sensu institutionem hu-

mana maiorem invenire lubet, liberum tibi sit et consolare te in verbis istis.

Hucusque credideras sinceritati catholicorum. Putabas catholicum non aliud corde sentire quam quod ore profitetur, iuxta illud apostoli: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et errabas! Quia dum catholicam fidem sponte profiteris, dum illam veraciter tenere dicis, dum spondes, voves ac iuras eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum retinere et confiteri, in re ipsa non adhaeres formulae quam ore pronuntias. Nam audi iterum: « Fidelis intentione sua adhaeret veritati ple-« nae et absolutae, quam *figurat* formula ecclesiastica. Ad-« haerere autem formulae ut tali, assensu fidei divinae, idem « esset ac adhaerere inevitabilibus imperfectionibus eius, « idem ac proclamare eam imperfectibilem et adaequatam, « licet inadaequata sit et imperfecta ». Quid ergo? mendax es? periurus es? hypocrita es? Et quidem, quod ad praeteritum attinet, pro excusatione sine dubio habebis quod nondum perveneras ad conscientiam huius hypocrisis tuae. Sed de futuro sollicitum nunc te ostendis. Nihil est tamen quod timeas. Non enim frustra iam edocti fuimus, ubi de formis litterariis Scripturae Sacrae, quod in Oriente mendacium non est mendacium. Extende ergo paulisper doctrinam ab Oriente in Occidentem, saltem quoad specialem materiam fidei, et ab omni scrupulo securus eris.

Hucusque habuisses pro piaculo, consentire doctrinis haereticorum, seu eorum qui in veteri stylo tales dicebantur. Sed nunc vide quo absurdo praeiudicio tenebaris. Nonne eodem jure eodemque titulo quo formula Ecclesiae Romanae Catholicae, formula quoque Lutherana, aut Sociniana, aut Ariana, aut Mahumetana, figurare poterit absolutam illam et ignotam veritatem cui soli per intentionem semper adhaeres? Ergo parvi admodum refert, cui confessioni nomen dederis. Catholicus es? Protestans fias, si lubet. Quin imo nihil obstabit quominus catholicus sis simul et protestans, quia professioni catholicae in nullo praeiudicabit simultanea professio Luthe-

ranismi, Anglicanismi, Calvinismi, atque ita porro. Et quis demum esse potest, qui intentione sua non adhaerebit soli ignotae veritati quae in futuro est forte revelanda? Ergo communione fidei iam consociamur cum omnibus quae in mundo sunt confessionibus, iamque illucescit aurora illius aevi in quo una erit religio totius humanitatis, abolitis in perpetuum omnibus divisionibus quas invexerat antiqua superstitio.

INDEX

PAG.

Prooemium 5

CAPUT PRIMUM. — **De catholico conceptu sacrae traditionis** . 11

1. Quod traditionis organum authenticum fuit a I. C. in sua Ecclesia institutum, hierarchia nempe apostolica cum qua affuturum se promisit usque in finem saeculorum. Et quod traditio ipsa est praedicatio ab aevo in aevum continuata per apostolorum successores sub charismate assistentiae Spiritus Sancti, revelationis ab eodem I. C. eiusque apostolis oretenus primitus acceptae 13

2. Quod traditio in vero et catholico sensu accepta, regula fidei est. Et quod conceptus traditionis sub ratione nudi facti humani, seu praedicationis a Christo et apostolis cum sola auctoritate historica decurrentis, conceptus est falsus, protestanticus, haereticalem notam prae se ferens 22

3. Quod traditio regula fidei est, ordine tum temporis tum cognitionis, tum comprehensionis, Scriptura prior, et ab ea in hoc vel maxime differens, quod non remota tantum regula exsistat, sed proxima etiam atque immediata pro duplici sub qua accipi potest consideratione . . . 28

4. Quod ex hactenus dictis consequitur, traditionem habere quidem pro decursu temporis evolutionem quamdam, sed coniunctam cum omnimoda immutabilitate et consensione in eodem semper dogmate, eademque sententia: ita scilicet, ut ad traditionalis sensus inquisitionem quod spectat, speciales regulae, eaeque longe diversae ab iis quae scientiam historicam regunt, iure meritoque fuerint a Patribus praestitutae 34

Caput secundum. — **De causa apparentium oppositionum in testimoniis traditionis.**

Quod doctrina traditionis, etsi sit semper eadem, non ideo est semper eodem modo enucleata, limata, et expolita, sed accipit processu temporis, occasione praesertim insurgentium haeresum, plus evidentiae, plus luminis, plus praecisionis. Et quod generatim loquendo, tres sunt quoad singula dogmata status distinguendi: status simplicis fidei, status explicationis perfectae, et status intermedius, quando incipiebat transitus a simplici fide ad speculationem theologicam, et pro multiplici initiorum difficultate, adhuc erant expositiones minus exactae, et modi loquendi quandoque ambigui. Qui tamen reductionem ad sensum orthodoxum non compatiuntur modo, verum etiam requirunt, si ratio habeatur propriorum principiorum quibus regi debet exegesis patristica 46

Caput tertium. — **De vitio methodi historicae in crisi monumentorum traditionis** 79

1. Quod methodus historica, per oppositionem ad methodum immanentiae, sola est methodus legitima in fidei praeambulis, quando probandum venit revelationis factum, videlicet: an sit christiana praedicatio a Deo revelante, atque ut talis credibilis et credenda 80

2. Quod methodus historica, per oppositionem ad methodum theologicam, est non modo prorsus insufficiens et improportionata, verum etiam in positivos omnis generis errores inductiva, quando post fidei praeambula de revelatione christiana, iam non quaeritur an sit, sed quaeritur quis sensus sit, quaeve interpretatio eorum quae in eius fontibus continentur. Et quod eadem methodus, si eousque perducatur ut sub dolosa specie abstractionis a superioribus regulis, eadem utatur independentia in solitis suis hypothesibus seu coniecturis construendis, ac si superiores illae regulae non exsisterent, habet in sua basi haeresim eo perniciosiorem, quo magis artificiose dissimulatam, eoque graviorem, quo ad omnem negationem revelatorum dogmatum liberiorem pandit viam . . . 89

Caput quartum. — **De errore veritatis relativae in dogmatibus traditionis** 98

1. Quod conceptus veritatis relativae est in se absurdus, et quod praeter definitionem ab antiqua philosophia consecratam (adaequatio intellectus et rei), nulla alia admissibilis est notio veritatis 101

2. Quod dogmata nostrae religionis vere et proprie e coelo sunt, ac per hoc, speciali titulo rationi veritatis relativae adhuc repugnarent, etiamsi illa aliunde contradictoriis et pugnantibus inter se notis non constaret. Et quod idem absurdum commentum, dum evolutioni sacrae traditionis applicatur, destruit formale fidei motivum destruit, obiectum eius materiale, destruit modum summae certitudinis quem fides habere debet in credente 109

3. Quod pro defensione sui erroris frustra appellant ad notiones vel doctrinas quas e scholis profanis in doctrinam sacram importatas dicunt, vel ad praeteritas quas fingunt, adaptationes theologiae ad philosophiam, praesertim aristotelicam 116

Caput quintum. — **De consummatione ruinae per dogmatismum moralem** 128

1. Quod frustra dogmatismus moralis medium restaurationis quaerit ex parte voluntatis, cui inepte primatum attribuit in negotio acquirendae et cognoscendae veritatis religiosae. Et quod immerito prorsus appellat ad catholicam de fidei assensu doctrinam, ut quamdam sibi conciliet speciem et apparentiam orthodoxiae 130

2. Quod dogmatismus moralis non solum non instaurat collapsum veritatis aedificium, erigendo in principium ac fundamentum voluntatem boni, sed magis ruinam super ruinam accumulat, videlicet ruinam ordinis moralis super ruinam cognitionis intellectualis, faciendo notionem moralitatis independentem a notione Dei et legis eius, et construendo regulam honesti super solas immanentes animae vires sive aspirationes 136

3. Quod dogmatismus moralis consummat irreparabilem veritatis fidei destructionem, proclamando valorem pure practicum dogmatum religionis, id est, asserendo nullum in eis esse posse valorem obiectivum, utpote nobis pe-

nitus incognoscibilem, sed esse tantummodo normas vel incitamenta actionis, quatenus sic nos in agendo habere debeamus, ac si vera ea essent, quae per fidem nostro praesentantur intellectui 144

Caput sextum. — **De cumulo omnium errorum in systemate fidei viventis.**

Quod systema fidei viventis colligit in se omnes rationalismi errores hactenus exortos, et continet radicalem negationem omnium dogmatum fidei christianae, ne uno quidem excepto 152

Index 169

IMPRIMI POTEST

Romae, die 20 Martii 1929

P. Petrus Boetto

Praepositus Provinciae Romanae

Nihil obstat quominus imprimatur.

Patavii - die 21 Martii 1929

Can.cus Doct. Caietanus Roncato

Cens. Eccl.

IMPRIMATUR

Patavii - die 24 Martii 1929

Can.cus Doct. Primus Carmignoto

Vic. Gen.

PATAVII — TYPIS SEMINARII

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

DE

PERSONALI ET ORIGINALI PECCATO

COMMENTARIUS IN PRIMAM SECUNDAE (Qq. 71-89)

AUCTORE

LUDOVICO BILLOT S. I.

EDITIO SEXTA

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PIAZZA DELLA PILOTTA

MCMXXXI

PATAVII — TYPIS SEMINARII

PROOEMIUM

De peccato nunc loquimur, prout peccatum convertitur cum culpa, id est, cum actu moraliter malo. Sciendum enim est quod apud antiquos philosophos hoc nomen *peccatum* largiorem habet acceptionem, ut bene declarat S. Thomas, *de Malo,* Quaestione 2, a. 2, ostendens quomodo haec tria, videlicet MALUM, PECCATUM, et CULPA, ad invicem se habeant iuxta primam nominum impositionem.

Malum, inquit, communius est. Ubicumqūe enim est privatio formae, aut ordinis, aut mensurae debitae, sive in subiecto, sive in actu seu operatione ipsius, ibi habetur ratio mali. Quippe, malum est omnis negatio perfectionis quae in aliquo esse debet. Sed **peccatum** iuxta Philosophum in secundo Ethicorum, non dicitur nisi de his quae nata sunt finem consequi, cum finem non consequuntur. Et quia quaelibet res nata est consequi finem suum per suam operationem, peccatum non est nisi malum operationis quae non recte dirigitur ut finis exigit, puta cum grammaticus non recte scribit, nec

recte medicus parat potionem. Quare, generatim loquendo, peccatum est actus qui debito ordine caret, in quantum scilicet deviat a fine vel termino quem respicit operationis principium, et hac ratione omnis operatio defectuosa vocatur peccatum, vel naturae, vel artis, vel moris[1]. Peccatum quidem *naturae,* si principium operationis sit potentia per se ad unum determinata, quae tamen propter defectum organi aut aliquod aliud superveniens impedimentum deficit a suo fine recte attingendo, sicut accidit in generatione monstri. Peccatum *artis,* si principium operationis sit ratio practica deficiens a particulari fine quem artificis voluntas consequendum praestituerat. Denique peccatum *moris,* si carentia rectitudinis afficiat operationem formaliter ut est a voluntate domina sui actus. Voluntas autem de sui ratione est appetitus intellectualis respiciens bonum non particulare, sed universale atque absolutum, et ideo inordinatio operationis voluntariae in quantum huiusmodi, nihil aliud esse potest quam deviatio ab ordine veri summi boni, sive veri ultimi finis totius humanae vitae qui Deus est. Sic igitur patet quod in solo peccato moris invenitur ratio voluntarii, quia formaliter loquendo, nec in operatione naturae, nec in operatione artis, principium operandi est libera voluntas. Unde etiam, solum peccatum moris est vituperabile, et pro tanto speciale nomen **culpae** obtinuit. Quare, si primam nominum impositionem consideres, malum communius

(1) S. Thom., 1-2, Quaest. 21, a. 1 et 2, praesertim ad 2^{um}.

est quam peccatum, et rursus peccatum latius patet quam culpa. At vero in usu theologorum pro eodem sumuntur peccatum et culpa, quia theologi considerant peccatum in moralibus tantum, non autem in naturalibus vel artificialibus, ubi non consistit in deviatione a fine ultimo et supremo quem principaliter respicit theologia.

Nostra igitur consideratio versatur circa illud malum, cuius formalis ratio reponitur in defectu actus liberi recedentis a regula moralitatis, quae se tota dirigit in Deum sub ratione ultimi finis. « Peccatum, ut « pertinet ad praesentem considerationem, inquit S. « Thomas in II, D. 24, qu. 3, a. 2, non est aliud quam « inordinatus actus ad genus moris pertinens ». Et brevius, *de Malo,* Quaest. 7, a. 3, est « actus malus moraliter ». Sciendum tamen est quod cum dicitur peccatum in actu consistere: signatur id in quo primo et originaliter invenitur peccati ratio; nam peccatum proprie etiam est id quod consequitur ad actum peccaminosum, a quo scilicet homo denominatur habitu peccator seu existens in statu peccati, usquedum remissionem sit consecutus. Unde Magister Sententiarum l. 2, Dist. 42: « Praeterea quaeri solet, cum ab aliquo, peccato vo- « luntate perpetrato, voluntas id agendi et actio tran- « sierit, nondum tamen vera poenitentia habita, utrum « illud peccatum usquequo poeniteat, sit in eo. Quod « non esse videtur... Sed non est ignorandum, pecca- « tum duobus modis in aliquo dici et transire, scilicet « *actu* et *reatu.* Actu est in aliquo, dum ipsum quod

« peccatum est ut actio vel voluntas, in peccante est; « reatu vero, cum pro eo, sive transierit sive adsit, mens « hominis polluta est et corrupta, totusque homo sup- « pliciis obligatur aeternis ». Porro peccatum hoc modo acceptum dicitur a recentioribus *peccatum habituale*. Dicitur a Magistro ubi supra, *reatus culpae,* nam « rea- « tus in Scriptura, inquit, multipliciter accipitur, sci- « licet pro culpa (habituali), pro poena, pro obligatione « poenae temporalis vel aeternae ». Dicitur saepius a S. Thoma *macula peccati,* nam, inquit, « in peccato duo « possunt considerari, scilicet actus culpae, et macula « sequens » (1). Quae omnia nomina unam eamdemque rem signant sub formalitatibus diversis, ut suo loco videbitur.

Verum non est solum attendenda in peccato distinctio inter actum culpae et consequentem maculam sive reatum, sed est etiam consideranda divisio peccati in *personale* et *originale,* in *mortale* et *veniale*. De qua quidem divisione iam ab initio animadvertes, non esse divisionem generis in species quae aequaliter rationem generis participant, sed analogi in ea de quibus praedicatur secundum prius et posterius, fere eo modo quo ens dividitur in substantiam et accidens. « Duplex est « modus dividendi commune in ea quae sub ipso sunt, « sicut est duplex communitatis modus. Est enim quae- « dam divisio univoci in species, per differentias quibus « aequaliter natura generis in speciebus participatur,

(1) S. Thom., 1-2, Quaest. 87, a. 6.

« sicut animal dividitur in hominem et equum et huius-
« modi. Alia vero divisio est eius quod est commune
« per analogiam, quod quidem secundum perfectam ra-
« tionem praedicatur de uno dividentium, et de altero
« imperfecte et secundum quid, sicut ens dividitur in
« substantiam et accidens, et in ens in actu et in ens
« in potentia; et haec divisio est quasi media inter ae-
« quivocum et univocum, et talis divisio est peccati in
« mortale et veniale, etc. » (1). Ratio autem praedictorum est quia duo sunt de communissima notione peccati, ut ex sequentibus manifestius apparebit: *deordinatio* ab ultimo fine, unde habet peccatum rationem mali, et *voluntarietas,* unde habet rationem culpae. Manifestum est autem quod deordinatio minime univoca est in mortali peccato et in veniali; nam veniale non simpliciter a fine deordinat, sed solum aliquo modo retardat, ordine ad finem salvato. Similiter voluntarietas est omnino diversa in personali peccato et in originali, nam peccatum personale, etiam veniale, est voluntarium voluntate istius personae, originale autem voluntate capitis naturae tantum. Cum ergo diversificentur ipsae rationes quae sunt de conceptu peccati communissime accepti, impossibile est ut peccatum sit genus respectu mortalis et venialis, personalis et originalis. Sed unum est quod per prius peccatum dicitur, scilicet peccatum personale mortale, quia in eo solo plene et per-

(1) S. Thom., in II, D. 42, q. 1, a. 3.

fecte peccati ratio invenitur, in aliis vero non adest nisi deficienter, et ideo per posterius (1).

Quae igitur cum ita sint, non sic ordinanda est disputatio, ut primo dicatur de peccato in genere, deinde vero de mortali et veniali, vel de personali et originali, *quasi de totidem speciebus.* Sed primum omnium dicendum est de eo cui perfecte peccati ratio inest, tum de iis quibus convenit imperfecte et per posterius. Et S. Thomas quidem, quaestiones de originali peccato intermiscet quaestionibus de causis peccati communiter accepti, sumpta occasione ex hoc, *quod homo habet quemdam specialem modum causandi peccatum in alterum per originem* (2). Nunc vero, visum est magis expedire, si omnia prius ponerentur quae quocumque modo spectant peccata personalia, disputatio autem de originali, inverso paulisper ordine S. Thomae, ultimo loco adiungeretur.

(1) « Peccatum non dicitur univoce de omnibus generibus peccatorum, sed per prius *de peccato actuali mortali,* a quo peccatum veniale deficit ex hoc quod non omnino a fine deordinat, sed aliquo modo a fine retardat, ordine ad finem salvato; unde deficit ex parte illa ex qua peccatum formaliter rationem mali habet. Originale autem deficit ab eo ex parte ipsius substantiae actus; actuale enim mortale est voluntarium voluntate propria illius in quo est, sed originale est voluntarium voluntate alterius; unde deficit ex parte illa e qua peccatum habet rationem culpae. Et ideo non oportet quod definitio peccati in genere conveniat nisi illi peccato, in quo perfecte ratio generis invenitur; potest autem et definitio peccati in genere eis secundum quid convenire, sicut et ratio generis in eis per posterius invenitur ». S. Thom. in II, D. 33, q. 1, a. 2, ad 2^{um}.

(2) 1-2, Q. 81, in prooemio.

Hoc itaque pacto, materia tota in tres sequentes partes distributa relinquitur. Prima erit de peccato personali mortali (Qq. 71-80, et 84-87). Secunda, de veniali (Qq. 88-89). Tertia, de originali (Qq. 81-83). Ubique autem doctrinam Angelici, quantum Deus dederit, fideli commentario prosequemur.

PARS PRIMA

DE PECCATO PERSONALI MORTALI

Circa peccatum mortale primo dicendum *de actu* (Quaest. 71–80), deinde de his quae actum consequuntur, et maxime quidem *de duplici reatu*, culpae nimirum et poenae (Quaest. 85–87).

CAPUT PRIMUM

DE ACTU PECCATI

Circa actum peccati, *primo* agendum de ratione sive definitione eius in generali; *secundo* de distinctione peccatorum tam secundum speciem quam secundum gravitatem; *tertio* de subiecto et causis eorumdem.

QUAESTIO LXXI

DE RATIONE SEU DEFINITIONE PECCATI

Cum iuxta Philosophum parvus error in initio evadat maximus in fine, necesse profecto est ut solutio huius primae quaestionis, ex qua omnis fere dicendorum series et ordo

dependet, quam accuratissime tradatur. Et ideo, maioris claritatis gratia, visum est praemittere sub distinctis quibusdam capitulis expositionem principiorum quae totam materiam illustrant, et a S. Thoma tanquam alibi passim tradita nunc praesupponuntur. Ordimur autem a definitione nominali, per hoc nomen *peccatum* generatim intelligentes, ut supra dictum est, quemlibet *actum moraliter malum*, sive omnem actum inordinatum ad genus moris pertinentem. Prae primis igitur versari debet consideratio nostra circa propriam rationem moralis malitiae.

§ 1.

Quod in moralibus bonum et malum contrarie opponuntur.

Praeobservandum est quod « illa proprie dicuntur con« traria, quorum utrumque est aliquid secundum naturam « (videlicet aliquid positivum) ; sed alia, quorum unum est « secundum naturam, et aliud recessus a natura, non oppo« nuntur proprie ut contraria, sed ut privatio et habitus » (1). Insuper, nulli hominum dubium esse potest quin ipsa ratio mali universalissime accepta, in quadam privatione formaliter consistat. « Sicut album, ita et malum dupliciter « dicitur. Uno enim modo cum dicitur album, potest intelligi « id quod est albedini subiectum ; alio modo album di« citur id quod est album in quantum est album, scilicet « ipsum accidens. Et similiter malum uno modo potest in« telligi id quod est subiectum mali, et hoc aliquid est ; « alio modo potest intelligi ipsum malum, et hoc non est « aliquid, sed est ipsa privatio alicuius particularis boni » (2). Quae igitur cum ita sint, iure inquiritur quid sibi velit S. Thomas, cum in eadem quaestione de Malo, art. 1 ad

(1) S. Thom., *de Malo*, Quaest. 1, a. 1 ad 2^{um}.
(2) Ibid. in corp.

4^um^ ait, *in moralibus magis quam in naturalibus, malum contrarium bono dici,* et infra ad 12^um^, quod *in moralibus malum positive aliquid dicitur,* et infra q. 2, a. 5 ad 3^um^, quod *bonum et malum in moralibus opponuntur contrarie, et non secundum privationem et habitum.* Nam si de malo concrete accepto sermo sit, constat quod tam in naturalibus quam in moralibus bonum et malum opponuntur ut duo positiva, sicut vivens contrarie opponitur mortuo, et videns caeco. Si autem de malo in abstracto, sic non minus in moralibus quam in naturalibus bonum et malum privative opponi dicenda sunt, cum nusquam in re positiva ratio mali formaliter reponi queat. Ad huius igitur dubii solutionem quae fundamenti instar in praesenti disputatione esse debet, nonnulla sunt animadvertenda.

In primis sciendum est quod duplex privatio distinguitur. Alia enim est privatio pura, sicut tenebra quae nihil lucis relinquit, et mors quae non relinquit aliquid vitae. Alia est privatio non pura, de cuius ratione est ut non tollat totum bonum cui opponitur, sed aliquid eius relinquat, et hoc modo aegritudo non tollit totaliter humorum temperamentum seu aequilibrium ad sanitatem requisitum, nam si totum tolleretur, iam non esset amplius aegritudo, sed alia species privationis, id est, mors. Quia igitur in privationibus primi generis totum privatur, et id quod positive dicitur non est de ratione talis privationis, sed merum subiectum eius, constat quod in huiusmodi, inter bonum et malum non potest esse nisi privativa oppositio, sicut inter caecitatem et visum, mortem et vitam, atque ita porro. Sed quia in privationibus secundi generis, *id quod positive dicitur est de ratione eius quod dicitur privative* (1), sicut privatio valetudinis in febricitante de sui ratione importat positivum aestum sanguinis, et defectus claudi positivam curvitatem cruris : oportet profecto ut ibi intercedat oppositio etiam contrarietatis, non quod ipsa ratio *mali ut sic*

(1) S. Thom., *de Malo,* q. 2, a. 9, in corp.

aliquid positivum sit, sed quia est de ratione *talis mali* ut nequaquam purum exsistat, seu ut non privet totum particulare bonum cui opponitur.

His itaque praemissis, ulterius considerandum est quod in naturalibus privationes utriusque generis inveniri possunt et de facto inveniuntur, quemadmodum in praedictis exemplis videre est, ex quibus etiam constat, privationem mixtam esse viam ad privationem absolutam, sicut « aegritudo est « via in mortem, et ophtalmia est via in caecitatem » (1). Quare accidit malo physico in quantum physici ordinis est, ut contrarie bono opponatur ; quin imo, quoties pertingit ad ultimum sui, non opponitur nisi ut privativum positivo. At contra in moralibus aliter sentiendum est, quia moralia sunt actus agentis voluntarii qui suae actionis dominus est. Unde in tantum posset esse in huiusmodi privatio pura, id est tollens totum bonum moralitatis, in quantum creata libertas posset ferri in malum sub ratione mali, intendendo ipsam deformitatem seu inordinationem moralem qua talem. Sic enim haberetur actus in esse physico ut subiectum privationis, et privatio ipsa absolute removens bonum moris; adeoque peccatum formaliter qua peccatum non diceret privationem involutam in positivo, sed privationem et nihil aliud quam privationem, sicut mors vel caecitas. Atqui constat hoc esse impossibile, quia voluntatis dominium consentaneum sane est naturae omnis appetitus, in cuius obiecto adaequato non est malum sub ratione mali. Quapropter forma moralitatis nunquam potest totaliter corrumpi, quia intentio actus liberi nunquam terminari potest ad recessum a summo bono secundum se, sed semper fertur in aliquid in quo summi boni relucet participatio, quamvis praeter vel contra ordinem rectae tendentiae in ipsum. Unde Augustinus l. 2 Confess. c. 6, Deum alloquens dicit : « Perverse te imitantur omnes qui longe se a te faciunt, et « extollunt se adversum te. Sed etiam sic te imitando indi-

(1) S. Thom. ibid., q. 1, a. 1, ad 2^{um}.

« cant creatorem te esse omnis naturae, et ideo *non esse* « *quo a te omni modo recedatur* ». Et S. Thomas, in 1-2, Quest. 73, a. 2 : « Non enim remanere posset substantia actus « vel affectio agentis, nisi aliquid remaneret de ordine ra- « tionis ». Et iterum, *de Malo*, Quaest. 2, a. 9 : « Non potest, « actu remanente, totaliter rationis proportio tolli ; unde « dicit Philosophus quod si malum sit integrum, importabile « fit et seipsum destruit ». Semper igitur in actu moraliter malo habetur positio ordinis ad quemdam finem qui non omnino bonitate caret, sed ei admiscetur privatio finis debiti, ex quo ratio mali incidit. Hinc in malo morali praecise qua morale est, necesse est inveniri aliquid positivum quod de ratione privationis sit, quatenus non potest ibi concipi privatio non retinens aliquid de genere boni quod privatur, et pro tanto recte dicuntur bonum et malum in moralibus contrarie opponi.

Sic ergo patet responsio ad rationes dubitandi initio positas. Dicitur enim malum morale esse aliquid positivum, non quidem quantum ad id quod formaliter causat rationem mali, nam istud est privatio. Neque etiam quantum ad subiectum mere materialiter ad privationem se habens, quia hoc modo omne malum tam in moralibus quam in naturalibus aliquid ponit. Sed quantum ad id cui per se admiscetur privatio, videlicet quantum ad liberam electionem particularis boni quae privationem ordinis iustitiae sic coniunctam habet, ut de huius privationis ratione exsistat, omnia intelligendo iuxta superius praemissa. Unde S. Thomas, *de Malo*, Quaest. 2, a. 5, ad 3^{um} : « Malum (in moralibus) « ponit aliquid, in quantum consequitur quemdam ordinem « vel modum vel speciem », seu in quantum « ad positionem « alicuius modi vel speciei vel ordinis, sequitur privatio de- « biti modi aut speciei vel ordinis », ut idem S. Doctor dicit, art. praeced,. ad 8^{um}.

§ 2.

Quod ad rationem peccati duo concurrunt: substantia actus et defectus rectitudinis.

Haec est positio S. Thomae plurimis in locis (1), quae etiam nihil aliud est quam conclusio praecedentis, nec iam potest esse ambigua, si tamen fundamentale principium mox expositum recte teneatur.

Tota difficultas est in assignando, quid per *substantiam actus* in praesenti significetur. Suppono ut satis notum, quod substantia dupliciter dicitur : « Uno modo dicitur « substantia, secundum quod significat rationem primi « praedicamenti... Alio modo dicitur substantia, illud quod « significat *quid* in omnibus rebus, sicut dicimus quod defi- « nitio significat rei substantiam, et hoc modo quidquid « positive dicitur, in quocumque genere sit, substantia « est vel substantiam habet ; sic enim substantia pro essentia « sumitur » (2). Verum, quia de actibus humanis loquimur, substantia actus sumi potest, vel *in esse moris* vel *in esse naturae*. In esse quidem naturae, si consideretur ut egrediens a voluntate in quantum voluntas est potentia physica, determinata ad bonum sibi conveniens. In esse vero moris, si consideretur ut egrediens a voluntate in quantum voluntas est domina determinationis suae, et in latitudine sui obiecti quod est bonum, pro suo arbitrio ad utrumlibet oppositorum

(1) « Ad rationem peccati duo concurrunt, scilicet actus volun- « tarius, et inordinatio eius. Horum autem duorum unum per se com- « paratur ad peccantem, qui intendit talem actum voluntarium « exercere in tali materia; aliud autem, scilicet inordinatio actus, « per accidens se habet ad intentionem peccantis, etc. ». Ita S. Thomas, « 1-2, Quaest. 72, a. 1. — Et iterum, in II, D. 35, Quaest. 1, a. 2: « Pec- « catum dicit malum quod in operatione consistit; unde ad rationem « peccati duo concurrunt, scilicet actus et ipse defectus, ex quo ratio « mali incidit ».

(2) S. Thom., in II, D. 37, q. 1, a. 1.

se habens : quippe, ut dicitur in II, D. 24, q. 3, a. 2, genus moris incipit ubi primo dominium voluntatis invenitur.

Dubium igitur esse posset an substantia actus quae dicitur *concurrere ad ipsam rationem peccati*, sumenda sit pro actu in quantum est ens naturae, id est emanatio quaedam secundum physicam virtutem agentis. Verum diligenter consideranti apparet hoc esse impossibile, quia actio peccati in esse naturae mere materialiter se habet in peccato, tamquam extra rationem eius exsistens. Tunc enim sumitur pure et simpliciter prout est secundum naturalem inclinationem appetitus ad bonum, quo sub respectu abstrahit a prohibito vel non prohibito, a licito vel illicito. Praeterea, peccatum dividit actus humanos reduplicative in quantum actus humani sunt ; sed actus humanus non est nisi actus in esse moris. Denique, de substantia actus nunc agitur secundum quod per se ei annectitur privatio ordinis iustitiae. Hoc autem non est nisi actus prout a libera voluntate inordinate eligente bonum particulare, rectitudinis regula praetermissa. Nam « deformitas peccati non consequitur speciem actus « secundum quod est in genere naturae, sic autem a Deo « causatur, sed consequitur speciem actus secundum quod « est moralis, prout causatur a libero arbitrio » (1). Relinquitur ergo ut cum dicuntur duo ad peccati rationem concurrere, primum, id est substantia actus, sumi debeat pro actu in esse moris ; sic enim non tam subiectat quam involvit moralem deformitatem, eo modo quo positivus sanguinis aestus involvit physicum defectum in febricitante. — Quod ut melius intelligas, attende exemplum claudicationis in qua tria possunt distingui : primo *motus* in quantum huiusmodi, secundo *curvitas* sive obliquitas motus, tum tertio, quae in hac curvitate involvitur *debitae commensurationis privatio*. Constat tamen quod ad ipsam claudicationis rationem nonnisi duo posteriora concurrunt, nam motus qua talis mere subiective se habet respectu eius a quo homo claudi-

(1) S. Thom., *de Malo*, Quaest. 3, a 2, ad 2^{um}.

cans denominatur. Similiter ergo in peccato tria sunt: primo *substantia actus in esse naturae*, ut est motus appetitus in bonum; secundo *substantia actus in esse moris*, ut est libera determinatio ad bonum illud cuius appetentia rectae tendentiae in summum bonum contrariatur; tum tertio *privatio debiti ordinis in finem ultimum*, quae in praedicta determinatione est involuta. Et hic etiam, primum ex tribus se habet mere materialiter in peccato, cuius constitutivam rationem duo posteriora tantum ingrediuntur.

Sed statim occurrit difficultas, quia si substantia actus mali etiam in esse moris, aliquid positivum est, ipsamque peccati rationem ingreditur, iam consequitur unum de duobus: vel quod peccatum sit a Deo, vel quod non omne positivum in rebus a causa prima dependeat. — Respondeo, substantiam actus mali in esse moris sumi dupliciter: primo *inadaequate*, prout est retinens aliquid de ordine rationis, secundo *adaequate*, prout retinendo aliquid de ordine rationis deviat ab eo quod est iustum simpliciter. Primo modo consideratur positivum pure et praecisive in quantum positivum est; secundo modo consideratur positivum reduplicative in quantum est per se involvens moralis rectitudinis privationem. Porro, secundum considerationem inadaequatam nondum intelligitur ad rationem peccati pertinere, quia sic dicit illud quod de naturali voluntatis inclinatione semper servat libertas. Praeterea, hoc ipsum aliquid boni est, quod rationis ordo non totaliter corrumpatur, et quod voluntas non tendat in moralem deformitatem directa intentione. At vero, secundum considerationem adaequatam constat quod actus malus non habet causam nisi voluntatem creatam deficienter eligentem, id est, sese determinantem ad unum oppositorum praeter et contra regulam rectitudinis. Et simile est si quis a summo artifice haberet artem incidendi lignum, simul cum mensura ad incidendum recte, sed procederet ad incidendum non tenens mensuram. Quidquid enim est de arte in defectuosa incisione deberet refundi in primum sicut in causam principaliorem, sed incisio prout debitae

rectitudinis carentiam involvens, non esset nisi a secundo agente qui mensuram in incidendo non tenuit. Unde S. Thomas in II, D. 37, Quaest. 2, a. 2, ad 2um : « Illud dicitur ad malum « cooperari quod inclinat ad actionem secundum quod actio « deformitati substat, unde mala est. Hoc autem Deo non « convenit, et ideo non oportet ut ad malum cooperari dicatur, « quamvis actionis illius causa sit in qua malum consistit, « secundum quod influit agenti esse, posse, et agere, et quid- « quid perfectionis in agente est » (1).

Et hucusque quidem ostensum est, *peccatum qua peccatum* non esse privationem puram, sed *actum humanum debita rectitudine privatum* (2). Nunc igitur, undenam habeat ut sit debita rectitudine carens, investigandum est.

§ 3.

Quod privatio debitae rectitudinis actui morali inest, in quantum caret commensuratione ad regulam legis aeternae per dictamen conscientiae denuntiatam seu notificatam.

Rursus prae oculis habendum est, considerari actum in ordine morali, scilicet secundum quod est malus formaliter ut voluntarius, *defectu cadente super ipsam rationem volun-*

(1) Hoc supponit fuisse alias demonstratum quod contingens *determinatio* actus ad unum e duobus oppositis, est a sola voluntate, sicut fert ipsa essentialis ratio liberi arbitrii. Nam si Deus esset determinans voluntatem ad bonum inhonestum, esset causa actionis in quantum involvit deformitatem, ac per hoc, causa peccati qua peccatum est.

(2) Quidam hic haerent in peccato omissionis, quasi non verificaret rationem *actus positivi inordinati*, et de hoc infra. Interim dicendum est, tam secundum doctrinam S. Thomae quam secundum rationem omnino cogentem, peccatum omissionis radicaliter consistere in actu positivo, quatenus quidquid voluntarietatis est in omissione formaliter considerata, derivat a deliberatione qua homo positive decrevit vel omittere rem praeceptam, vel fac re aliquid quod sit cum ea incompossibile.

tarii. Nam, « actionum quae ab homine aguntur, illae solae « proprie dicuntur humanea, quae sunt propriae hominis « in quantum est homo. Differt autem homo ab aliis irratio- « nabilibus creaturis, ex hoc quod est suorum actuum do- « minus... per rationem et voluntatem ; unde et liberum ar- « bitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illae « ergo actiones proprie humanae (seu morales) dicuntur, quae « ex voluntate humana procedunt » (1). Dictum est autem supra in prooemio, quod in unoquoque genere, sive naturae, sive artis, sive moris, privatio debitae rectitudinis in actione contingit propter deviationem a termino quem principaliter respicit actionis principium. Itemque ostensum est quod in moralibus principium activum, utpote rationalis appetitus, principaliter respicit bonum universale, sive finem simpliciter ultimum qui est finis totius humanae vitae. Unde concludebatur, actum moralem qua talem, in tantum esse malum in quantum deviat ab ordine eius in quo *vere* ratio ultimi finis vitae humanae invenitur, ac per hoc, in quantum non est commensuratus regulae dirigenti in ipsum, quae regula moralitatis vel regula actuum humanorum nominatur (2).

Nunc autem, ex hoc ipso quod humana voluntas possibilis

(1) S. Thom., 1-2 Quaest. 1, a. 1, in corp.

(2) Nota quod voluntas non est naturaliter determinata ad ultimum finem in concreto; unde potest sibi finem ultimum assignare in variis bonis, puta in bono divitiarum, voluptatum, etc. Sed haec et alia eiusmodi non sunt id in quo *vere* salvatur ultimi finis ratio, videlicet ratio summi atque absoluti boni. Non enim salvatur nisi in Deo; in Deo, inquam, non praecise quatenus est summe bonus nobis, sed quatenus est in seipso absolute perfectus, propter seipsum super omnia diligibilis et diligendus, etiam super nosmetipsos et super beatitudinem nostram; nam beatitudo non est nisi *finis sub fine*, seu finis ut quo coniungimur ultimo fini, ipsi per laudem perfectam et consummatam charitatem inhaerendo. « Deus, ait S. Thomas, in II, « D. 38, a. 2 in corp., rectarum voluntatum finis est, et charitas, et bona « delectatio, et beatitudo: ita tamen quod *Deus ultimus finis sit, et « beatitudo charitatem et delectationem complectens sit sicut finis sub fine, « coniungens ultimo fini* ».

est ad defectum, sequitur in primis, dictam moralitatis regulam ab eadem voluntate realiter distingui. Quippe, « nullus « actus a rectitudine declinare contingit, cuius regula est « ipsa virtus agentis. Si enim manus artificis esset ipsa re- « gula incisionis, nequaquam posset artifex nisi recte incidere ; « sed si rectitudo incisionis sit ab alia regula, contingit inci- « sionem esse rectam et non rectam » (1). Rursus, ex hoc quod voluntas humana non est regula sui actus, eo ipso sub regula sit necesse est quasi regulae subiecta et per regulam obligata. Et si est sub regula quasi per regulam obligata, oportet ut regula ei ab aliquo superiore imponatur, quandoquidem subiectio qualiscumque respectu abstractionis quae nullum haberet esse extra intellectum considerantis, omnino non concipitur. Porro superiorem hunc esse solum Deum, tribus potissimum rationibus manifestum fiet. Etenim *primo*, cum regula morum homini dominetur in quantum est homo, ab eo solo imposita esse potest, cui homo subest secundum quod naturam humanae speciei participat. Ipse autem non est nisi Deus, qui solus humanae naturae auctor est et dominus. Praeterea *secundo*, regula moralitatis non potest contineri nisi in eo cuius intentio a moralitatis fine omnino nequeat deficere, quique per essentiam absolute impeccabilis exsistat, utpote voluntate sua indeclinabiliter atque immobiliter inhaerens supremo bono quod totius moralis ordinis principium est et terminus. Sed voluntas ista non est nisi divina, nam ut dicitur in Compendio theologiae, c. 113 : « Sicubi voluntas non potest a fine deficere, manifestum est « quod ibi defectus voluntariae actionis esse non potest. Vo- « luntas autem deficere non potest respectu boni quod est « ipsius volentis natura. Quaelibet enim res suo modo appetit « suum esse perfectum, quod est bonum uniuscuiusque ; re- « spectu vero boni exterioris deficere potest, bono sibi con- « naturali contenta. Cuius igitur volentis natura est ultimus « finis, in hoc defectus voluntariae actionis contingere non

(1) S. Thom., 1. Quaest. 63, a. 1.

« potest ; hoc autem solius Dei est, nam eius bonitas quae « est ultimus finis rerum, est sua natura. Aliorum autem volen- « tium natura non est ultimus finis ; unde potest in eis defectus « voluntariae actionis contingere per hoc quod voluntas re- « manet fixa in proprio bono, non tendendo ulterius in sum- « mum bonum quod est ultimus finis ». Denique *tertio*, moralis obligatio non est nata descendere nisi ab eo summo superiore qui non solum est in seipso absolute sanctus, verum etiam necessario vult omnes alias voluntates esse servandi ordinis debitrices. Hoc autem iterum solius Dei est, cui idem est, velle seipsum ut ultimum finem omnium rerum, et velle servari in universo ordinem iustitiae, quandoquidem ordo iustitiae et ordo ultimi finis adaequate convertuntur.

Sic igitur constat, regulam obligatoriam humanorum actuum nullam aliam esse praeter legem Dei, sive rationem divinae sapientiae prout voluntate adiuncta, praeceptiva est eorum quae ad finem conducunt et pro tanto rectitudinem ordinis servant, prohibitiva vero eorum quae a fine abducunt et pro tanto ordinem perturbant. Quo sensu dixit S. Thomas, Q. 63, a. 1, quod « divina voluntas sola est regula « sui actus, quia non ad superiorem finem ordinatur ; omnis « autem voluntas cuiuslibet creaturae rectitudinem in suo « actu non habet, nisi secundum quod regulatur a voluntate « divina ad quam pertinet ultimus finis » (1).

Sed nunc ulterius procedendo, statim apparet impossibile esse ut lex Dei prout in Deo est et est ipse Deus, regula exsistat *proxima* actuum humanorum. Obiectum enim voluntatis est illud quod proponitur a ratione, cum semper voluntas feratur in aliquid ut apprehensum. Ideoque homo voluntarie deviat vel non deviat ab ordine ultimi finis, prout in agendo se conformat vel non, dictamini rationis proponentis has numero actiones ut legi Dei conformes, has vero alias ut ab eadem dissonantes, ac pro tanto illicitas atque omittendas. Huiusmodi autem dictamen, fundamen-

(1) Vide etiam *de Malo*, Quaest. 1, a. 1. in corp.

taliter quidem in scientia legis reponitur, formaliter vero in iudicio quo iudicatur de actibus in particulari, an sint secundum legem necne, quod fit per applicationem scientiae ad ipsos. Et quia hanc applicationem nomine *conscientiae* solemus significare (1), hinc tandem dicitur duplicem esse regulam actuum humanorum : unam propinquam et homogeneam quae est conscientia, aliam vero primam et remotam quae est lex aeterna, seu *ratio vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans*, ut ait Augustinus l. 22 c. Faustum, c. 27. — De prima regula scriptum est, Psalm. VIII-8 : « Lex Domini immaculata, convertens animas », id est, dirigens eas in viam iustitiae. De proxima vero, Rom. XIV-23 : « Omne quod non est ex fide (2), peccatum est ». De utraque simul, Psalm. IV-6 : « Multi dicunt, « quis ostendit nobis bona ? Signatum est super nos lumen « vultus tui, Domine », ut sit sensus : Lumen rationis quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona et nostram regulare voluntatem, in quantum est lumen vultus tui, id est a claritate aeternae sapientiae tuae derivatum.

Relinquitur ergo dicendum quod actus moralis malus

(1) « Nomen conscientiae significat applicationem scientiae ad « aliquid; unde conscire dicitur quasi simul scire... Applicatur autem « aliqua notitia ad aliquem actum dupliciter: uno modo secundum quod « consideratur an actus sit vel fuerit; alio modo secundum quod con- « sideratur an actus sit rectus vel non. Et secundum primum modum « applicationis dicimur habere conscientiam alicuius actus, in quan- « tum scimus illum actum esse factum vel non factum... Secundum « vero alium modum applicationis quo notitia applicatur ad actum, « ut sciatur an actus sit rectus vel non, duplex est via. Secundum enim « quod applicatur scientia ad actum ut dirigens ipsum, secundum « hoc dicitur conscientia *instigare*, vel *inducere*, vel *ligare*. Secundum « vero quod applicatur scientia ad actum per modum examinationis « eorum quae iam acta sunt, sic dicitur conscientia *accusare* vel *remor-* « *dere*, quando id quod factum est invenitur discordare a scientia ad « quam examinatur; *defendere* autem vel *excusare*, quando invenitur « id quod factum est processisse secundum formam scientiae ». S. Thom., *de Verit.*, q. 17, a. 1, in corp.

(2) Ex fide, id est, secundum dictamen conscientiae.

est actus *non concordans rationi informatae lege divina, vel naturaliter, vel per doctrinam* (1) : quod est, privationem rectitudinis in actu humano nihil aliud esse quam carentiam commensurationis ad regulam legis aeternae per conscientiae dictamen voluntati adhibitam. Sed iam exinde perspicere licet quid sentiendum sit de peccato quod nonnulli *philosophicum* dixerunt, et ad huius conclusionis elucidationem pertinet assertio sequens.

§ 4.

Quod malum morale nec esse nec concipi ullo modo potest abstratione facta a lege Dei et fine quem respicit lex divina, et quod peccati philosophici notio est metaphysice repugnans.

De peccato philosophico celebris quondam exstitit controversia, quae non fuit hic omnino negligenda, maxime propter placita eorum qui moralem, ut aiunt, independentem statuunt. Porro nomine peccati philosophici intelligi solet actus moraliter malus quo solus violaretur rationis naturalis ordo, minime vero lex divina. De quo tamen triplex esse potest dicendi modus.

Primus est eorum qui divinam legem de medio tollunt, vel quia dicunt Deum non exsistere, vel quia ponunt ipsum non curare de humanis actibus, ac per hoc negant Deum legislatorem, iudicem, et remuneratorem. Quorum sententia, ut constat, non solum adstruit possibilitatem peccati philosophici, verum etiam pro chimaera habet peccatum theologicum in Dei offensa consistens. Et hos relinquamus, cum evidenter appareat opinionem eorum eodem loco esse habendam quo haberi debet ipse atheismus.

Alius igitur est dicendi modus a praecedenti longe diversus, eorum scilicet qui solum posuerunt dari de facto

(1) S. Thom., *de Malo*, q. 2, a. 6.

in praesenti rerum ordine quosdam actus moraliter malos, offensam Dei eatenus non includentes, quatenus fiunt contra conscientiae dictamen ab iis qui, vel ignorantes Deum, vel de Deo et lege eius omnino non cogitantes, ordinem quidem rectae rationis violant, sed reatum transgressionis divini praecepti nequaquam incurrunt, cum sit impossibile ut offendatur Deus quin aliquo modo cognoscatur et in consideratione peccantis obversetur. Horum positio proscripta est ut *erronea* ab Alexandro VIII, in damnatione sequentis propositionis : « Peccatum philosophicum seu morale est « actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae « rationi, theologicum vero et mortale est transgressio libera « divinae legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo « qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est « grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum « mortale dissolvens amicitiam Dei, neque poena aeterna « dignum » (1). Proscripta est, inquam, ut erronea, quia etsi praefata peccati divisio in philosophicum et theologicum non immediate forsitan opponatur veritati revelatae, certo tamen certius eius falsitas facili ratiocinio ex ea eruitur, saltem quod attinet ad praesentem ordinem providentiae. Huc faciunt frequentia illa Scripturae testimonia quibus edocemur Deum esse vindicem omnium omnino malorum operum quae sunt a libero hominum arbitrio. Nam profecto, si in praesenti ordine locus esset peccato philosophico, non omnia opera mala deberent in foro Dei puniri, quia nusquam punitur delinquens nisi in eo foro cuius legis violator exstitit. Si ergo universaliter pronuntiat Apostolus, Rom. II, 5-11, tribulationem fore et angustiam in Dei iudicio super omnem animam hominis operantis malum, Iudaei primum et Graeci ; si Christus Dominus, Ioan. V, 28-29, sine restrictione asserit venturum esse tempus in quo omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, ut qui bona fecerunt procedant in resurrectionem vitae, qui vero mala in resurrectionem

(1) Enchirid., n. 1157.

iudicii : sequitur sane, nullum esse opus malum, saltem in praesenti ordine rerum, per quod divina lex de facto non violetur. Quicumque enim sine lege revelata peccaverunt, habuerunt opus divinae legis scriptum in cordibus suis, testimonium perhibente ipsis conscientia ipsorum. Iure ergo meritoque censurata est doctrina asserens vel supponens exsistentiam peccati non includentis divinam offensam. Nam etsi concederetur, (quod non concedimus), posse adhuc absolute concipi actum moraliter malum in eo qui nullo modo, et ne confuse quidem, Deum legislatorem apprehendit, adhuc tamen remaneret dicendum secundum Scripturas, hypothesim hanc nusquam contingere, sed esse meram abstractionem quae ad summum in quodam alio possibili ordine auxiliorum et providentiae potuisset inveniri. Nec improbabiliter censet Viva (1), damnationem propositionis ad hos limites restringi, adeoque censuram non attingere eos qui solam possibilitatem metaphysicam peccati philosophici adhuc adstruerent.

Hinc datur et tertia opinio, eorum scilicet qui cum Cardinali de Lugo (2), hanc ipsam peccati philosophici possibilitatem agnoscunt, tametsi fateantur eam non reduci ad actum, quatenus in praesenti providentia contingere non potest ut detur invincibilis Dei ignorantia aut inadvertentia ad legem eius, dum peccatur. Sed haec sententia, etsi praefatae censurae non certo subiaceat, adhuc tamen communiter a theologis iure meritoque respuitur, quia conscientiae dictamen essentialiter et ex natura rei cognitionem involvit legis divinae ut principii obligationis moralis, ac per hoc, metaphysice repugnat ut qui Deum ignorat, vel ad eius legem non advertit, habeat unquam conscientiam actus moraliter mali. Quare, vel non est morale peccatum, nisi forsitan mere materiale, vel si est peccatum, eo ipso est de sui ratione pec-

(1) Viva, *de duabus propositionibus ab Alexandro VIII proscriptis*, 24 Augusti 1690, n. 3.

(2) Lugo, *de Incarn.*, Disp. 5, Sect. 5.

catum theologicum et Dei offensivum, utpote in violationem legis eius admissum.

Et re quidem vera, omnis actio quae proponitur in conscientia uti moraliter mala, hoc ipso apprehenditur ut prohibita, et quod amplius est, in eo foro prohibita in quo nulla hominum intervenit auctoritas. Sed prohibitio nequit intelligi nisi praeintelligatur prohibens, et prohibens in eo foro in quo nullus hominum aut ligat aut solvit, cadere non potest in apprehensione nisi sub ratione summi legislatoris qui supra homines sit, et a quo homines necessario dependeant ; talis autem est Deus. Ergo quisquis actus humani capax discernit inter bonum et malum morale, eo ipso scit se esse positum sub potestate Dei, cuius aequissima voluntas naturalem ordinem servari vult, perturbari vetat. Quin imo, pro tanto apprehendit aliquid ut prohibitum in conscientia, pro quanto invisibilis et indeclinabilis superioris legem agnoscit.

Et confirmatur, quia quisquis male agit moraliter, contra notam conscientiae obligationem agit. Videndum igitur est, in cuius virtute conscientia liget, ut siquidem intelligi possit veri nominis obligatio in foro interno, non intellecta lege Dei, peccatum philosophicum absolute possibile dicatur ; sin autem minus, absolute repugnans. Atqui manifestum est quod conscientia non ligat nisi in quantum est cognitio praecepti, scilicet in virtute legis quam certe ipsa non facit, sed monstrat etiam nolenti. Monstrat, inquam, non ut ab ipso homine derivatam, (cum nemo sibi ipsi obligationem possit imponere, praesertim contra propriam voluntatem), sed ab eo cui, velit nolit, natura rationalis est necessario subiecta. Unde conscientia ligare dicitur vi praecepti divini, cuius actualem notitiam ex sui ratione involvit, et pro tanto, absolute impossibilis est actus contra conscientiam, qui eo ipso non sit vera et proprie dicta legis Dei transgressio (1).

(1) S. Thom., *de Verit.*, q. 17, a. 3, et in II, D. 30, q. 3, a. 3, ad. 3^{um}.

Obiicies tamen primo : *Dicit S. Thomas* (1), *« quod a « theologis consideratur peccatum praecipue secundum quod « est offensa contra Deum, a philosopho autem morali se- « cundum quod contrariatur rationi ». Ergo ratio peccati seu mali moralis iam actui humano inesse intelligitur, ex hoc solo quod sit contra rationis regulam, praescindendo a lege Dei prohibente ; nam alias, nulla foret oppositio inter theologicam illam et philosophicam peccati considerationem quam asserit Angelicus. Dicendum igitur, aliam esse formalem rationem peccati apud philosophum, aliam vero apud theologum: ex quo demum consequitur absoluta possibilitas peccati mere philosophici, in eo scilicet qui invincibiliter Deum ignoraret.*

Respondeo concedendo auctoritatem S. Thomae, et negando consequentiam. Ad cuius negationis evidentiam dico duplicem esse praecisionem, aliam absolutam et simpliciter dictam qua totaliter removetur conceptus rei praecisae, alteram imperfectam et secundum quid, qua res praecisa non removetur nisi secundum explicitam considerationem eius, sicut cum unum attributum divinum consideramus praecisive ab altero, puta sapientiam praecisive a iustitia, atque ita porro. Sicubi ergo dicatur philosophus considerare peccatum secundum quod rationi contrariatur, non ideo asseritur praecisio absoluta ab ordine ultimi finis et a lege aeterna in ipsum dirigente. Sed cum sit duplex regula moralitatis, remota videlicet et proxima, iure meritoque explicita regulae supremae consideratio theologo attribuitur prae philosopho, cuius speculatio versatur potissimum circa oppositionem quam peccatum habet ad rationem. At vero, cum naturalis ratio non sit regula obligatoria nisi in quantum signatum est super eam lumen legis aeternae, constat quod philosophus considerans peccatum ut rationi contrarium, eo ipso implicite attingit ipsum ut Dei offensivum. Quare, si secundum explicitam considerationem praescindit ab offensa divina, hoc demum et nihil aliud concludere licet : notionem

(1) S. Thom., 1-2, Quaest. 71, a. 6, ad 5^{um}.

peccati apud moralem philosophum esse imperfectam et ulterius expoliendam. Non autem sequitur : ergo, absolute sistendo in sola oppositione actus cum ratione, moralis malitia actui humano iam inesse concipitur.

Obiicies secundo : *Pervulgata est distinctio inter ea quae sunt mala quia prohibita, et ea quae sunt prohibita quia mala. Sed si malum morale nec esse nec concipi posset, abstractione facta a lege Dei prohibente, sequeretur omnia esse mala quia prohibita, nihilque esse prohibitum solum quia malum. Ergo antecedenter ad legem Dei prohibentem, et independenter ab ea, malum morale concipitur et est.*

Respondeo : *Dist. mai.* Et haec distinctio importat, aliqua esse mala quae antecedenter ad prohibitionem mala sunt, praecise quia et in quantum ordinem rationis violant, in sensu adversariorum, *neg. mai.* Aliqua esse mala antecedenter ad formalem prohibitionem divinae voluntatis, quia et in quantum repugnant ex natura sua tendentiae in Deum finem ultimum, qui est proprius legis divinae finis, *subdist.* Hoc sensu quod completa ratio moralis malitiae antevertat prohibitionem, iterum *neg. mai.* Hoc sensu quod antecedenter ad prohibitionem invenitur in quibusdam actibus malitia radicalis, propter insitam oppositionem ad finem illum in quem divina lex necessario cuncta dirigit, *conc. mai.* — Hinc ad minorem dico : Si malum morale nec esse nec concipi posset abstractione facta a lege Dei prohibente, sequeretur omnia esse mala quia prohibita, hoc sensu quod completa ratio malitiae moralis semper adveniet ex prohibitione Dei vel libera vel necessaria, *conc. min.* Hoc sensu quod ante signum voluntatis divinae prohibentis, nulla esset etiam radicalis atque intrinseca malitiae ratio, *subdist.* Sequeretur hoc, si lex Dei prohibens nihil aliud esset quam voluntas vetans, *conc.* Si lex illa importat per prius rationem divinae sapientiae in qua relucet unumquodque secundum naturalem suam consonantiam vel contrarietatem ad finem ultimum, *neg.* — Et sane, in signo priori ad prohibitionem, divinus intellectus considerat divinam bonitatem ut finem, videtque

ea quae ex intrinseca natura sua rectam tendentiam creaturae rationalis in ipsam vel destruunt vel impediunt, et cum talia habeant in se unde *necessario* a Deo prohibeantur, merito dicuntur prohibita quia mala, non autem mala pure et simpliciter quia prohibita.

Obiicies tertio : *Non sola lex divina, sed et lex humana ligat in conscientia ; unde eius transgressio constituit actum moraliter malum. Potest igitur concipi actus moraliter malus abstractione facta a lege Dei et fine ultimo humanae vitae.*

Respondeo : *Dist. mai.* Lex humana ligat in conscientia, virtute legis aeternae, *conc. mai.* Virtute sibi propria, in quantum humana est, *neg. mai.* Nisi enim lex aeterna iuberet et prohiberet quidquid a legitima auctoritate iuste imperatur aut prohibetur, nullum esse posset conscientiae ligamen. – Unde etiam contradistinguitur consequentia : Transgressio humanae legis constituit actum moraliter malum, praescindendo a lege divina a qua omnes aliae leges habent vim obligandi, *neg. consequent.* Quatenus, sicut ait Apostolus Rom. VIII-1, *omnis potestas* humana *a Deo est*, et ideo, *qui potestati resistit* in his quae ad potestatis ordinem pertinent, *Dei ordinationi resistit*, et secundum hoc efficitur reus quantum ad conscientiam (1), *conc. consequent.* — Sane vero, « lex importat rationem quamdam directivam actuum « ad finem. In omnibus autem moventibus ordinatis oportet « quod virtus secundi moventis derivetur a virtute moventis « primi, quia movens secundum non movet nisi in quantum « movetur a primo. Unde in omnibus gubernantibus idem « videmus, quod ratio gubernationis a primo gubernante « ad secundos derivatur, sicut ratio eorum quae sunt agenda « in civitate, derivatur a rege per praeceptum in inferiores « administratores ; et in artificialibus etiam, ratio artificia- « lium actuum derivatur ab architectore ad inferiores arti- « fices qui manu operantur. Cum ergo lex aeterna sit ratio « gubernationis in supremo gubernante, necesse est quod

(1) S. Thom., 1-2, Quaest. 96, a. 4, ad 1^{um}.

« omnes rationes gubernationis quae sunt in inferioribus « gubernantibus a lege aeterna deriventur. Huiusmodi autem « rationes inferiorum gubernantium sunt quaecumque aliae « leges praeter aeternam. Unde omnes leges, in quantum « participant de ratione recta, in tantum derivantur a lege « aeterna » (1).

Sic igitur, ratio malitiae moralis semper habetur ex defectu commensurationis actus ad legem divinam, vel quod redit ad idem, ex defectu proportionis cum fine quem respicit divina lex. Nunc autem non omnia quae lege illa prohibentur, eodem modo prohibentur ; quo fit ut non omnes actus mali in eodem malitiae ordine sint, et hoc restat ad complementum huius praeambulae disputationis convenienter exponendum.

§ 5.

Quod lex Dei quaedam prohibet intentione primaria, quaedam vero intentione secundaria tantum ; et quod ideo quidam actus dicuntur mali in quantum sunt contra legem, alii vero in quantum sunt praeter.

Lex aeterna, ut dictum est, dirigit voluntates creatas in Deum finem ultimum. Porro in ordine voluntatis creatae ad Deum, duplex veluti gradus est distinguendus : primus quoad substantiam ordinis, alter quoad eius complementum. Primus est ut voluntas bene se habeat circa finem ipsum, scilicet ut non sit ab eo aversa, sed imo ei subiecta tanquam summo suo diligibili. Secundus est ut conversione in finem praesupposita, voluntas bene etiam se habeat respectu eorum quae sunt ad finem, dum in eis non immoratur actu retardante a fine et in finem non referibili. Sicut si dicerem quod in ordine corporis gravis ad centrum terrae, aliquid consideratur ut principium ordinis, aliquid vero ut post principium. Salvatur enim principium ordinis, quamdiu est

(1) S. Thom., 1-2 Quaest. 93, a. 3.

et manet gravitas per quam corpus quodammodo habitualiter convertitur ad centrum suum. Attamen complementum ordinis ulterius requirit ut supposita gravitatis permanentia, non superveniat impedimentum retardans motum et coniunctionem cum termino.

Sunt igitur quaedam quae lex Dei prohibet ut abducentia seu avertentia a fine, quibus scilicet commissis, non manet amplius ipsum principium ordinis ; et ista sunt omnes actus dilectioni Dei super omnia, vel *immediate* vel *mediate* repugnantes. Quo in genere, primo loco veniunt quaecumque contra Deum ipsum committuntur, ut blasphemia, infidelitas, desperatio, periurium, et huiusmodi; haec enim fini opponuntur *immediate*, ut constat ex terminis.

Secundo loco recensentur illa quae tollunt ordinatum amorem hominis ad seipsum, quia cum ordinatus sui amor praedispositive se habeat ad dilectionem Dei super omnia, quidquid destruit rectitudinem dilectionis qua homo semetipsum prosequi debet, eo ipso prosecutioni ultimi finis *mediate* contrariatur. Ad cuius evidentiam considerandum est, nihil esse conveniens appetitui nisi sit, vel propria perfectio appetentis, vel perfectio eorum cum quibus appetens est aliquo modo unum, vel demum et maxime, perfectio illius entis a quo participat esse, vivere, intelligere, et quidquid aliud habet aut habere potest. Quare, si Deum iubemur amare super omnia et supra nosmetipsos, ratio sumitur ex hoc quod bonum nostrum minus est in nobismetipsis quam in Deo, in quo eminenter continetur tanquam in causa principe et ratione altissima totius esse creati. Unde S. Thomas in prima parte, Quaest. 60, art. 5 : « Inclinatio naturalis in his quae sunt sine ratione, demonstrat inclinationem « naturalem in voluntate intellectualis naturae. Unumquodque « autem in rebus naturalibus quod secundum naturam hoc « ipsum quod est, alterius est, principalius et magis inclinatur in id cuius est, quam in seipsum. Et haec inclinatio « naturalis demonstratur ex his quae naturaliter aguntur....

« Videmus enim quod naturaliter pars se exponit ad con-
« servationem totius, sicut manus exponitur ictui absque
« deliberatione ad conservationem totius corporis. Et quia
« ratio imitatur naturam, huiusmodi imitationem invenimus
« in virtutibus politicis ; est enim virtuosi civis ut se exponat
« periculo mortis pro totius reipublicae conservatione ; et
« si homo esset naturalis pars huius civitatis, haec inclinatio
« esset ei naturalis. Quia igitur bonum universale est ipse
« Deus, et sub hoc bono continetur etiam angelus, et homo,
« et omnis creatura, quia omnis creatura naturaliter secundum
« id quod est, Dei est, sequitur quod naturali dilectione etiam
« angelus et homo plus et principalius diligat Deum quam
« seipsum ». At vero necessario ad hoc praerequiritur ut non corrumpatur per abusum liberi arbitrii, naturalis amor quo homo amat in se id quod est Dei. Destructa enim ordinata illa dilectione, consequens est ut non possit amplius consistere affectus quo super omnia in Deum ferimur tanquam in ens omnium optimum, cuius absoluta atque imparticipata bonitas totius nostri boni causa est, et exemplar, et ratio suprema. Bene ergo lege aeterna prohibitum asseritur quidquid recto sui ipsius amori contrarium est. Asseritur, inquam, prohibitum, non praecise in quantum est proprii boni corruptivum, sed in quantum tollit praerequisitum ordinis quo Deo ut ultimo fini summoque diligibili inhaeremus.

Ast nondum satis, nam in iis quae sub aversione a Deo per Dei legem vetantur, tertio tandem loco commemorari debent quaecumque contra humanae societatis foedus exsistunt, et haec recensentur dupliciter. Quaedam enim sunt quae ex sese destruunt convenientem praedictae societatis propagationem, puta peccata de genere luxuriae. Alia vero sunt de sui ratione eversiva societatis iam exsistentis, sicut ea quae tollunt vel pietatem ac subiectionem erga maiores, vel iustitiam erga aequales et inferiores, vel demum simplicem charitatem erga omnes. Quocumque autem modo sociali foederi ista repugnent, statim intelliguntur prohi-

bita in vi fundamentalis principii moralitatis. Cum enim homo sit naturaliter animal sociale, finem suum nonnisi in societate et per societatem consequi potest ; societas autem non tam medium quam impedimentum exsisteret, nisi eius membra concorditer ad invicem ordinarentur. Itaque corrumpere foedus humanae societatis, nihil aliud est quam corrumpere necessarium medium tendendi in ultimum humanae vitae finem, et pro tanto, vere dicitur esse contra finem ipsum, sin minus immediate, at certe *mediate*, quantum est ex natura sua. Quare Dominus in Evangelio omnia hactenus exposita compendiose attingens, Matth. XXII, 37-40, ait : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, « et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maxi- « mum et primum mandatum. Secundum autem simile est « huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his « duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetae ». Sublimis sane sententia, quae in summa simplicitate totam de integro comprehendit regulam moralitatis. Praecipit enim ipsum ordinis principium, cum dicit : *Diliges Dominum Deum tuum*. Praecipit et illud sine quo principium stare omnino nequit, cum addit : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, quibus verbis et ordinatus sui amor, et humanae societatis foedus, iuxta mox praemissa, sancte servanda iubentur.

Haec igitur dicta sint de iis quae prohibentur ut contraria ultimo fini. Nunc autem ulterius considerandum venit, aliqua esse quae ex natura sua essentiam ordinis non tollunt, quia nec immediate sunt *contra* ipsum Deum, nec etiam mediate, quatenus bonum humani convictus aut charitatem hominis ad seipsum graviter non laedunt, sed utrumque, quoad substantiam illaesum relinquunt. Quo tamen non obstante aliquam inordinationem involvunt, vel quia nonnihil tollunt de reverentia erga res divinas, vel quia debitae proximo charitati et iustitiae quadantenus detrahunt, vel certe quia iusta necessitate necnon et pia utilitate carent, sicut leve furtum, mendacium officiosum, ludus superfluus,

et alia similia. Itaque in huiusmodi, aliqualis ratio malitiae moralis invenitur, non tamen inducens aversionem a Deo, quia quantum est ex natura obiecti, aliquid admittitur quod in Deum referibile non est, sed nondum a subiectione ad ipsum tanquam ad ultimum finem super omnia dilectum receditur (1). Talia igitur sunt solum *praeter* finis ultimi ordinem, quamvis ad ea quae sunt contraria fini aliqualiter disponant.

His igitur suppositis, constat quod intentio legis semper respicit finem; unde actus humani sub voluntate praeceptiva vel prohibitiva legislatoris aliter et aliter cadunt, secundum quod in ordine aut extra ordinem finis aliter et aliter se habent. Idcirco ea quae simpliciter tollunt subiectionem ad ultimum finem Deum, primaria intentione prohibentur, sicut intentione pariter primaria praecipiuntur ea sine quibus recte servatis ordo ille non manet. Illa vero quae ordinem finis non tollunt, sunt tamen ad finem irreferibilia, prohibentur intentione tantum secundaria, et idem proportionaliter dicendum de praecepto. Quare, sumendo nunc legem pro eo quod est principale in lege, id est comparando actus humanos ad regulam legis praecisive consideratam quoad ordinationem primario intentam, constat non omnes actus moraliter malos esse contra legem, quia non

(1) Nec quaerendum est ad quem ultimum finem referatur huiusmodi actus peccaminosus, si nec est referibilis ad Deum, nec inducit finem Deo oppositum. Dicendum enim quod *ad nullum finem ultimum determinatum* refertur, sed ad finem indeterminatum qui est bonum in genere, sicut infra videbimus agentes de peccato veniali; quo in loco difficultas ex professo examinabitur. Attamen iam notandum est, haec esse intelligenda per respectum ad hominem in praesenti statu. Si enim exempli gratia sermo esset de angelo qui in omnibus necessario agit propter finem ultimum determinatum, iam distinctio introducta inter actus qui sunt *contra*, vel tantum *praeter* finem, locum amplius non haberet. Et sane, finge in angelo mendacium de suo genere leve; foret in eo mortale peccatum, non praecise quia mendacium, sed quia mendacium relatum ad finem peccati mortalis, sicut si quis levem summam furaretur propter finem adulterii. Sed de his, infra.

omnes sunt contra finem legis, sed quosdam *esse contra*, quosdam vero *praeter*. Et hoc sensu dicit S. Thomas in III, D. 38, Quaest. 1, a. 4 ad 5^{um} : « Divino praecepto prohibetur « aliquid dupliciter. Uno modo directe, quod *contra prae-* « *ceptum* dicitur, et sic prohibetur mendacium perniciosum... « Alio modo indirecte, quod *praeter praeceptum* dicitur, et « sic mendacium iocosum et officiosum, sicut et alia peccata « venialia, praecepto divino prohibentur ». Et eadem docet in 1-2, Q. 88, a. 1 ad 1^{um}; *et de Malo*, Q. 14. a. 2 ad 8^{um}; et in II, D. 42, Q. 1, a. 4, etc.

Ex dictis concludes, non esse cur simus multum solliciti de argumentis quae adversus praedictam divisionem afferuntur a nonnullis contendentibus omne peccatum indiscriminatim esse *contra* legem. Si enim per legem intelligas quidquid quolibet modo in lege continetur, sic verum est quod ipsi dicunt. Sed si legis nomine accipias principalem et directam legis intentionem, iuxta superius declarata, sic omnino evidens est distinctio S. Thomae. Tunc enim praeter vel contra legem, idem est ac praeter vel contra finem quem respicit lex. Ad rem Caietanus in 1-2, Q. 88, a. 1 : « Dicen- « dum, inquit, quod in verbis laborat argumentum. Conce- « dimus gratis, omne peccatum veniale esse contra legem « secundum quid, et hoc est esse praeter legem. Est enim « contra legem quidquid a legis fine discordat : si simpli- « citer, simpliciter : si secundum quid, secundum quid. Sed « *simpliciter a fine non discordat, nisi quod contrarium in-* « *ducit finem ;* secundum quid vero, quod finis assecutionem « impedit ; illud in mortali, hoc in veniali. Ad pleniorem « doctrinam scito quod cum dicitur veniale ex genere esse « *praeter*, non *contra* legem, potest dupliciter intelligi. Primo, « ut ita sit praeter legem, ut contra nullam sit legem, et hoc « sensu falsum est ; nam mendacium est secundum se pravum « et contrarium virtuti, ac per hoc, contra legem illius virtutis, « et tamen non est mortale ex genere suo. Alio modo, ut « sit praeter legem et non contra, quia non est contra intentum « finem legis ; et hoc modo, contra nullam legem est veniale,

« quia finis cuiusvis legis est dilectio Dei, sui et proximi, « contra cuiusvis bonum nisi secundum quid, non fit per « veniale. Praeter autem legem est, quia... violatur debitus « modus quo secundum rationem referenda est materia illa « ad finem ».

Sed iam ad ipsam definitionem peccati mortalis accedendum est, de qua S. Thomas in articulis ultimis huius quaestionis. Hinc :

THESIS I.

(Art. 5–6)

Peccatum mortale ex parte substantiae actus convenienter definitur : dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam. Ex parte vero defectus seu privationis, aversio a Deo fine ultimo per voluntariam conversionem ad bonum commutabile.

De illo peccato nunc agitur, ut supra dictum est, cui peccati ratio plene, perfecte et simpliciter inest, seclusa omni conditione diminuente. Dicitur autem *mortale*, ducta analogia ex iis quae in corporalibus considerantur. « Duplex « enim est inordinatio. Una per subtractionem principii « ordinis ; alia qua, etiam salvato principio ordinis, fit inor- « dinatio circa ea quae sunt post principium. Sicut in corpore « animalis quandoque quidem inordinatio complexionis pro- « cedit usque ad destructionem principii vitalis, et haec est « mors ; quandoque vero, salvo principio vitae, fit deordi- « natio quaedam in humoribus, et tunc est aegritudo. *Prin- « cipium autem totius ordinis in moralibus est finis ultimus...* « Unde quando anima deordinatur per peccatum usque ad « aversionem ab ultimo fine, scilicet Deo cui unitur per cha- « ritatem, tunc est peccatum *mortale ;* quando vero fit deor- « dinatio citra aversionem a Deo, est peccatum veniale » [1].

(1) S. Thom. 1-2, Q. 72, a. 5.

Recte igitur et rationabiliter peccatum perfectum in ratione peccati, seu peccatum quo quis simpliciter deviat ab ordine finis, eam obtinuit denominationem cuius convenientiae adhuc magis in sequentibus apparebunt.

Sicut autem ex superioribus liquet, duo ad obiectum praesentis considerationis pertinent, scilicet defectus ex quo rationem mali habet, et substantia actus moralis secundum quam actuale peccatum dicitur (1). Quo fit ut duplici modo peccatum definiri contingat : uno modo, sumendo ipsum ex parte substantiae actus qui defectum involvit ; alio modo, ex parte ipsius formalis defectus qui involvitur in actu. Quorum haec est differentia, quod in primo modo quidquid in peccato positivum est ponitur in recto, et id quod ad privationem pertinet consequitur in obliquo ; in secundo autem modo est e converso. Prior tamen modus magis proprius est, quia peccatum est actus voluntarius ; voluntas autem non fertur in privationem directa intentione, sed in bonum positivum quod est proprium eius obiectum.

Nunc igitur facile declaratur legitimitas primae definitionis. Omnia enim sequuntur ex praemissis in prolegomeno. Et re quidem vera, propria nota peccati mortalis in hoc est, quod sit perfectum in ratione peccati. Atqui in tantum est peccatum in quantum est actus voluntarius discordans a lege aeterna (2) ; et in tantum est perfectum in ratione peccati, in quantum discordat, non utcumque,

(1) Cf. S. Thom. in II, D. 35, Divisio textus.

(2) Regulae obligatoriae actuum humanorum sunt primo *lex naturalis*, quae continetur in naturali iudicatorio rationis humanae; secundo *lex divina supernaturalis*, quae continetur in deposito revelationis; denique *lex humana* tam canonica quam civilis, quae continetur in utroque iure. Verum lex tam naturalis quam supernaturalis nihil aliud est quam directa emanatio legis aeternae quae continetur in Deo, et est ipse Deus; rursus lex humana nonnisi a lege aeterna vim obligandi habet, ut dictum est superius. Et ideo, uno nomine comprehendendo regulam cui actus nostros oportet commensurari, convenienter ponitur lex aeterna, profecto in quantum homines respicit, et est humanarum voluntatum directiva.

sed ut simpliciter tollens ordinem in finem legis, qui est verus ultimus finis totius humanae vitae. Huiusmodi autem actus dicitur esse *contra* legem, ut in superioribus explicatum est. Quare, cum actus voluntarii distinguantur in elicitos et imperatos, seu in interiores qui sunt *concupita*, et exteriores qui sunt *dicta* et *facta*, sequitur rectam esse definitionem peccati mortalis quam tradidit Augustinus l. 22 contra Faustum c. 27 : « Ergo peccatum est factum vel dictum « vel concupitum contra legem aeternam ».

Caeterum solutiones argumentorum in textu S. Thomae sunt clarae, nec apparet specialis difficultas nisi quod attinet ad peccatum omissionis, cui non videtur convenire proposita definitio. Sed sciendum est quod de huiusmodi peccato loqui possumus dupliciter : vel considerando omissionem secundum se, et sic est aliquid negativum : vel considerando causam omissionis, et sic est semper actus positivus quo quis directe vult omittere rem praeceptam, aut certe vult aliquid aliud per quod impeditur a faciendo quod debet (1). Si ergo loquamur de actu positivo qui est

(1) « Si in peccato omissionis intelligantur etiam causae vel « occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis aliquem « actum esse. Non enim est peccatum omissionis, nisi cum aliquis « praetermittit quod potest facere et non facere. Quod autem aliquis « declinet ad non faciendum illud quod potest facere et non facere, « non est nisi ex aliqua causa vel occasione coniuncta vel praecedente. « Et si quidem causa illa non sit in potestate hominis, omissio non ha- « bet rationem peccati... Si vero causa vel occasio omittendi subiaceat « voluntati, omissio habet rationem peccati, *et tunc semper oportet « quod ista causa, in quantum est voluntaria, habeat aliquem actum, « ad minus interiorem voluntatis*. Qui quidem actus quandoque directe « fertur in ipsam omissionem, puta cum aliquis vult non ire ad eccle- « siam, vitans laborem... Quandoque autem actus voluntatis directe « fertur in aliud per quod homo impeditur ab actu debito, sive illud « in quod fertur voluntas sit coniunctum omissioni, puta cum aliquis « vult ludere quando ad ecclesiam deberet ire, sive etiam sit prae- « cedens, puta cum aliquis vult diu vigilare de sero, ex quo sequitur « quod non vadat hora matutinali ad ecclesiam ». S. Thom., hic, art. 5, in corp.

causa omissionis, et ex quo omissio ipsa habet ut sit voluntaria, sic manifestum est quod definitio proposita convenit ei formaliter. Si vero de omissione secundum se, sic convenit ei reductive, quatenus negatio reducitur ad genus affirmationis, sicut in divinis ingenitum reducitur ad relationem, ut Augustinus dicit in 5 de Trinit., c. 6. Unde pro eodem accipiendum est, dictum et non dictum, factum et non factum. — Et de mortali quidem peccato considerato ex parte substantiae actus, hactenus.

Sin autem sumatur peccatum ex parte privationis, quae in aversione a Deo, vero fine ultimo, iam noscitur consistere, considerandum est quod aversio huiusmodi non potest esse per se voluntaria, cum nullus intendens ad malum operetur, ut dicit Dionysius, de divin. nom. c. 4. Et nihilominus nisi certa quadam ratione esset voluntaria, non haberet rationem culpae. Relinquitur ergo ut sit voluntaria indirecte, id est non ratione sui, sed ratione cuiusdam conversionis ad bonum creatum in quod directe fertur motus voluntatis : dum scilicet, duobus sibi propositis, homo magis eligit incurrere inordinationem peccato inhaerentem, quam ab actu cessare et delectatione privari. Hinc postquam positum est id quod defectum audit, oportet addere illud unde defectui accidit ratio voluntarii, et sic remanet dicendum quod defectus peccati consistit in aversione a Deo per conversionem ad bonum commutabile.

Hic tamen occurrit difficultas, quia constat esse speciale peccatum quod dicitur odium Dei, in quo peccantis intentio videretur directe ferri super aversionem ipsam. Imo idem observatur in omni peccato contra virtutes theologicas. Sed sciendum est quod *aversio de qua nunc loquimur, est aversio a Deo sub ratione summi boni seu veri ultimi finis,* quae quidem *ut sic* non potest induere boni apparentiam, ac per consequens nequit esse unquam per se voluntaria. Aversio autem a Deo *sub ratione prohibentis peccatum et vindicis ordinis iustitiae,* potest aliquando apprehendi a peccatore ut bonum, et pro tanto directe intendi, ita ut sit

obiectum positivi motus appetitivae potentiae, seseque teneat ex parte substantiae actus in supradicto peccato quod est omnium gravissimum (1). Tunc igitur aversio sumpta pro formali privatione ut supra, involvitur in positiva renitentia qua quis movetur contra summum iudicem quem apprehendit ut nocivum sibi, in quantum est peccatorum prohibitor et poenarum inflictor. Haec autem positiva renitentia ultimo radicatur in conversione ad bonum commutabile, puta in appetitu propriae independentiae et libertatis, quia « nihil odio habetur, nisi hoc quod contrariatur « convenienti quod amatur ». Quare aversio a Deo ut fine ultimo nunquam est voluntaria, nisi ratione appetentiae commutabilis boni et renitentiae contra privativum eius, in qua sola potest directa voluntarietas inveniri.

COROLLARIUM

Ergo in mortali peccato aliquid considerari debet ut materiale, et aliquid ut formale. Ut materiale quidem, quatenus homo se convertit ad id quod est extra ordinem finis, indebito modo fruens creatura. Ut formale vero, quatenus ita ad creaturam convertitur ut a Deo sese avertat, in commutabili bono suum ultimum finem constituens.

Primum omnium observabis duplici modo sumi posse *materiale* peccati ; vel pro eo quod est extra rationem con-

(1) « Odium est quidam motus appetitivae potentiae, quae non « movetur nisi ab aliquo apprehenso. Deus autem dupliciter ab homine « apprehendi potest: uno modo secundum seipsum, alio modo per « effectus suos. Deus autem per essentiam suam est ipsa bonitas, quam « nullus habere odio potest, quia de ratione boni est ut ametur... Sed « effectus eius aliqui sunt qui nullo modo possunt esse contrarii vo- « luntati humanae, quia *esse, vivere, et intelligere* est et appetibile « et amabile omnibus, quae sunt quidam effectus Dei. Unde etiam « secundum quod Deus apprehenditur ut auctor horum effectuum, « non potest odio haberi. Sunt autem quidam effectus Dei qui repugnant

stitutivam eius, vel pro eo quod est de ipsius essentia, non tamen ut pars perfectiva. Et simile est etiam in aliis rebus; nam si quis diceret quod materiale albi est substantia, sic assignaret id quod mere subiective se habet ad album in quantum huiusmodi, quia substantia est omnino extra albedinis quidditatem. Sed si dicas quod materiale hominis est animalitas, sic assignas id quod essentiam hominis ingreditur, utique tanquam pars perfectibilis per rationalitatem quae se habet ut forma. Cave ergo aequivocationem, ubi sermo est de peccato. Quandoque enim dicitur quod materiale peccati est a Deo ut a causa prima, et sic *materiale* sumitur pro eo quod est extra essentiam peccati qua peccatum est, mere subiective in eo se habens. Quandoque etiam dicitur quod pro materiali peccati infligitur poena sensus, pro formali vero poena damni, et tunc *materiale* sumitur pro aliquo quod pertinet ad ipsam peccati essentiam, sicut pars determinabilis.

Materiale autem peccati priori modo acceptum, nihil aliud est quam substantia actus *in esse naturae*, prout scilicet physica virtute voluntatis elicitur, minime vere prout est ab eligente unum prae opposito quod pariter erat in eius potestate. Et de huiusmodi materiali non agitur in praesenti, quia nunc intendimus assignare quid materialiter, quidve formaliter se habeat in ipsa ratione peccati constitutiva; quae quidem ratio competit actui considerato *in esse moris*, secundum quod procedit a voluntate reduplicative ut domina suae determinationis. Porro in actu peccati mortalis qua talis, duplex moralis inordinatio continetur. Prior est *conversio ad bonum commutabile extra ordinem veri ultimi*

« inordinatae voluntati, sicut inflictio poenae et etiam cohibitio pecca-
« torum per legem divinam, quae repugnant voluntati depravatae
« per peccatum; et quantum ad considerationem talium effectuum,
« ab aliquibus Deus odio haberi potest, in quantum scilicet apprehen-
« ditur peccatorum prohibitor, et poenarum inflictor ». S. Thom, 2-2 Quaest. 34, a. 1.

finis totius humanae vitae. Hinc enim iam intelligitur actus malus moraliter, id est carens, debita commensuratione ad regulam legis aeternae, quandoquidem lex aeterna nihil permittit quod ad finem referibile non sit. At vero si nihil plus haberetur quam indebita creaturae fruitio, non esset inordinatio tanta, quae ad mortale peccatum sufficeret, ut ex praemissis iam constat, et amplius constabit ex dicendis de peccato veniali. Unde S. Thomas, 2-2, Quaest. 20, a. 3 : « In quolibet peccato mortali principalis ratio mali « et gravitas est ex hoc quod avertit se a Deo. Si enim posset « esse conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, « quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale ». Illud ergo quod moralem inordinationem consummat et veluti constituit in actu perfecto, est *conversio ad commutabile bonum, non solum* **extra,** *sed etiam* **contra** *ordinem finis,* pro quanto homo, postposito Deo, in aliqua re creata, hoc est, in seipso suum finem ultimum ponit, eique adhaeret ut summo diligibili (1). Recte igitur hoc postremum in malitia mortalis peccati consideratur ut formale, primum vero ut materiale.

(1) Iterum atque iterum animadverte quomodo peccator semper convertatur ad bonum finitum tanquam ad ultimum finem, etiam quando peccatum actu aversativo absolvitur, quia eiusdem rationis est aversari malum et prosequi bonum oppositum; omne enim odium in amore contrarii boni fundatur. Unde consequens est, ait Caietanus in 1-2, Quaest. 87, a. 4, ut in omni peccato sit conversio ad commutabile bonum, quamvis diversimode, quia in prosequendo bonum est conversio *formalis,* in fugiendo vero malum est tantum *aequivalens,* dum scilicet fugitur malum quia contrariatur illi commutabili bono. « Peccator namque nimis seipsum amans, ac p r hoc, seipsum consti- « tuens sibi ut finem ultimum, amando inordinate aliquid, seipsum « amat; odiendo vero inordinate aliquid, odit illud ut contrarium sibi « amato, et sic etiam in odio convertitur ad seipsum ». — Considerandum tamen quod potest esse conversio ad creaturam tanquam ad ultimum finem, vel signate, vel tantum exercite. SIGNATE, quidem, si peccator eousque procedat ut velit creaturae rationem ultimi finis, expresse et formaliter eam sibi summum bonum constituendo ; sicut quando Deum amore charitatis prosequimur, non solum diligimus eum

QUAEST. LXXII-LXXIII.

DE DISTINCTIONE PECCATORUM.

Deinde considerandum est de distinctione peccatorum, **primo** quantum ad speciem, **secundo** quantum ad gravitatem.

THESIS II.

(QUAEST. 72).

Peccata specie distinguuntur ex parte actus voluntarii, potius quam ex parte inordinationis in peccato exsistentis, secundum obiecta moraliter mala ad quae peccans convertitur.

1. Videretur tamen dicendum cum Scoto in II Sent. D. 35, quod peccata specie distinguuntur ex parte inordinationis in peccato exsistentis, potius quam ex parte actus voluntarii vel positivae conversionis ad bonum commutabile. Ait enim ipse S. Thomas (1), quod aversio a Deo est in peccato sicut formale, conversio autem ad creaturam sicut materiale. Sed species semper accipitur ex parte formalis. Si autem peccati species se tenet ex parte inordinationis, differentiae peccatorum specificae non debent sumi ab obiectis ad quae peccans sese convertit, sed magis ab oppositis virtutibus a quarum honestate peccando receditur.

super omnia, sed etiam volumus ei bonum quo dignus est amore super omnia. EXERCITE vero, si peccator, etsi non velit creaturae rationem ultimi finis, tamen de facto adhaeret ei non secus ac si esset ultimus finis, praeferens eam Deo. Quocumque autem modo creaturae inhaereatur, peccatum mortale est, tametsi prior modus habeat gravitatem incomparabiliter maiorem; importat enim summum ac supremum gradum superbiae, quem prae se ferunt verba Luciferi, Isai. XIV, 13: *In coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum..., similis ero Altissimo.*

(1) S. Thom. 3ª Part., Q. 86, a. 4 ad 1um.

2. Praeterea, in superioribus duplex definitio peccati fuit assignata : una ex parte substantiae actus, altera ex parte defectus sive privationis. Cuius ratio videtur esse, quia peccatum duplicem habet formalitatem, scilicet formalitatem mali, et formalitatem voluntarii. Ergo non est altera tantum specificatio afferenda, alia omissa. Et si dicitur quod una est privativa et altera positiva, hoc neutram exclusionem causat, quia species alicuius assignatur iuxta naturam eius ; unde si peccatum sit duarum formalitatum, ambae sunt assignandae ; si unius, una tantum. Ita iterum Scotus apud Caietanum in praesenti.

3. Praeterea, esto quod peccata specie distinguantur ex parte substantiae actus, adhuc tamen insufficienter specificativum sumeretur ab obiecto. Contingit enim ut peccata obiecto differant, et nihilominus specie conveniant, sicut videre est exempli causa in peccato inobedientiae, quod esse potest circa materias seu obiecta diversissima, imo inter se omnino contraria. Unde dicit Bernardus, idem esse inobedientiae genus, tam pro sommo quam pro vigilantia monasterii statuta convellere, tantumque esse abbatis transire praeceptum ut dormias, quam si contemnas ut legas. Sed forsitan respondebitur, peccata habere speciem ab obiecto formali, non autem a materiali. At contra, quia obiectum formale videtur esse illud quod movet operantem. Atqui multa sunt peccata quae speciem trahunt aliunde quam ex motivo, sicut apparet in eo qui furatur ut pauperi eleemosynam tribuat, vel ut committat adulterium. Nam in primo casu actus non est peccatum ex motivo ; in altero autem, tametsi sit ex motivo malus, non tamen propria et specifica malitia furti.

4. Insuper peccatum est actus humanus. Sed actus sive operationes distinguuntur specie, non solum secundum fines vel terminos, verum etiam secundum principia activa a quibus exoriuntur, ut S. Thomas dict, art. 3 huius quaestionis. Non ergo sufficienter accipitur specificativum peccati ex parte obiecti.

5. Praeterea, dantur circumstantiae vel speciem mutantes, vel novam speciem actui superaddentes. Redit igitur eadem conclusio : non a solo obiecto peccata specificari.

6. Denique, in confessione sacramentali nihil aliud aperire necesse est nisi mortalia peccata quoad speciem et numerum. Sed poenitens tenetur declarare an peccatum fuerit opere consummatum, necne. Ergo peccatum opere consummatum specie differt a non consummato, quamvis utrumque circa idem obiectum versetur, et sic, idem ac prius.

Sed contra est primo, quod nomina peccatorum specifica sunt nomina actuum positivorum, non autem privationum, iuxta illud Matth. XV–19: « De corde exeunt co-« gitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, « falsa testimonia, blasphemiae ». Sed contra est secundo, quod actus humani sive morales communiter dicuntur specificari ab obiectis ad quae motus voluntatis terminatur.

Respondeo dicendum quod peccatum qua tale non est pura privatio, sed actus voluntarius debito ordine carens, pro quanto terminatur ad aliquod commutabile bonum praeter et contra regulam iustitiae. Necesse igitur est ut peccata specie distinguantur eodem modo ac caeteri actus voluntarii seu morales. Huiusmodi autem consequuntur speciem ab obiectis ad quae terminantur, ut nunc suppono ex materia de actibus humanis. Quot igitur sunt obiecta moraliter mala specie diversa, id est speciali modo a lege aeterna et regula morum discordantia, tot etiam dantur distinctae peccatorum species.

Ad 1^um ergo dicendum quod inordinatio in peccato exsistens duplici modo considerari potest. Uno modo *absolute secundum se*, et hac ratione non est aliquatenus voluntaria, cum voluntas nunquam terminetur ad malum sub praecisa ratione mali, etiam ut ad obiectum mere materiale. Nondum ergo tenetur ipsa intrinseca peccati formalitas, in cuius latitudine speciem inveniri necesse est. Alio modo consideratur inordinatio *prout involuta in prosecutione ali-*

cuius boni praeter et contra iustitiae regulam, et sub hoc respectu tantum voluntarietatem habet, ac per hoc, rationem culpae. Voluntatis enim obiectum sunt res ut consistunt in suo esse extra voluntatem. Unde si quod obiectum contra ordinem ultimi finis exsistat, nequit appetitus terminari ad ipsum cum praecisione eiusmodi contrarietatis, sed necessario fertur in illud prouti est, et inde in ipso voluntario ratio inordinationis enascitur. Quia igitur inordinatio secundum se non habet genericam peccati rationem, neque etiam habere potest specificas eius differentias, sed necesse est ut species se teneat ex parte actus positivi involventis privationem, et per consequens sumatur ab eius obiecto. Ubi autem docet S. Thomas aversionem a Deo esse in peccato formale, conversionem vero ad creaturam sicut materiale, intelligendus est modo iam dicto in corollario thesis praecedentis, de aversione prout contenta in prosecutione boni creati. Alias, omnia mortalia eiusdem speciei forent, cum aversio a vero ultimo fine sit communis nota omnium. Caeterum, ut ipse Angelicus dicit in praesenti, art. 1 ad 2^{um}, etiamsi peccata specie distinguerentur secundum oppositas virtutes a quarum honestate peccando receditur, « in idem « rediret ; virtutes enim distinguuntur specie secundum « obiecta ». Porro recessus a bono et accessus ad malum oppositum sunt duo correlativa quae mutuo se inferunt, ideoque oppositio ad obiectum distinctae virtutis optime arguit speciem peccati, quae tamen, proprie et formaliter loquendo, desumenda est ex obiecto moraliter malo ad quod actus peccaminosus terminatur.

Ad 2^{um} dicendum quod duplex definitio in superioribus proposita, non est nisi duplex modus enuntiandi unam eamdemque indivisibilem peccati quidditatem, secundum quod ab una vel altera e duabus notis in ea concurrentibus initium definiendi accipitur. Sed non ponit duas diversas formalitates concomitanter in peccato se habentes, quia si a deordinatione praescindas voluntarium, vel a voluntario deordinationem, perit ratio peccati quod non est

malum sic et simpliciter, sed malum tale, id est morale, seu consistens in actu voluntario inordinato. Falso igitur assumit Scotus, duplex specificativum esse assignandum.

Ad 3um dicendum quod obiecta a quibus species humanorum actuum desumuntur, non sunt obiecta in esse naturae, sed in esse moris. Contingit autem ut plura obiecta physice diversissima conveniant in una eademque specie morali, quando induunt unam eamdemque rationem sive laudis sive inhonestatis. Unde dormire vel vigilare contra praeceptum superioris computatur pro uno obiecto moraliter malo, sicut etiam discredere Trinitatem Personarum vel septenarium numerum sacramentorum, quia utrobique eadem est inhonestatis ratio in contemptu auctoritatis Dei revelantis consistens. — Ad instantiam vero in obiectione positam facilis responsio est, si modo aequivocationem removeas quae circa obiectum formale nonnunquam accidere solet. Nam sicut formale peccati *quandoque* opponitur ei quod est extra peccati rationem constitutivam (1), sic etiam formale obiectum actus humani dicitur per oppositionem ad illud quod est extra rationem obiecti considerati in esse moris. Cogita verbi gratia specialem malitiam furti quae consistit in accipiendo rem alienam ; sane vero, nihil refert an sit pecunia, vel ager, vel domus, aut aliquid aliud, sed sufficit ut habeatur ratio rei alienae, quae sola pertinet ad formale obiectum peccati in quantum huiusmodi. Sumendo igitur obiectum materiale pro eo quod mere subiective se habet ad id unde ratio malitiae vel laudis enascitur, specificatio actuum humanorum nunquam est a materiali obiecto, sed solum a formali. — Nunc autem formale obiectum *quandoque etiam* sumitur pro eo quod movet agentem ut finis operantis, materiale vero pro eo quod assumitur ut medium ad finem, et in hac acceptione specificatio non est *a solo* formali obiecto. Considerandum enim quod obiectum specificat, praecise in quantum terminat actum, nam actus assimilatur motui

(1) Vide supra, pag. 43 et seqq.

qui habet speciem a termino. Equidem fateri necesse est, actum semper specificari a motivo objectivo, quia semper ad illud terminatur, imo multo magis, cum non terminetur ad medium, nisi ut stat sub ordine finis qui principaliter intenditur. Attamen, etsi secundario, adhuc vere in medium fertur voluntas agentis, et ideo actus contrahit specialem malitiam quae forte in eo continetur, ut sic maneat in tuto veritas vulgati axiomatis : finis non legitimat media.

Ad 4um dicendum quod *actus morales praecise in quantum huiusmodi*, nonnisi ab obiecto specificari possunt, minime vero a principio activo vel impulsivo a quo exoriuntur. Et ratio est quia principium actuum moralium qua morales sunt, est libera voluntas, quae cum sit active indifferens, aequaliter se habet ad utrumlibet. Porro ex indifferenti specificativum sumi non potest, ut evidenter constat. — Sed alia ratio est de actu considerato in esse naturae, prout scilicet procedit a principio determinato ad unum. Unde Angelicus : « Principia activa naturalia, inquit (1), sunt « determinata semper ad eosdem actus, et ideo diversae « species in actibus naturalibus attenduntur non solum se- « cundum obiecta quae sunt fines vel termini, sed etiam « secundum principia activa, sicut calefacere et infri- « gidare distinguuntur specie secundum calidum et frigidum. « Sed principia activa in actibus voluntariis, cuiusmodi « sunt actus peccatorum, non se habent ex necessitate ad « unum, et ideo ex uno principio activo vel motivo possunt « diversae species peccatorum procedere, sicut ex timore « male humiliante potest procedere quod homo furetur, « quod occidat, et haec eadem possunt procedere ex amore « male inflammante ». — Quapropter obiter animadvertere hic iuvat quomodo ex communi doctrina de specificatione actuum nequaquam sequatur, actus supernaturales *qua supernaturales* desumere speciem suam ab obiecto. Non enim eadem est moralitatis et supernaturalitatis formalitas. Insuper prin-

(1) S. Thom., hic, art. 3 in corp.

cipium supernaturale, puta habitus infusus vel quidquid supplet eius vices, minime indifferens est ad utrumque oppositorum ; unde ratio non amplius applicatur. Nihil ergo mirum si multi theologi sentiant supernaturales actus virtutum non tam ab obiecto quam a principio elicitivo supernaturalitatem trahere : quod tamen ut obiter nunc dictum accipias, quia a quaestione satis complexa et praesenti indagini extranea oportet abstrahere.

Ad 5um dicendum quod omnes specificationes ex circumstantiis desumptae reducuntur ad eam quae est ex obiecto. Pro cuius evidentia praemittendum est, circumstantias ad actus morales per se pertinentes, illas solas esse quae ponunt aliquid repugnans regulae rationis et legis aeternae. Omissis autem eis quae sunt mere aggravantes, non relinquitur nisi duplex circumstantiarum genus, quarum aliae trahunt actum in aliam speciem moralem, aliae vero novam speciem disparatam ei superaddunt. Nam, ut dicitur *de Malo*, Quaest. 2, a. 6 ad 2um, non est inconveniens eumdem actum esse sub diversis speciebus peccati, quia species peccati non est species actus secundum suam naturam, sed secundum esse morale, quod comparatur ad naturam actus sicut quale ad substantiam, vel potius sicut deformitas qualis ad subiectum. Sicut ergo non est inconveniens quod idem homo sit caecus et surdus, ita non est inconveniens, eidem actui peccati diversas species morales inesse. — Nunc autem circumstantiae quae speciem moralem mutant, non sunt nisi *circumstantiae obiecti*, includendo in eis circumstantiam actus externi quem quis intendit exercere, quia respectu actus interioris voluntatis, in quo sicut in radice peccatum consistit, actus externus se habet ut obiectum. Iam vero circumstantiae obiecti actum specificantes circumstant quidem obiectum in prima sui consideratione acceptum, et pro tanto circumstantiae nomen iure sibi vindicant ; sed in ulteriori processu rationis accipiuntur ut ponentes in obiecto specialem quamdam convenientiam vel repugnantiam ad re-

gulam morum (1). Et ideo evidens est quod non differt specificatio peccati ex circumstantiis obiecti a specificatione ex obiecto ipso, « quia circumstantia quae dat speciem actui « consideratur ut quaedam conditio obiecti, et quasi quaedam « specifica differentia eius » (2). — Circumstantia autem quae speciei actus praeintellectae superaddit aliam speciem disparatam, non est nisi *circumstantia actus*, et haec est finis operantis, « sicut si quis furetur ut fornicetur, additur quae« dam alia species peccati, propter actum intentionis ten« dentem in malum finem ». Verum praedictus finis est obiectum intentionis, et ideo, licet non det speciem ut ponens

(1) Cogita fornicationem prout cum persona alteri obligata vinculo coniugii, vel delectationem carnalem prout speciali lege voti ipsi peccanti vetitam, et sic de aliis.

(2) « Sicut species rerum naturalium constituuntur ex naturali« bus formis, ita species moralium actuum constituuntur ex formis « prout sunt a ratione conceptae. Quia vero natura determinata est « ad unum, nec potest esse processus naturae in infinitum, necesse est « pervenire ad aliquam ultimam formam ex qua sumatur differentia « specifica, post quam alia differentia specifica esse non possit. Et inde « est quod in rebus naturalibus id quod est accidens alicui rei, non « potest accipi ut differentia constituens speciem. Sed processus ra« tionis non est determinatus ad aliquod unum, sed quolibet dato, « potest ulterius procedere; et ideo, quod in actu uno accipitur ut cir« cumstantia superaddita obiecto quod determinat speciem actus, « potest iterum accipi a ratione ordinante ut principalis conditio obiecti « determinantis speciem actus. Sicut tollere alienum habet speciem ex « ratione alieni, ex hoc enim constituitur in specie furti; et si consi« deretur super hoc ratio loci vel temporis, se habebit in ratione cir« cumstantiae. Sed quia ratio etiam de loco vel de tempore et aliis « huiusmodi ordinare potest, contingit conditionem loci circa obiectum « accipi ut contrariam ordini rationis, puta quod ratio ordinat iniuriam « non esse faciendam loco sacro. Unde tollere aliquid alienum de loco « sacro addit specialem repugnantiam ad ordinem rationis. Et ideo locus « qui prius considerabatur ut circumstantia, nunc consideratur ut prin« cipalis conditio obiecti rationi repugnans. Et per hunc modum, quan« documque aliqua circumstantia respicit specialem ordinem rationis, « vel pro, vel contra, oportet quod circumstantia det speciem actui mo« rali vel bono vel malo ». S. Thom. 1-2, Quaest. 18, art. 10.

aliquam conditionem circa obiectum actus furandi, actum tamen illum specificat secundum quod consideratur ut obiectum alterius actus circumstantis, cuius rationem furtum participat, utpote ab eo imperatum. Et sic iterum reducitur specificatio ad eam quae est ab obiecto.

Ad 6^{um} denique dicendum quod in obligatione confitendi speciem peccati includitur obligatio declarandi id quod facit peccatum in sua specie completum. Sciendum enim est quod aliqua peccata sunt quae perficiuntur solo corde, ut haeresis, delectatio morosa, et alia eiusmodi ; unde si addatur opus externum, utputa si haeresis manifestetur in sermone, tunc est novum peccatum omnino distinctum a priori, et ex consequenti distincte in confessione manifestandum. Alia autem peccata sunt quae perfectionem sui non habent nisi in opere, sicut furtum, adulterium, fornicatio, homicidium, etc., et in hoc genere peccatum cordis et peccatum operis non differunt ut peccata diversarum specierum, sed sicut incompletum et completum in eadem specie, « Aliqua, inquit S. Thomas (1), inveniuntur differre « specie dupliciter : uno modo, ex eo quod utrumque habet « speciem completam, sicut equus et bos differunt specie ; « alio modo, prout secundum diversos gradus in aliqua ge- « neratione vel motu accipiuntur diversae species, sicut « aedificatio est completa generatio domus, collocatio autem « fundamenti et erectio parietis sunt species incompletae... « Sic igitur peccatum dividitur per haec tria, scilicet peccatum « cordis, oris, et operis, non sicut per diversas species com- « pletas, nam consummatio peccati est in opere ; unde pec- « catum operis habet speciem completam. Sed prima inchoatio « eius est quasi fundatio in corde, secundus autem gradus « eius est in ore, tertius gradus iam est in consummatione « operis. Et sic, haec tria differunt secundum diversos gradus « peccati ». Itaque necessitas aperiendi in confessione exsecutionem operis, non est quia exsecutio trahit in aliam spe-

(1) S. Thom. hic, art. 7 in corp.

ciem, sed quia id quod ad speciem pertinet nondum satis innotescit, praetermisso eo unde peccatum habet ut sit in esse specifico completum, et ideo ratio obiecta non concludit.

Recte igitur ad distinctionem specificam peccatorum pertinere dicitur divisio qua dividuntur in spiritualia et carnalia (art. 2), in peccata contra Deum, contra seipsum, et contra proximum (art. 4), item in peccata superabundantiae et defectus ; non autem divisio secundum causas impulsivas (art. 3), vel secundum omissionem et commissionem quando omissio et commissio ex sese ad idem ordinantur (art. 6). Prior enim illa divisio sumitur ex obiectis, minime vero haec posterior.

Denique animadvertes quod etsi peccatum veniale et peccatum mortale differant in infinitum ex parte inordinationis (1), nihil tamen prohibet quominus venialia ad genus et speciem mortalium peccatorum aliquo modo pertineant. Ratio est quia specificatio sumitur ex parte conversionis ad obiectum actus. Sed peccatum mortale et peccatum veniale quandoque conveniunt in eodem genere obiecti, sicut in hoc quod est accipere alienum, imo etiam in eodem obiecto simpliciter, nam primus motus semideliberatus circa adulterium est peccatum veniale. Non tamen pertinent ad idem genus vel eamdem speciem nisi omnino secundum quid, sicut perfectum generis et imperfectum, quatenus scilicet in veniali obiectum est in se imperfectum ratione parvitatis materiae, vel certe est imperfecte volitum ratione defectus sufficientis deliberationis. De quo iterum infra, ubi ex professo natura venialis peccati exponetur. Nunc de comparatione peccatorum ad invicem agendum est. Hinc :

(1) Peccatum veniale et peccatum mortale in infinitum differunt, ut dicitur 1^{a} 2^{ae}, Q. 88, a. 4 in argumento *Sed contra*, quia veniale peccatum non importat sicut mortale aversionem a Deo, nec est contrarium amori Dei super omnia, et non tollit ordinem ad ultimum finem.

THESIS III.

(QUAEST. 73).

Non omnia peccata mortalia sunt inter se paria, sed dantur alia aliis graviora, sive ex genere suo, sive ex circumstantiis intra eamdem speciem aggravantibus, sive demum ex maiori intensione voluntatis.

§ 1.

Haec positio est contra Stoicos et quosdam antiquos haereticos quos refert et confutat S. Thomas, *de Malo*, Quaest. 2, a. 9. Sed et expresse tradita invenitur in Scripturis. Dicitur enim Ioan. XIX–11 : « Qui me tradidit tibi, maius « peccatum habet ». Et iterum, Matth. V-22 : « Omnis qui « irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit « raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus « erit gehennae ignis » (1). Accedunt etiam omnia loca ubi poenae inferni inaequales esse asseruntur : « Verumtamen, « inquit Matth. XI-22, Tyro et Sidoni remissius erit in die « iudicii quam vobis ».

Ratio autem intrinseca sequitur ex dictis, quia gravitas peccati ex quantitate inordinationis manifeste sumenda est. Porro in moralibus inordinatio non est pura privatio, sed privatio semper retinens aliquid de ordine rationis, ut supra

(1) *Reus judicio*, per allusionem ad tribunal quod apud Judaeos dicebatur *iudicium*, habens judicare de criminibus inferioris gradus, puta de adulterio, homicidio, etc. – *Reus concilio*, per allusionem ad tribunal supremum, quod vocabatur *concilium* sive *synedrium*, ad quod pertinebat judicium de gravioribus, velut de blasphemia, de sacrilegio, de impostura in materia religionis. – *Reus gehennae ignis*, per allusionem ad vallem Ennon quam torrens Cedron interfluebat, in qua temporibus regum, atrocissimo sceleris genere, Judaei idololatrae filios suos et filias consecrabant per ignem idolo Moloch. cf. 4 Reg. XXIII, 10; Jerem. XXXII, 35, etc.

in prolegomeno ostensum est. Et ideo suscipit magis et minus ex parte eius quod remanet de opposito, ut scilicet quanto plus tollitur de rectitudine actus, tanto etiam longius a Deo fine ultimo recedatur, tantoque gravior incurratur reatus. « Stoici, inquit S. Thomas (1), ducebantur ex hoc « quod considerabant peccatum ex parte privationis tantum, « prout scilicet est recessus a ratione ; unde simpliciter aesti- « mantes quod nulla privatio susciperet maius et minus, « posuerunt omnia peccata esse paria. Sed si quis diligenter « consideret, inveniet duplex privationis genus. Est enim « quaedam simplex et pura privatio quae consistit quasi « in corruptum esse, sicut mors est privatio vitae, et tenebra « est privatio luminis ; et tales privationes non recipiunt « magis et minus, quia nihil residuum est de habitu opposito ; « unde non minus est mortuus aliquis primo die mortis « et tertio vel quarto, quam post annum quando iam cadaver « fuerit resolutum ; et similiter non est magis tenebrosa « domus si lucerna sit operta pluribus velaminibus, quam « si sit operta uno solo velamine totum lumen intercludente. « Est autem alia privatio non simplex, sed aliquid retinens « de habitu opposito, quae quidem privatio magis consistit « in corrumpi quam in corruptum esse... Huiusmodi autem « privationes recipiunt magis et minus ex parte eius quod « remanet de habitu contrario. Multum enim refert ad aegri- « tudinem vel turpitudinem, utrum plus vel minus a debita « commensuratione humorum vel membrorum recedatur... « Et similiter dicendum est de vitiis et peccatis ; sic enim « in eis privatur debita commensuratio rationis, ut non « totaliter ordo rationis tollatur... Et secundum hoc di- « cendum est quod non omnia peccata sunt paria ».

Dices : *Non datur infinitum infinito maius. Sed gravitas cuiuslibet peccati mortalis est infinita, propter offensam Dei quae in eo continetur. Ergo in gravitate peccatorum mortalium diversi gradus nequaquam esse possunt.*

(1) S. Thom., hic art. 2.

Respondeo, infinitatem peccati non esse infinitatem simpliciter, ad quam non sufficit infinitas dignitatis ex parte offensi, sed necessaria etiam esset ex parte offensoris adaequata cognitio maiestatis quam contemnit. Quare infinitas ista non est nisi secundum quid, videlicet per comparationem ad obsequia et satisfactiones purae creaturae, a quibus quantumvis perfectione et numero crescentibus divina iniuria nunquam compensari potest, ut in materia de Incarnatione explicari solet (1). Porro omne infinitum secundum quid, est finitum simpliciter, adeoque in suo genere diversitatem graduum admittit, praesertim si, ut in casu, non alia de causa rationem infinitatis prae se ferre dicatur, nisi quia gravitate sua transcendit omnem assignabilem quantitatem reparationis quae ab hominibus possit Deo offerri.

Dices iterum: *In quolibet peccato mortali ratio mali et gravitas est ex hoc quod avertit se a Deo. Sed aversio a Deo ultimo fine est simplex privatio conversionis, quae ex sui ratione magis et minus non suscipit. Ergo omnia mortalia peccata in gravitate aequalia sunt.*

Respondeo: *Dist. mai.* Ratio mali et gravitas est ex hoc quod se avertit a Deo fine ultimo, aversione quae sit secundum se voluntaria, *neg. mai.* Aversione quae non est voluntaria nisi prout involvitur in prosecutione cuiusdam boni, vel veri vel apparentis, *conc. mai.* — Et similiter distinguenda minor. Aversio non susciperet magis et minus, si esset voluntaria directe et secundum se, *conc.* Si est voluntaria tantummodo ratione conversionis ad aliquod bonum creatum, *neg.* Sic enim evidens est quod quanto magis bonum istud opponitur ultimo fini per maiorem contrarietatem ad bonum charitatis, tanto etiam magis peccator a Deo se elongat. Et ad eamdem conclusionem devenitur si consideretur maior minorve intensitas cum qua homo adhaeret creaturae, rectitudinis regula praetermissa.

(1) Cf. *de Verbo incarnato*, Quaest. 1, Thes. 2.

Dices tertio: *Omnia peccata mortalia contrariantur substantiae charitatis ; ergo omnia eiusdem gravitatis sunt.*

Respondeo : *Dist. antec.* Omnia peccata mortalia eodem modo contrariantur substantiae charitatis, *neg. antec.* Diverso modo, id est, vel directe vel indirecte, et si solum indirecte, vel plus vel minus, secundum quod bonum a peccatore concupitum plus minusve opponitur Deo ut summo ac supremo diligibili, *conc. antec.* Unde negatur consequentia. — Et re quidem vera, peccatum directe charitati oppositum, omniumque gravissimum, non est nisi peccatum quo odio habetur Deus, quia contrarium amoris odium est. Et licet non possit odio haberi Deus praecise ut Deus, sed solum ut peccatorum prohibitor et poenarum inflictor, adhuc tamen charitas et odium circa idem *obiectum quod* versantur, et hoc sufficit ad directam oppositionem. – Indirecte autem charitati opponitur omne peccatum quo quis, etsi Deum non oderit, nihilominus postposito Deo, plus appretiative diligit creaturam. Et in hoc ordine iterum multi gradus assignari possunt ; nam aliqua sunt peccata quae etsi non habeant directam oppositionem ad charitatem, directe tamen opponuntur aliis officiis circa Deum, puta fidei vel religioni ; et ista magis repugnant dilectioni debitae Deo fini ultimo, quam si solum laederent ea quae sunt ad finem. Sicut plus elongatur ab amando Deo super omnia, qui vult esse independens a Deo veritate prima per incredulitatem, quam qui solum perrumpit foedus societatis humanae subripiendo rem alienam per furtum. Quare, hisce principiis innitendo, pronum est determinare unde accipi debeant gradus gravitatis in peccato.

§ 2.

Primo accipitur *ex genere seu specie peccati*, ac per consequens, ex morali specie obiecti ; actus enim speciem habet ex obiecto, ut in propositione praecedenti dictum est. « Gra-« vitas ergo peccati quam habet ex specie sua attenditur

« ex parte obiecti sive materiae, et secundum hanc conside-
« rationem gravius peccatum dicitur ex suo genere, quod
« maiori bono virtutis opponitur. Unde cum bonum virtutis
« consistat in ordinatione amoris, ut Augustinus dicit, Deum
« autem super omnia diligere debeamus, peccata quae sunt
« (directe) in Deum, sicut idololatria, blasphemia, et huius-
« modi, secundum suum genus sunt reputanda gravissima.
« Inter peccata autem quae sunt in proximum, tanto aliqua
« sunt aliis graviora, quanto maiori bono proximi oppo-
« nuntur. Maximum autem bonum proximi est ipsa vita ho-
« minis, cui opponitur peccatum homicidii quod tollit actua-
« lem hominis vitam, et peccatum luxuriae quod opponitur
« vitae hominis in potentia, quia est inordinatio quaedam
« circa actum generationis humanae. Unde inter omnia
« peccata quae sunt in proximum, gravius est homicidium
« secundum genus suum, et secundum locum tenet adulte-
« rium, et fornicatio, et huiusmodi peccata carnalia ; ter-
« tium autem locum tenet furtum, et rapina, et huiusmodi,
« per quae in exterioribus bonis laeditur proximus. In sin-
« gulis autem horum generum sunt diversi gradus, in quibus
« mensuram peccati secundum genus suum oportet accipere
« secundum quod bonum oppositum magis vel minus per
« charitatem debet amari » (1).

Secundo accipitur peccati gravitas *ex circumstantiis quae dicuntur simpliciter aggravantes*, quia vel augent deformitatem provenientem ex alia circumstantia, vel multiplicant rationem peccati in eadem specie. « Circumstantia
« tripliciter se habere potest ad actum peccati. Quandoque
« enim neque variat speciem, neque aggravat, sicut percu-
« tere hominem indutum veste alba vel rubra. Quandoque
« vero speciem peccati constituit, sive actus cui advenit cir-
« cumstantia ex suo genere indifferens sit, sicut cum aliquis
« levat festucam de terra in contemptum alterius ; sive sit
« bonus ex genere, sicut cum aliquis dat eleemosynam

(1) S. Thom., *de Malo*, Quaest. 2, art. 10.

« propter laudem humanam ; sive sit malus ex genere et ad- « datur sibi alia species malitiae ex circumstantia, sicut « cum aliquis furatur rem sacram. Aliquando vero aggravat « quidem peccatum, non tamen constituit peccati speciem, « sicut cum aliquis furatur multum » (1).

Tertio demum peccati gravitas sumitur *ex intensione voluntatis ;* ex quo fit ut plerumque plus peccet qui peccat voluntate et actu, quam qui sola voluntate. « Sunt enim « aliqui actus peccati delectabiles in quibus voluntas augetur « quasi remoto freno rationis quae ante actum aliqualiter « remurmurabat ; qualitercumque autem sit inaequalitas « voluntatis est inaequalitas peccati ». Et ex eadem ratione provenit quod peccata carnalia, ut plurimum, minoris culpae sint quam spiritualia, quia in carnalibus plura sunt incentiva voluntatem ad peccandum inclinantia praeter naturam et ordinem voluntatis, quae nata est moveri libere ex seipsa secundum iudicium rationis, Porro quidquid minuit voluntarium minuit in eadem proportione et peccati gravitatem.

QUAEST. LXXIV–LXXXIV.

DE SUBIECTO ET CAUSIS PECCATORUM.

Deinde considerandum est de subiecto et causis actuum peccati. In quo quidem, omissis iis quae vel sunt facilioris intellectus, vel originale peccatum specialiter respiciunt, vel denique ad materiam theologiae moralis exclusive pertinent, haec pauca sufficiet animadvertere.

§ 1.

Actus peccati est operatio voluntaria debito ordine carens. Operatio autem voluntaria dicitur non tantum quasi elicita a voluntate, sed etiam quasi ab eadem imperata. Unde subiectum actus peccati non est sola voluntas, sed

(1) S. Thom., *de Malo*, Quaest. 2, art. 7.

omnis etiam potentia quae nata est, vel moveri ad actus suos per voluntatem, vel ab eis ponendis impediri.

Considerandum tamen est quod si de subiecto peccati loquamur, *cui peccatum attribuitur*, sic subiectum peccati non est nisi potentia pincipaliter operans, quia « actio magis « attribuitur principali et primo agenti quam instrumento », ut dicitur *de Malo*, Quaest. 7, a. 6 in corpore. — Hinc PRIMO, subiectum peccati hoc modo acceptum non debet reponi in exterioribus membris corporis, quae utpote mera organa, comparantur ad animam moventem sicut servus qui agitur et non agit (1). — Hinc SECUNDO, subiectum peccati potest esse sensualitas prout est participative rationalis et libera, si quando inordinate se moveat praeter regulam rationis cui nata est obedire (2). — Verum TERTIO, peccatum quod sensualitati attribuitur, non potest esse nisi veniale, quia in motum sensualitatis inordinatum vel consentit voluntas plene deliberata, vel secus. Si consentit, iam non sensualitati ut principaliter agenti attribui debet peccatum, sed voluntati seu rationi quae circa delectationem malam immoratur nec eam repellit, « tenens et volvens libenter quae statim ut attigerunt animum, respui debuerunt », ut Augustinus dicit, l. 12 de Trin. c. 12. Si secus, potest equidem sensualitati tanquam principali peccatum attribui, eo quod deest simpliciter dictus rationis consensus ; verum in his rerum adiunctis, locum amplius non habet aversio ab ultimo fine, quae in omni et solo mortali peccato invenitur (3). — Quapropter QUARTO, mortale peccatum nonnisi in voluntate et ratione est ; voluntatem dico et rationem, pro quanto motus voluntatis potest dici rationalis, et actus rationis

(1) « Membra corporis non sunt principia actuum sed solum or- « gana ; unde et comparantur ad animam moventem sicut servus qui « agitur et non agit. Potentiae autem appetitivae interiores comparan- « tur ad rationem quasi liberae, quia agunt quodammodo et aguntur ». S. Thom., hic, Q. 74, a. 2. ad 3^{um}.

(2) S. Thom. ibid. art. 3.

(3) Ibid. art. 4.

voluntarius (1). — Sed QUINTO, quia ratio versatur tam circa divina quam circa temporalia, et sic distinguitur in superiorem et inferiorem, dicendum est peccatum mortale esse proprie in ratione superiori, ad quam cum pertineat consideratio ultimi finis et legis aeternae in hunc ipsum finem dirigentis, pertinet etiam ordinare omnia inferiora secundum rationes quae in lege illa continentur (2). — Nihilominus SEXTO, per hoc non excluditur quin ratio superior possit esse subiectum peccati etiam venialis ex genere suo, si forte deliberate consentiat iis quae ex sese sunt praeter, et non contra ordinem finis ultimi cui conspiciendo intendit (3). — Quin imo SEPTIMO, circa ipsum proprium eius obiectum, propter imperfectionem actus, veniale peccatum in ea esse contingit, sicut cum quis habet indeliberatum motum infidelitatis, vel desperationis, vel blasphemiae, aut si quid aliud eiusmodi (4).

§ 2.

De causis peccati adhuc brevior sermo nobis esse debet. Constat quippe peccatum habere causam, et maxime *causam interiorem*, cum causa sufficienter complens peccatum sit sola voluntas, quae tamen in volendo regulatur ex iudicio rationis, et saepe trahitur ex inclinatione appetitus sensitivi. Et ideo tres praecipuae peccatorum causae interiores recensentur : IGNORANTIA ex parte rationis, infirmitas seu PASSIO ex parte appetitus sensitivi, ac demum MALITIA ex parte voluntatis. Dicitur autem peccatum esse ex certa malitia, quando voluntas ex seipsa in malum movetur, et non ex incentivo passionis quasi extrinseco impulsu ad peccandum. Sed haec in theologia morali ex professo explicantur.

De causis *exterioribus* dicendum est quod sunt vel homo

(1) Ibid. art. 5, ad 2^{um}.
(2) Ibid. art. 7.
(3) Ibid. art. 9.
(4) Ibid. art. 10.

vel daemon, suggerendo, suadendo, et tentando ; nullo autem modo Deus, tametsi Deus sit causa prima totius actionis in esse physico consideratae, iuxta superius declarata in prolegomeno § 2.

Denique de causa peccati *secundum quod unum peccatum ex alio oritur*, observa originem eiusmodi multiplici modo considerari posse, sed praesertim in quantum obiectum unius peccati in finem alterius ordinatur, sicut ex. gr. objectum fraudis quod est decipere, ordinatur ad accumulandam pecuniam, finem avaritiae. Et quia in moralibus species est ab obiecto, ideo haec est formalis et completa origo peccati ex peccato, a qua vitium *capitale* nominatur. Porro, « salvatur ibi metaphora *capitis*, secundum « quod principem alicuius exercitus *caput* in exercitu dicimus, « quia princeps exercitus est ad cuius finem totus exercitus « ordinatur, ut ex 12 Metaphysicorum patet ; et per hunc « modum illud vitium ad cuius finem alia ordinantur, caput « eorum dicitur. Et ideo Gregorius ponit vitia capitalia quasi « duces, et alia vitia quae ex eis oriuntur, ponit exercitum « eorum ». De quibus legendus est S. Thomas, tum hic, tum praesertim *de Malo*, Quaest. VIII–XV, ubi etiam maxime illustrat fundamentale principium quo peccata ex genere suo mortalia, ab iis quae sunt ex genere venialia discernuntur.

CAPUT SECUNDUM

DE HIS QUAE ACTUM PECCATI CONSEQUUNTUR

Deinde considerandum est de effectibus actus peccati, et primo de corruptione naturae. Porro in bonis naturae recensentur, tum ipsa principia naturae constitutiva et proprietates ex his causatae sicut potentiae animae et alia huiusmodi, tum inclinatio ad virtutem quam homo ex natura habet secundum quamdam inchoationem (1), tum denique gratuitum orginalis iustitiae donum quod fuit in primo homine toti naturae humanae collatum. Primum igitur ex his tribus nec tollitur nec diminuitur per peccatum, tertium vero per peccatum primi parentis totaliter ablatum est ; sed bonum medium scilicet inclinatio ad virtutem, etsi non possit totaliter consumi quia semper manet eius radix in natura

(1) « Aliquid dicitur alicui homini naturale dupliciter, inquit « S. Thomas, 1-2, Q. 63, a. 1 : uno modo ex natura *speciei*, alio modo ex « natura *individui*. Et quia unumquodque habet speciem secundum « suam formam, individuatur vero secundum materiam, forma vero « hominis est anima rationalis, materia vero corpus : ideo id quod conve- « nit homini secundum animam rationalem est ei naturale secundum « rationem speciei, id vero quod est ei naturale secundum determina- « tam corporis complexionem, est ei natu ale secundum naturam « individui... *Utroque autem modo virtus est homini naturalis secundum « quamdam inchoationem*. Secundum quidem naturam speciei, in quan- « tum in ratione hominis insunt naturaliter quaedam principia natura- « liter cognita tam scibilium quam agendorum, quae sunt quaedam « seminaria intellectualium virtutum et moralium... Secundum vero « naturam individui, in quantum ex corporis complexione aliqui sunt « dispositi vel melius vel peius ad quasdam virtutes.... Sic ergo patet « quod virtutes in nobis sunt a natura secundum aptitudinem et in- « choationem, non autem secundum perfectionem, praeter virtutes theo « logicas quae sunt totaliter ab extrinseco ».

rationali, imminuitur tamen per peccatum personale. Ratio est quia per actus humanos fit quaedam inclinatio ad similes actus, et inclinatio ad unum contrariorum minuit inclinationem ad aliud, ut constat. Quapropter omnia vulnera quae consecuta sunt ex peccato originali, *proportionaliter* etiam in personali peccato considerantur. « Per iusti-« tiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animae « vires, et ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subiecta. Haec « autem originalis iustitia subtracta est per peccatum primi « parentis, et ideo omnes vires animae remanent quodam-« modo destitutae proprio ordine quo ordinantur ad vir-« tutem, et ipsa destitutio vulneratio animae dicitur. Sunt « autem quatuor potentiae animae quae possunt esse su-« biecta virtutum ; scilicet ratio in qua est prudentia, vo-« luntas in qua est iustitia, irascibilis in qua est fortitudo, « concupiscibilis in qua est temperantia. In quantum ergo « ratio destituitur suo ordine ad verum, est *vulnus igno-« rantiae*. In quantum vero voluntas destituitur ordine ad « bonum, est *vulnus malitiae*. In quantum vero irascibilis « destituitur suo ordine ad arduum, est *vulnus infirmitatis*. « In quantum vero concupiscibilis destituitur ordine ad « delectabile moderatum ratione, est *vulnus concupiscentiae*. « Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanae « naturae ex peccato primi parentis. Sed quia inclinatio « ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum « actuale, etiam ista sunt quatuor vulnera ex aliis peccatis « consequentia, in quantum scilicet per peccatum et ratio « hebetatur praecipue in agendis, et voluntas induratur ad « bonum ,et maior difficultas bene agendi accrescit, et concu-« piscentia magis exardescit » (1). Unde Scriptura, Eccli.

(1) S. Thom., hic, art. 3 in corp. — Quoad ea quae ibi habentur de subiecto moralium virtutum, nota quod subiectum habitus qui simpliciter virtus dicitur, non potest esse nisi voluntas, vel aliqua alia potentia prout est mota a voluntate. Unde prudentia est in intellectu secundum quod habet ordinem ad voluntatem; et similiter fortitudo

XXI, 2-5, gravissimis verbis nos admonet : *Quasi a facie colubri fuge peccata, et si accesseris ad illa suscipient te. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum ; quasi romphaea bis acuta omnis iniquitas, plagae illius non est sanitas.*

Sed cum in his nihil occurrat quod specialem requirat expositionem, dicendum est potissimum de duplici reatu qui in anima ex actu peccati relinquitur, et primo quidem de reatu culpae.

QUAEST. LXXXVI.

DE REATU CULPAE ET MACULA PECCATI

De eo nunc defectu agimus, quem peccati actus inducit, et a quo homo usquedum remissionem sit consecutus, habitualiter peccator denominatur. Dicitur REATUS CULPAE vel PECCATUM HABITUALE (1), et non differt secundum rem a MACULA PECCATI de qua S. Thomas in praesenti. Ratione tamen distinguitur quatenus eadem privatio prout tollit ordinem ad Deum finem ultimum, consideratur ut *culpa*,

et temperantia sunt in appetitu sensitivo, id est in irascibili et concupiscibili, secundum quod sensitivus appetitus natus est moveri per appetitum rationalem. De his cf. 1-2, Quaest 56, a. 3 et 4.

(1) Cave ne confundas peccatum habituale de quo nunc loquimur, cum habitibus vitiosis qui ex frequentatione actuum peccati generantur. Differt enim ab eis quantum ad causam, et quantum ad essentiam, et quantum ad effectus. *Quantum ad causam*, quia peccatum habituale consequitur quemlibet actum peccati; habitus vitiosus non causatur nisi ex repetitione peccatorum eiusdem speciei. *Quantum ad essentiam*, quia habitus vitiosus est quaedam physica dispositio, in potentiis animae quae ad actum peccati concurrunt subiectata; peccatum vero habituale nihil physicum in anima ponit praeter gratiae privationem. *Quantum ad effectus*, quia peccatum habituale facit hominem damnationi obnoxium, dum e contra contingere potest ut nihil damnationis sit in eo qui adhuc multis habitibus vitiosis ante conversionem ex frequentia operum peccati generatis, implicatur.

et prout tollit decorem animae debitum, consideratur ut *macula*, Uterque ergo respectus est singillatim declarandus. Sit itaque primo :

THESIS IV.

Peccatum habituale, formali quidem significatione dicit statum culpabilitatis et aversionis a Deo, qui per actum peccandi inducitur. Significatione vero materiali, in praesenti ordine naturae elevatae, dicit privationem gratiae sanctificantis prout dependentem ab actu voluntario qui praecessit, et adhuc imputabiliter quoad sequelas in esse perseverat.

Veritatem peccati habitualis multae auctoritates Sacrae Scripturae attestantur. Nam in Scripturis, « quaedam pec-« cata dicuntur actualia..., alia vero habitualia, sive in modum « habitus inhaerentia. De actualibus loquitur Ioannes in prima « epistola c. 3, cum ait : *Omnis qui facit peccatum, non est « ex Deo.* De habitualibus autem, cum ait eodem loco : *Et « scitis quoniam in hoc ille apparuit, ut tollat peccata nostra,* « quae scilicet adhuc in modum habitus in nobis manent. « Item Isaias. c. 17, cum inquit : *Hic est omnis fructus, « ut tollatur peccatum.* Item David, Psalm. 50 : *Et a peccato « meo munda me.* Et denique omnia Scripturae testimonia « quibus significatur homo habere peccata personalia, vel « mundari, liberari, aut ablui ab illis tanquam adhuc in animo « haerentibus, ad eiusmodi genus peccatorum accommo-« danda sunt. Nam actus pravus, cum illico transeat, non « tollitur postea velut aliquid animo haerens, sed peccatum « in modum habitus manens. Atqui hoc peccati genus est « illud a quo quis vere nominatur et est peccator, etiam « post peractum opus pravum » (1).

(1) Gregorius de Valentia, tom. 2, D. 6, q. 2.

Nunc autem, ut eius quidditas declaretur, in primis considerandum est quod peccati actus est violatio divinae legis. seu voluntaria eius transgressio. Est etiam, et ex consequenti, offensa sive iniuria illata Deo, quia per peccati actum abiicitur finis ille ad quem ordinat lex divina, qui est Deus ipse, ut postposito Deo, finis collocetur in creatura. Atqui, ait S. Thomas, *de Verit.* Q. 28, a. 3 : « Quicumque rem aliquam di-« gniorem indigniori postponit, iniuriam ei facit, et tanto « amplius, quanto res est dignior. Quicumque autem in re « temporali finem sibi constituit, ex hoc ipso quantum ad « affectum suum praeponit creaturam Creatori, diligens « plus creaturam quam Creatorem ; finis enim est quod « maxime diligitur ».

Insuper considerare oportet quod omne delictum contra legem quam dictat conscientia, omnis offensa contra Deum, postquam transiit actu, remanet in suo morali effectu, qui est debitum sustinendi imputationem culpae, quamdiu non intercesserit, vel aequivalens ex parte delinquentis satisfactio, vel certe aliqualis retractatio coniuncta cum liberali eius ad quem pertinet, condonatione. Id namque sensus communis docet, id omnia iura velut inconcussum principium habent.

¶ Denique, prae oculis habendum est quod cum de mortalibus peccatis agitur, *condigna* quidem satisfactio a puro homine nequaquam dari potest, uti nunc suppono ex dictis ubi de convenientia incarnationis. Sed potest nihilominus dari satisfactio ad destructionem reatus *de congruo* sufficiens, imo debitam faciens offensae condonationem : debitam autem dico, non certe sicut debita est retributio pro meritis, sed sicut debitum dicendum est id quod condecet divinam bonitatem seu misericordiam (1) ; et haec est, contritio charitate perfecta. Non enim salva maneret divinae bonitatis ratio, si peccatori rectificanti se circa ultimum finem, seseque denuo convertenti ad Deum ex toto corde, adhuc remaneret offensa non remissa. Et hoc sensu dici solet quod contritio

(1) Cf. S. Thom. 1ª Part. Quaest. 21, a. 1 ad 3^{um}.

amore perfecta expellit ex natura rei culpae reatum. Est demum et alia *retractatio imperfecta*, per quam scilicet abiicitur peccati affectus, nondum tamen ex motivo amoris Dei super omnia. Quae etsi neque ex natura rei, neque ex iure positivo sufficiens sit ad ablationem reatus, tollit tamen obicem impedientem ne per opus operatum, id est per sacramentum tanquam Dei instrumentum, remissio perficiatur, ut suo loco apparebit. Verum, praeter haec, nulla possibilitas cessationis imputabilitatis culpae, et quamdiu imputabilitas non cessat, tamdiu perdurat reatus seu status culpabilitatis (1).

Quibus suppositis, dico : Peccatum habituale nihil aliud est quam peccatum actuale, reatu manens. Sed peccatum actuale consistit in actu transeunte avertendi se a Deo, per voluntariam conversionem ad bonum creatum. Oportet igitur ut habituale peccatum formaliter sit status aversionis a Deo, dependens ab actione peccaminosa, secundum quod in ordine ad suas sequelas manet non destructa. Habes itaque assignatam formalem nominis significationem, cum de habituali culpa sermo est.

At vero, bene notavit S. Thomas, *de Pot.* Q. 9, a. 4, quod aliud est loqui de formali ratione alicuius nominis, aliud vero de eo in quo talis ratio salvatur. Sicut hoc nomen *persona*, formali quidem significatione importat distinctum subsistens in natura intellectuali ; significatione vero mate-

(1) Nota quod imputabilitas dupliciter accipitur. Primo est imputabilitas peccati considerati in se, id est in sua actualitate transeunte, et per ordinem ad instans in quo commissum est. Et ista est inauferibilis. Secundo est imputabilitas peccati considerati in suis sequelis, id est, in eo quem induxit culpabilitatis statu, et per ordinem ad durationem quae instans commissionis consequitur. Et ista est auferibilis per satisfactionem et condonationem, quia satisfactio et condonatio vere destruit culpam, non quidem in se, faciendo ut quod commissum est, commissum non fuerit, aut non ab eo commissum qui reapse commisit; sed in suis consequentiis, faciendo ut in posterum amplius non valeat ad perseverantiam moralis status quem prius induxerat.

riali, in creatis dicit aliquid absolutum, in divinis dicit relationem, quatenus in Deo nihil aliud praeter relationem potest esse distinctum. Et aliquid simile contingit in praesenti. Si enim loquamur de formali significatione huius nominis *habituale peccatum*, nonnisi una est, et semper eadem. Verumtamen non in eodem verificatur pro duplici hypothesi naturae purae vel elevatae. Nam certe, homo in praesenti ordine est habitualiter conversus ad finem suum, per supernaturalem habitum gratiae et charitatis ; ergo et ab eodem fine habitualiter aversus, per hoc quod gratia sanctificante privatur : quod non fuisset in statu naturae purae. Ergo etiam, in hac ipsa privatione peccatum habituale *nunc* consistat necesse est. Non tamen in ea absolute sumpta, sed sumpta cum eo quod est ratio eius, id est, cum actu voluntario malo, secundum quod in esse morali imputabilitatis adhuc perseverat. Nam « privatio gratiae non habet « rationem culpae, sed poenae, nisi in quantum est ex vo- « luntate » (1).

Quae igitur cum ita sint, statim licet concludere quod in praesenti ordine, remissio culpae consistit in duobus inseparabiliter connexis : Tum in hoc quod offensa per condonationem destruitur, ut non valeat amplius ad effectum constituendi hominem in statu aversionis a Deo ; tum in hoc quod ipse status aversionis aufertur per reordinationem hominis ad Deum (2). Quorum utrumque fit formaliter per

(1) In II, D. 33, a. 1 ad 2^{um}.

(2) Cf. S. Thom. *de Verit.* Q. 28, a. 6, ubi, comparat remissionem culpae *ablationi umbrae*. Sicut, inquit, ablatio umbrae importat non solum remotionem tenebrae, sed remotionem corporis impedientis diffusionem luminis: ita remissio culpae non solum importat ablationem absentiae gratiae, sed ablationem impedimenti gratiae quod erat ex actu peccati praecedente, non ut actus ille non fuerit, quia hoc est impossibile, sed ut propter illum influxus gratiae non impediatur.

Notabis etiam, quid distat inter *condonationem offensae* de qua nunc sermo, et *non imputationem eius sensu protestantico intellectam*. Nam illa condonatio, quae semper supponit mutationem voluntatis in peccatore, dicit veram destructionem debiti super quo imputatio

infusionem gratiae. Nam si consideretur infusio gratiae ut a Deo, sic importat receptionem in amicitiam, et receptio in amicitiam formaliter aufert offensae imputabilitatem. Si autem consideretur ut in homine, sic importat inductionem status conversionis ad Deum, et inductio status conversionis ad Deum formaliter aufert statum aversionis a Deo, ut in terminis constat.

Interim vero cavendum est ne in reatu culpae sola consideretur absolute sumpta gratiae privatio, sed per prius attendenda ratio privationis, quae in aliqua actus voluntarii imputabilitate consistit. Alias, nec staret culpae formalitas, nec possibile esset reatus peccatorum multiplicari, aut reatum unum alio graviorem exsistere. Quippe, privatio gratiae secundum se, nonnisi una est, nec maior in uno, nec minor in altero. Nunc autem si gratiae destitutio rationem culpae non habet nisi in sua connexione cum voluntariis actibus imputabiliter (sensu declarato) perstantibus, apparet quomodo ex hac parte, reatus peccatorum tam numero quam gravitate distinguantur. Et idem proportionaliter sentiendum est quoad maculam peccati, de qua sit sequens propositio.

fundatur, ut scilicet vere, et non fallaciter cesset imputari id quod reipsa imputabile amplius non est. In systemate autem protestantico, cum nihil omnino mutetur, nec in voluntate nec in statu peccatoris, ista quam dicunt, *non imputatio*, plena est falsitatis, quia per illam non imputantur ea quae semper manent imputabilia et imputanda, permanente scilicet fundamento seu debito imputationis. Sed in hunc suum errorem inductus est Lutherus per hoc quod dicitur in Psalmo: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, non intelligens quod cum de non imputatione Dei agitur, necessario est accipienda talis non imputatio quae sit efficax suae veritatis, ac per hoc, destructiva reatus, quo perdurante, mendax esset imputatio iustitiae, seu non culpabilitatis. Unde, praescindendo etiam ab eo quod in remissione culpae addit praesens nostra ad supernaturalem ordinem elevatio, evidenter falsa et erronea est protestantium de iustificatione opinio. – Cf. S. Thom. 1-2, Q. 113, a. 2 ad 2^{um}.

THESIS V.

Macula peccati est re idem cum culpa habituali, sed ratione differt, et ideo dupliciter potest peccatum auferri, vel per modum ablutionis maculae, ut fit in Baptismo, vel per modum remissionis culpae, ut in sacramento Poenitentiae.

Peccatorum maculas omnes fere paginae Scripturae commemorant. Nam Ezech. XXXVI–25, de futuro baptismo Novae Legis dicitur : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Isai. IV-4 : *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion.* Et iterum Iosue XXII-17 : *An parum vobis est quod peccatis in Beelphegor, et usque in praesentem diem macula huius sceleris in vobis permanet ?* – Ratio etiam apud S. Thomam in praesenti evidens est. Nam sicut macula in corporalibus proprie dicitur quando aliquod corpus nitidum perdit suum nitorem ex alterius corporis contactu : ita sane in spiritualibus dicetur metaphorice, quando anima decorem gratiae amittit ex spirituali velut conglutinatione ad commutabile bonum cui per amorem inhaesit inordinate. Recte igitur et convenienter privatio nitoris gratiae in ordine ad suam causam quae est actus peccati, macula nominatur.

Atque hinc etiam evidenter apparet quomodo macula et culpa habitualis sint re omnino idem. Quod autem formalitate differant, non minus perspicuum est. Ratio enim culpae ponit voluntariam aversionem ab ultimo fine, et ratio maculae accipitur per respectum ad subiectum, in quantum macula debitum decorem ab anima aufert. Et ideo, sicut iam supra dictum est, eadem gratiae privatio subit aliam atque aliam denominationem, secundum quod consideratur uno modo ut detrimentum nitoris proveniens ex

spirituali contactu obiecti moraliter mali, vel alio modo ut habitualis separatio a Deo opposita unioni charitatis (1).

Porro, si macula et culpa sunt idem realiter, constat quod macula auferri nequit quin eo ipso auferatur et culpa, vel viceversa. Sed si sunt ratione distincta, duplici modo iustificatio impii potest signo sacramentali significari, quatenus sacramentum vel significat directe emundationem a maculis, vel significat directe solutionem a vinculo culpae : hoc in Poenitentia, illud in Baptismo. Nam forma baptismi est : *ego te baptizo*, id est, te abluo a maculis ; sed forma Poenitentiae est : *ego te absolvo a peccatis tuis*, id est, ego iudex dico sive facio ius secundum quod debitum est ut pro reo innocens habearis, adeoque ut a morali ligamine imputationis peccatorum quo erga Deum eras obstrictus, liber exsistas. Et haec animadversio maximi momenti est ad distinctionem utriusque sacramenti intelligendam, uti suo loco ostendetur ; in praesenti enim sufficiat innuisse.

QUAEST. LXXXVII.

DE REATU POENAE

Deinde considerandum est de reatu poenae, qui nihil aliud est quam obligatio ad poenam, ut habetur in II. D. 42, q. 1, a. 2. Ad rectam autem dicendorum intelligentiam necesse est aliqua praemittere de poena in genere, et de variis poenarum generibus.

(1) Haec facile intelliges si animadvertas, gratiam sanctificantem dupliciter considerari: *primo*, ut principium rectae habitudinis ad Deum, conversionis ad Deum, debitae ordinationis ad Deum; *secundo*, ut principium beatitudinis animae, perfectionis animae, decoris animae, summi bene esse animae. Proinde, si primo modo consideretur gratia, tunc privatio eius habet rationem habitualis aversionis a Deo, ac per hoc, culpae. Si secundo modo, rationem habet destitutionis debiti decoris in anima ipsa, ac per hoc, non tam culpae quam poenae, ut in sequenti quaestione dicetur. Cf. Gregorium de Valentia, ubi supra, Q. 16, Punct. unic.

1. **De ratione poenae in generali.** — Sciendum in primis est quod in rebus voluntariis malum poenae condividitur contra malum culpae, et ita quidem condividitur, ut *secundum praesentem providentiae ordinem* (1), quidquid in rationali creatura mali rationem habet, vel culpa sit, vel poena. « Habet enim hoc traditio fidei, ait S. Thomas, « *de Malo*, q. 1, a. 4, quod nullum nocumentum creatura « rationalis potuisset incurrere, neque quantum ad animam, « neque quantum ad corpus, neque quantum ad aliqua « exteriora, nisi peccato praecedente vel in persona vel saltem « in natura. Et pari ratione in angelis, et sic omne malum « rationalis creaturae vel sub culpa vel sub poena (de facto) « continetur ».

Differentia autem inter poenam et culpam est triplex, ut passim docet S. Doctor. Nam primo, culpa est prior poena ut poenae inductiva ; poena vero est posterior culpa ut per ipsam inducta. Secundo, culpa rationem habet voluntarii, poena autem est contra voluntatem ; voluntatem dico vel actualem, sicut cum quis scienter patitur aliquod nocumentum, vel habitualem, sicut cum alicui ignoranti

(1) Atqui praesens providentiae ordo non est ordo debitus conditioni nostrae; quod quidem serio considerandum est contra aliquos adeo praesumentes de iuribus creaturae adversus Deum, ut existiment iniustum esse si creatura patiatur, secluso peccato: quo vix absurdius aliquid cogitare est. Deus enim nihil debet creaturae, et creatura nullum ius habet adversus Deum. Si quid ergo creaturae debitum dicitur, in tantum dicitur debitum, in quantum Deus suae sapientiae et bonitati debet ut creaturae aliquid conferat. Porro ordo sapientiae et bonitatis divinae minime exigit ut creatura ponatur in statu praeternaturali; aliunde vero impassibilitas est praeter naturam creaturae, praesertim corporalis, cum ipsa ex suis principiis propriis sit malo physico obnoxia. Ne ergo ex sensibilitate vel imaginatione res metiaris, sed magis ex ratione. Verum, ad factum quod attinet, per revelationem accepimus tantam fuisse liberalitatem Dei erga creaturas rationales, ut in eo statu eas condiderit in quo, si non peccassent, nihil mali paterentur. Hoc igitur sensu dicendum est, malum earum vel sub culpa vel sub poena contineri.

subtrahitur aliquod bonum de cuius privatione doleret si sciret. Tertio demum, culpa importat deviationem ab ultimo fine humanae vitae, prout a voluntario agente est ; poena vero importat corruptionem proprii ac privati boni eius qui peccat, prout in invito patiente est.

Itaque, dum culpa opponitur bono honesto, poena opponitur bono delectabili, ac per hoc generaliter definiri potest : *Ablatio seu privatio boni delectabilis quam ratione culpae, contra naturalem appetitum suae voluntatis, creatura rationalis patitur.* Dixi contra naturalem appetitum voluntatis, quia dupliciter consideratur voluntas, vel ut natura, vel ut ratio. Porro ad rationem poenae sufficit ut sit contra voluntatem ut naturam, etsi forte consentiat voluntas ut ratio, sicut cum in recompensationem culpae praeteritae aliquis sibi poenam spontaneus assumit, vel etiam a Deo illatam patienter sustinet (1). Utroque tamen modo, quantum tollitur de involuntario, tantum adimitur de poenalitate.

2. **De poena concomitante, et poena inflicta.** — Cum igitur culpa de sui ratione sit voluntaria deviatio a fine universi, poena vero importet detrimentum quo quis invitus suo proprio bono privatur : impossibile sane est, *ut idem secundum idem sit poena simul et culpa*, quia idem secundum idem non potest esse voluntarium et contra voluntatem, neque etiam idem secundum idem privat ordi-

(1) « Aliquid dicitur voluntarium dupliciter. Uno modo, volun-« tate absoluta, et sic nulla poena est voluntaria, quia ex hoc est ratio « poenae, quod voluntati contrariatur. Alio modo dicitur aliquid vo-« luntarium voluntate conditionata, sicut ustio est voluntaria propter sa-« nitatem consequendam, et sic aliqua poena potest esse voluntaria « dupliciter. Uno modo, quia per poenam aliquod bonum acquirimus, « et sic ipsa voluntas assumit poenam aliquam, ut patet in satisfactione, « vel etiam libenter eam accipit, et non vellet eam non esse, sicut « accidit in martyrio. Alio modo, quia quamvis per poenam nullum « bonum nobis accrescat, tamen sine poena ad bonum pervenire non « possumus, sicut patet de morte naturali, et tunc voluntas non as-« sumit poenam, et vellet ea liberari, sed eam supportat, et quantum ad « hoc voluntaria dicitur ». S. Thom., in IV, D. 21, q. 1, a. 1, q. 4.

nem finis universi, et tollit privatum bonum peccatoris. Sed, *secundum diversa nihil prohibet quominus idem sit poena et culpa,* sicut nihil impedit quin ei quod volumus, sit aliquid coniunctum quod naturaliter voluntati repugnet, ita ut quaerendo quod volumus, incurramus in id quod nollemus (1). Unde etiam minime repugnat quin culpa secum ipsa poenam concomitanter afferat ; imo vero in peccantibus necesse est id evenire. Et re quidem vera, fieri ominno nequit ut quis tendat in commutabile bonum tanquam in finem ultimum, quin incurrat in seipso deformitatem et privationem perfectionis sibi maxime debitae. Haec autem deordinatio habet omnes poenae conditiones, tum quia privat propriam animae rectitudinem quae est unicuique delectabilis, tum quia etsi indirecte simpliciter voluntaria, semper tamen est involuntaria secundum quid. Si enim peccator posset frui bono quod concupiscit non incurrendo illam, profecto illam non vellet. Et simili modo omnes passionum anxietates sunt in peccantibus contra naturalem tendentiam voluntatis eorum, nam iracundus eligit sic insurgere in punitionem alterius, ut ipse ex hoc nullam molestiam, nullum laborem pateretur ; unde cum in ista incidit, poenale ei est, idemque dic de conscientiae remorsu, aliisque eiusmodi. Haec itaque sunt quae vocantur poena peccati *concomitans,* de qua intelligitur clamor impiorum in novissimo die, Sap. V–7. « Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, ambula- « vimus vias difficiles » (2).

Sed ab hac poena concomitante distingui debet poena quae est ab extrinseco, utpote a vindice Deo *inflicta,* iuxta

(1) S. Thom., *de Malo,* Q. 1, a. 4 ad 1^{um}.

(2) Hae viae sunt difficiliores, id est anxietatibus omnis generis magis refertae, quam viae iustorum in hoc mundo. Dicit alicubi Philosophus quod delectatio perficit operationem sicut pulchritudo iuventutem; est enim sicut quidam decor operationis, ipsa delectatio; quo fit ut beatitudo in sua essentia nihil aliud sit quam operatio perfectissima circa obiectum altissimum, cui adnexa est delectatio summa ut connaturalis proprietas. Quare cum eadem sit contrariorum ratio,

illud S. Thomae in II, D. 27, q. 1, a. 5 : « Culpae redditur « duplex poena. Una quae concomitatur ipsam culpam, ut « conscientiae remorsus et huiusmodi, secundum quod Au- « gustinus dicit l. 1 Confess. c. 12, quod inordinatus animus « sibi ipsi est poena. Alia quae infligitur a iudice Deo vel « homine ». Et omnis ratio differentiae inde est repetenda, quod poenae concomitantis sufficiens causa est peccatum, non modo meritoria, verum etiam effectiva et quasi exsecutiva; poenae vero inflictae causa efficiens non est nisi Deus, large nunc sumendo rationem effectionis, prout se extendit etiam ad eas privationes quarum aliquis est auctor, non quidem agendo, sed potius non agendo.

Hinc vides privationem gratiae sub alio et alio respectu pertinere tum ad culpam habitualem, tum ad poenam concomitantem, tum ad poenam inflictam. Nam secundum quod accipitur ut verificans in praesenti ordine rationem aversionis a fine qui Deus est, sic est constitutiva culpae habitualis, omnia intelligendo iuxta praemissa in quaestione praecedenti. Rursus, secundum quod in eodem praesenti ordine verificat rationem inquinamenti quod actus peccati imputabiliter perseverans ponit in anima, sic est poena concomitans. At vero, considerata absolute prout est physica destitutio radicalis principii supernaturalis beatitudinis, sic non habet causam nisi eum solum a cuius physico influxu pendet gratiae infusio et conservatio, et pro tanto ad poenam inflictam pertinere dicenda est.

Haec igitur de poena concomitante et inflicta generaliter dicta sint ; in quo solum restat observandum quod ubi de *reatu poenae* agitur, prior illa omittitur, et sola considerari debet posterior.

3. **De poena quae infligitur in remedium salutis,**

sicut delectationis puritas perfectioni operationis proportionatur, ita anxietas et perturbatio inordinationi eius; non enim frustra homo ab ordine sui veri finis, etiam nunc se subtrahit, et propter hoc dicent impii in inferno: *Ambulavimus vias difficiles !*.

et ea quae est ex pura iustitia in vindictam violationis ordinis. — Ulterius nunc considerandum venit quod poena inflicta dupliciter considerari potest : vel ut denuntiata seu comminata, vel ut actu illata seu inferenda. Et siquidem sumatur ut comminata, sic semper medicinalis est, utpote habens pro fine retractionem hominum a peccato, iuxta illud Psalmi LIX-6 : « Dedisti metuentibus te significationem, « ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui » (1). Si autem sumatur ut actu illata, sic non semper est medicina iis qui eam subeunt, sicut patet evidenter de poenis quae inferuntur post mortem.

Sumendo igitur poenam inflictam prout actu illatam vel inferendam, dividitur in eam quae est in remedium salutare (sive eius qui punitur, sive etiam aliorum), et eam quae est pure in vindictam violationis ordinis iustitiae. — Ad primum genus pertinent poenae vitae praesentis, de quibus tamen nihil taxatum invenitur in Dei providentia, hoc sensu scilicet quod nec infallibiliter consequuntur culpas, nec eisdem certa lege commensurantur ; quin imo, saepe saepius a maximis peccatoribus absunt, cum maior punitio sit non puniri hoc genere poenae quam puniri (2). Hinc de iniquis dicitur Iob. XXI-7 : *Impii vivunt, sublevati sunt, confor-*

(1) Sensus est: *Dedisti metuentibus te significationem*, sive denuntiationem et comminationem poenarum aeternarum, ut a peccato abstinentes *fugiant a facie arcus*, hoc est a poenis peccatoribus praeparatis, et *liberentur* atque in aeternam beatitudinem recipiantur *dilecti tui*. Sicut si dux volens auferre militibus velleitatem abeundi retro, et compellere eos ad victoriam, publicaret se posuisse in posterioribus exercitus, qui in ore gladii percutiant fugientes. Et sic verum est quod poena qua denuntiata, semper est in bonum rationalis creaturae, ut scilicet saltem metu compellatur tendere in veram beatitudinem, quam alias in tenebris huius vitae constituta et fascinatione nugacitatis decepta, negligeret. Et sic etiam verum est quod nemo regulariter perveniret in caelum si non esset infernus denuntiatus, quia non amplius foret locus *initio sapientiae*, quod est timor Domini.

(2) Nam et medici austeras potiones propinant infirmis, ut conferant sanitatem.

tatique deliciis. Et Habac, I-13 : *Quare respicis super iniqua agentes, et taces, devorante impio iustiorem se?* Et Psalm. LXXII-3 : *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns... ; in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia.* — Ad secundum autem genus pertinent poenae futurae quae non ex Dei misericordia, sed ex sola iustitia procedunt, et ideo rigorose commensurantur culpis, cum venerit dies Domini in quo unicuique a iusto iudice retribuetur secundum opera sua. Atqui iterum illae solae sunt quae considerari debent in praesenti, nam per reatum poenae intelligitur obligatio ad poenam infallibiliter taxatam iuxta culpae quantitatem. et haec est poena venturi aevi.

4. **De poena inflicta futuri saeculi prout in poenam damni et poenam sensus dividitur.** — Utriusque ratio distinctiva tripliciter assignata invenitur a S. Thoma : vel scilicet per respectum ad Deum a quo poena infligitur, vel per respectum ad subiectum cui infligitur, vel denique per respectum ad culpam propter quam infligitur.

Per respectum ad Deum qui infert poenam, sic ad poenam damni pertinet omnis poena cuius Deus est auctor per simplicem subtractionem influxus, ad poenam vero sensus ea cuius est auctor per actionem etiam positivam. « Quae« dam est *poena damni* ut subtractio gratiae et huiusmodi. « et harum poenarum Deus causa est, non quidem agendo « aliquid, sed potius non agendo ; ex eo enim quod Deus « gratiam non influit, consequitur in isto gratiae privatio. « Quaedam vero *poena sensus* est, quae per aliquam actionem « infligitur, et huius, etiam agendo, Deus est auctor » (1). — Per respectum autem ad subiectum cui poena infertur, sic *poena damni* est omnis poena formaliter consistens in simplici privatione, *poena vero sensus* ea quae consistit in cruciatu positivo. Unde S. Thomas (2) poenam sensus remo-

(1) S. Thom., in II, D. 37, q. 3, a. 1, in corp.
(2) *De Malo*, Quaest. 5, a. 2.

vens a pueris in solo originali decedentibus, excludit ab eis illud omne cui proprie convenit nomen tormenti, supplicii, cruciatus, vel gehennae. Imo in articulo sequenti expresse refert ad poenam sensus, afflictionem quae alias ex privatione visionis Dei consequitur : « Nulla, inquit, ratio vi- « detur esse quare subtrahatur eis (pueris) exterior poena « sensus, si attribuitur eis interior afflictio quae est multo « magis poenalis, et magis opponitur mitissimae poenae « quam Augustinus eis attribuit ». — Denique per respectum ad culpam pro qua poena infertur, sic poena sensus illa est quae respondet conversioni ad commutabile bonum, poena vero damni illa quae respondet aversioni ab incommutabili bono : « Ex parte igitur aversionis respondet peccato *poena* « *damni*, quae etiam est infinita ; est enim amissio infiniti « boni, scilicet Dei. Ex parte autem inordinatae conversionis « respondet ei *poena sensus* quae etiam est finita » (1).

Quibus suppositis, facile possunt ad concordiam redigi varia dicta doctorum ; potest etiam videri quis sit aptior modus loquendi, ut claritati consulatur. Equidem iuxta omnes privatio gloriae secundum se ad poenam damni exclusive pertinere dicenda est, quacumque consideratione facta ; et similiter gehenna ignis ad poenam sensus. Unde non occurrit dubium nisi de afflictione maxima quae oritur ex privatione visionis Dei in iis qui personaliter peccaverunt, et in termino vitae iam constituti sciunt se ad gloriam caelestem advocatos, sua maxima culpa a tanto bono excludi. Sed dicendum quod sub alia et alia consideratione, modo ad poenam damni, modo ad poenam sensus recte reducitur. Si enim attendas divisionem poenae sensus et poenae damni per respectum ad subiectum, prout scilicet ponit in eo vel puram privationem vel dolorem positivum : sic evidens est quod praedicta afflictio ad poenam sensus est referenda (2).

(1) S. Thom., hic, a. 4, in corp.

(2) « Poena sensus, inquit S. Thomas *de Malo*, q. 5, a. 2, in corp., « opponitur integritati naturae et bonae eius habitudini ». Atqui ai-

Si autem divisio attendatur per respectum ad Deum inflictorem poenae, vel ad culpam pro qua poena infligitur, sic e contra referri debet ad poenam damni ut naturalis sequela eius. Non enim positiva actione infert Deus afflictionem hanc, sed ipsa ad subtractionem beatitudinis propter personales culpas sponte sua consequitur. Et simili modo in taxatione poenae pro aversione a Deo non seiungitur privatio ab annexa afflictione, sed per modum unius iure meritoque utrumque sumitur. Nunc vero observa quod modus loquendi *plerumque* conformis est huic posteriori considerationi. Nam cum poena damni nominatur, generatim consignificari solet interior afflictio privationem beatitudinis consequens, ita ut ex parte poenae sensus sola se teneat gehenna ignis. Verumtamen si sermo sit de iis qui decedunt in originali absque reatu peccatorum personalium, poena damni nihil aliud importat quam puram privationem, eo quod pro originali peccato nulla est poena positiva in futura vita, uti suo loco dicetur. Vide ergo quomodo ex subiecta materia amplitudo sensus sit semper determinanda.

Ultimo animadvertendum occurrit quod in purgatorio dilatio gloriae non habet *simpliciter* rationem poenae damni, quandoquidem anima ibi possidet gloriam in radice inamissibilis gratiae, necnon et in expectatione quam scit absolute certam atque infrustrabilem. Est tamen dilatio ista maxime poenalis, quia etsi in hac vita carentia visionis Dei non sit privatio veri nominis, (nam ut dicitur. l. 3 c. Gent., c. 144, privatio alicuius non est nisi quando natum est haberi, non enim catulus mox natus dicitur visu privatus) : at certe statim post finem vitae talis efficitur, et ex tunc annexam habet punitivam afflictionem. Verum in infinitum distat a poena damnatorum (1) cui soli nomen damni attribuere

flictio quaelibet, undecumque orta, privat bonam naturae habitudinem, ut constat. Ergo ex hac parte dolor ortus ex privatione supernaturalis beatitudinis pertinere dicendus est ad poenam sensus.

(1) In inferno nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat, nec aliquid tollitur de ratione poenae, quia damnati utpote voluntatem

solent ; et hoc debuit convenienter hic notari, ne forte ex confusione nominum sequatur aliquando confusio conceptuum. Nunc autem post notiones praeambulas, ad ipsam doctrinae expositionem accedamus oportet. Hinc. :

THESIS VI.

(Art. 1).

Omne peccatum inducit reatum poenae proportionatae pro futura vita in foro Dei.

Haec est fundamentalis assertio, cuius sensus recte assequaris oportet. Non enim dicitur omne peccatum in praesenti vita commissum, fore de facto puniendum in futura; contingit enim peccatum hic remitti et quantum ad culpam et quantum ad poenam. Sed asseritur semper induci reatum, id est ligationem ad poenam alterius vitae, sive postea reatus ille ante mortem solvatur, sive non.

Hoc igitur sensu, assertio est valde obvia tam in Scripturis quam in doctrina Sanctorum. Inter alia autem revelationis testimonia ponderandum est verbum Domini, Matth. XII-36 : « Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum « quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in « die iudicii » (1). Nam de eo solo reddetur ratio in futuro

habentes obstinatam in malo, iustitiae Dei totaliter repugnant. Ast in purgatorio adest charitas, imo charitas confirmata quae nec potest amitti, nec iam compatitur motum aut affectum ullum qui praeter rectum ordinem existat. Quapropter purgantes animae consentiunt poenis suis, sicut et Dei iustitiae quae poenas ordinat. Porro, ut supra habitum est, quantum adimitur de involuntario, tantum tollitur de poenalitate.

(1) Vix potest aliquid inveniri quo fundamentale principium moralitatis magis illustretur; hinc enim habemus quod *verbum otiosum* est quoddam malum morale ; nunc autem iure inquiritur quidnam verbo otioso inesse possit, unde ei mali moralis ratio conveniat ? Et nihil

iudicio, de quo est poena taxata in foro Dei. Sed in futuro iudicio rationem reddent homines etiam de verbo otioso, hoc est de omni actu qui ex suo genere omnino indifferens, tantummodo iusta necessitate caruit, vel pia utilitate ; et hoc est minimum quid in ordine peccatorum. Ergo a fortiori reatus poenae inducitur per quamlibet aliam culpam, nihilque excipitur a generalitate verborum Apostoli, Rom. II-9 : « Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis « malum, Iudaei primum et Graeci ».

Ratio etiam intrinseca est in aperto, nam lex de sui ratione habet vim coercitivam; coercitio autem legis est per timorem poenae ; requiritur ergo ut lex poena proportionata sanciatur. Sed lex Dei prohibet omne peccatum. Ergo omne peccatum inducit in foro Dei reatum poenae ; non autem pro praesenti vita, ut constat ex praemissis ; ergo pro futura, in qua unicuique iuxta opera sua a iusto iudice retribuitur. Accedit et argumentum S. Thomae in praesenti. Videmus enim hoc esse in natura rerum, ut quisquis insurgit contra ordinem aliquem, a principe huius ordinis deprimatur. Ergo omnis qui insurgit contra ordinem iustitiae, deprimi debet ab eo qui huius ordinis princeps exsistit, contrahendo scilicet reatum poenae in iudicio eius. Sed omnis peccans

aliud occurrit nisi irreferibilitas in finem; quippe *otiosum* idem est ac extra ordinem finis (quod redundat et non est ad rem). Sed quis tandem ille est finis, cuius respectu verbum dici potest otiosum, et quia otiosum, ideo deordinatum ac punibile? Non certe ipse homo, cui si verbum dicere lubet, per hoc ipsum implet beneplacitum suum et in hoc ordine nihil otiosum facit. Neque etiam alius finis a quo homo se toto non dependeat: nec tu, nec ille, nec creatura qualiscumque; nam etiamsi respectu tui, vel illius, vel cuiuslibet creaturae, otietur verbum meum, quaeso te, quis adeo desipiet ut dicat ipsum esse hoc titulo inordinatum? Non enim constituor ego sub ordine tuo, nec tu sub meo; unde nihil est deordinationis si nec actio tua ad me tendit, nec mea ad te. Ergo unus solus finis est, cuius respectu aliquid intelligitur ex ipsa sua otiositate malum: ille, inquam, finis ad quem omnes meas actiones referre teneor, et iste est Deus, totius moralitatis principium et terminus.

agit contra iustitiae ordinem cuius princeps est Deus. Ergo sequitur eadem conclusio, in qua cum non occurrat specialis obscuritas, statim ad ampliores quasdam determinationes veniendum est, ut in thesi sequenti.

THESIS VII.

(Art. 3-5).

Omne et solum peccatum mortale per se inducit reatum poenae aeternae, quae etiam est duplex: poena quidem damni respondens inordinationi aversionis a vero ultimo fine, et poena sensus respondens inordinationi conversionis ad indebitum finem. Porro aeternae punitionis ultima ratio est aeterna permanentia moralis inordinationis in humana voluntate, quae post mortem non est amplius flexibilis circa ultimum finem, sed in eo fine cui in instanti mortis adhaerebat, immobiliter ac necessario ex rei natura obfirmatur.

Iterum distingue reatum poenae a punitione ipsa, quia potest incurri reatus, quin sequatur punitio, si forte reatus solvatur antequam veniat tempus luendi poenam. Hinc duplex pars in thesi iure meritoque distinguitur; et primo agendum de ipso reatu quem *ex sese* et *suapte vi* peccatum inducit, considerando poenam peccati tam quoad durationem quam quoad quidditatem.

§ 1.

Quod omne mortale peccatum inducat reatum **aeternae poenae damni,** indubia Sacrae Scripturae testimonia attestantur. Legitur enim in 1 Cor. VI-9: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles... regnum Dei possidebunt.* Ergo quisquis elapso tempore viae, quod solum iuxta Scripturas assignatur poenitentiae et remissioni

peccatorum, reus invenitur alicuius e supradictis sceleribus, ita ut fornicarius vel adulter vere nominetur et sit (1) : absolute et in perpetuum a regno Dei manet exclusus, ideoque aeterna poena damni punitur per privationem beatitudinis caelestis. Porro huius poenae reatus non incurritur, ut constat, quando homo moritur, sed quando peccat ; post mortem enim incipit tantum inamovibiliter persistere et ad exsecutionem perduci. Peccatum itaque semper efficit hominem reum aeternae poenae damni, tametsi toto tempore quo vita praesens agitur, reatus ille simul cum culpa quam consequitur, possit auferri. — Et eodem modo ratiocinaberis circa illud Evangelii, Matth. XXIV-41 : *Tunc dicet et his qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti.* Quid est enim excludi a consortio Christi regis gloriae in illa regeneratione et novo natali totius universi, nisi longe fieri ab ea Ierusalem ubi est haereditas filiorum in visione Dei ? Iterum ergo inculcatur poena damni, cuius reatum incurrit quisquis malus efficitur per voluntariam a Deo aversionem, et quantum est ex vi huius aversionis, debet habere locum inter eos qui a sinistris erunt. — Item, Apoc. XXI-XXII, describens Ioannes regnum in quo Sancti Deo fruuntur, munditiam absolutam aeternae illius civitatis multis prosequitur : ubique aurum mundum simile vitro mundo, ubique plateae nitidissima luce resplendent, nec sine sacro quodam terrore cogitari potest, quanta sit puritas requisita ut quis ambulet per fulgentes vias, et vel appropiet ad muros quorum singuli lapides margaritae sunt. Quare ab hoc paradiso gloriae vox egreditur dicens : *Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidae, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.* In quo iterum atque iterum denuntiatur peccatoribus finalis et definitiva a beatitudine exclusio ; unde eadem conclusio sequitur ac supra.

Reatum quoque **aeternae poenae sensus** notissimae

(1) Nota hic, quod de aliis mortalibus peccatis eadem evidenter ratio est.

auctoritates nos edocent. Dicitur enim Marc. IX-42 : *Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam, bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire.... in ignem inexstinguibilem.* Sed nulla esset haec consequentia si mortale peccatum, cuius occasio vel causa hic removeri iubetur, non faceret hominem reum gehennae ignis perpetui. Dicitur etiam Matth. XXV-41 : *Discedite a me in ignem aeternum,* et infra : *Ibunt hi in supplicium aeternum,* et Isaiae ultimo : *Ignis eorum non exstinguetur,* et Apoc. XIV-11 : *Et fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum.* De quibus grandis nobis sermo esse deberet, si occurreret necessitas demonstrandi proprietatem verborum Scripturae quoad ignem inferni, vel etiam declarandi qua ratione ignis torqueat animas et spiritus angelicos. Sed haec omnia non sunt huius loci, cum praesens indago solum respiciat veritatem reatus interminabilis poenae quae non solum in privatione beatitudinis, sed etiam generatim in positiva inflictione alicuius contrarii consistat. Porro, quocumque modo ignem interpreteris, duo saltem satis superque perspicua sunt : primo quidem nomine ignis significari positivum instrumentum divinae iustitiae ad vindictam peccati ; tum praeterea, huius ignis poenam denuntiari aeternam, id est nunquam omnino finiendam. — Constat primum, quia ignis qui paratus est diabolo et angelis eius (1), ignis extans in loco tormentorum (2), ignis qui armatur ad ultionem inimicorum (3), gehenna quam sicut torrens sulphuris succendit flatus Domini (4), profecto non est aliquid de genere privationum, sed res quaedam a Deo facta, et ab eo ordinata in cruciatum impiorum. — Constat pariter et secundum, cum ubique ignis ille dicatur inexstinguibilis, et expresse appelletur aeternus. Nec valet si opponas quod in poeticis locu-

(1) Matth., XXV-41.
(2) Luc., XVI., 24-29.
(3) Sap., V-18.
(4) Isai. XXX-33.

tionibus V. T., aeternitas quandoque non absolutam interminabilitatem, sed solum durationis diuturnitatem significet. Nulla enim hic paritas esse potest, tum quia in Novo Testamento nusquam vox αἰώνιος eo sensu adhibita invenitur, tum quia eodem tenore impiis denuntiatur ignis aeternus quo iustis vita aeterna, tum denique quia subiecta materia et scopus orationis omnem haesitationem manifeste excludunt, quandoquidem in praefatis locis aliisque similibus explicatur consummatio saeculi et ultimus terminus omnium rerum, post quem nihil ultra expectandum erit, regno caelorum in toto universo immobiliter constituto (1).

Nunc si praedictorum rationem intrinsecam quaeras, considera primo quam necessario per mortale peccatum *aeterna poena* incurratur. Et principium totius argumentationis hinc sumendum est, quod quidquid moralitatis or-

(1) « Commoneo ut de diaboli angelorumque eius correctione et « in pristinum statum reparatione sapere nihil audeas, non quia dia- « bolo et daemonibus invideamus... sed quia ultimae sententiae summi « et veracissimi Iudicis ex nostra praesumptione addere nihil debemus. « Ipse enim se similibus eorum dicturum esse praedixit: *Ite in ignem « aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius.* Nec movere debet, « ut hoc loco aeternum pro diuturno accipiamus, quod alibi scriptum « est: *In aeternum et in saeculum saeculi*... Sed quisquis prudenter « advertit quod dictum est, *ite in ignem aeternum*, illud esse dictum « quod non habet finem, a contrario probat eo ipso loco evangelico « de vita aeterna quam iusti accepturi sunt; non enim et ipsa habet finem. « Ita enim conclusit: *Ibunt illi in ambustionem aeternam, iusti autem « in vitam aeternam.* In utroque graecus αἰώνιον habet. Si misericordia « nos provocat credere non futurum impiorum sine fine supplicium, « quid de praemio iustorum crediturі sumus, cum in utraque parte, « eodem loco, eadem sententia, eodem verbo pronuntietur aeternitas? « Postremo si aeternum et aeternale, hoc est αἰών et αἰώνιον, sub u- « troque intellectu in Scripturis poni solet, aliquando sine fine, aliquando « cum fine, quid de illis Prophetae verbis responsuri sumus, ubi scriptum « est: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur?* « Qualiscumque poena significata sit nomine vermis atque ignis, certe « si non morietur nec extinguetur, sine fine praedicta est, nec aliud « agebat Propheta cum hoc diceret, nisi ut eam sine fine praediceret ». August. contra *Priscillianistas*, c. 5-6.

dinem irreparabiliter pervertit, interminabilis etiam poenae reum hominem efficere debet, in foro utique illius ad quem spectat ordo moralitatis sive ultimi finis, id est in foro Dei. Quamdiu enim manet deordinatio a statu iustitiae, tamdiu reordinatio per poenam duret necesse est : non quod duratio reatus culpae sit causa meritoria durationis poenae, sed conditio sub qua causa meritoria quae in actu peccati praecessit, semper exserit vim suam. Atqui omne et solum peccatum mortale *quantum est de se,* irreparabiliter pervertit ordinem moralitatis et iustitiae. Subtrahit enim ipsum ordinis principium quo voluntas hominis subditur Deo ut [illegible] ultimo, id est gratiam et charitatem. Et quia subtracta [illegible]itate et gratia, nihil in homine relinquitur unde ipsa [illegible]ritas possit reparari, dicendum superest quod *quantum est ex parte peccantis,* semper inducitur irreparabilis subversio ordinis moralis, Ergo ex natura rei consequitur reatus poenae nunquam desiturae. « Peccatum inquit S. Thomas (1), « ex hoc inducit reatum poenae, quod pervertit ordinem. « Manente autem causa, manet effectus : unde, quamdiu « perversitas ordinis remanet, necesse est quod remaneat « reatus poenae. Pervertit autem aliquis ordinem quando- « que quidem reparabiliter, quandoque autem irreparabili- « ter. Semper enim defectus quo subtrahitur principium, « irreparabilis est ; si autem salvetur principium, eius « virtute alii defectus reparari possunt, sicut si corrum- « patur principium visivum, non potest fieri visus reparatio « nisi sola virtute divina ; si vero, salvo principio visivo, « impedimenta adveniant visioni, reparari possunt per « naturam vel artem. Cuiuslibet autem ordinis est aliquod « principium, per quod aliquis fit particeps illius ordinis. « Et ideo, si per peccatum corrumpatur principium ordinis « quo voluntas hominis subditur Deo, erit inordinatio « quantum est de se irreparabilis, etsi reparari possit vir- « tute divina. Principium autem huius ordinis est ultimus

(1) S. Thom., hic., art. 3.

« finis cui inhaeret per charitatem. Et ideo quaecumque pec-
« cata avertunt a Deo, charitatem auferentia, quantum
« est de se inducunt reatum aeternae poenae »,.

Exigit autem iustitia ut poena ista sit in primis *poena damni*. Fert enim aequitas ut qui se a Deo separavit separatione quae opponitur unioni charitatis, puniatur per separationem a Deo oppositam beatificae fruitioni, et universaliter loquendo, quisquis contra legem peccat contemnendo finem legis, debet secundum iustitiae regulam amittere beneficium finis. Sed quisquis peccat mortaliter, iste legis aeternae finem contemnit, sese ab eo avertendo. Ergo oportet ut amittat beneficium sive fruitionem huius finis qui est ipsa per essentiam bonitas. Rursus, amissio alicuius [illegible] non est, nisi sit definitiva et perpetua privatio eius, qu[illegible] doquidem id cuius possessio solum differtur, nusquam dicitur amissum, sed prorogatum. Necesse igitur est ut peccato mortali ex parte aversionis respondeat poena perpetuae privationis summi illius boni, in cuius possessione sita est hominis beatitudo, et in hoc poenam damni dicimus consistere. « Naturalis aequitas, inquit Angelicus l. 3 *c Gent.* « c. 144, hoc habere videtur, quod unusquisque privetur « bono contra quod agit : ex hoc enim reddit se tali bono « indignum. Et inde est quod secundum civilem iustitiam, « qui contra rempublicam peccat, societate reipublicae pri- « vatur omnino, vel per mortem, vel per exilium perpetuum; « nec attenditur quanta fuerit mora temporis in peccando, « sed quid sit contra quod peccavit. Eadem est autem com- « paratio totius vitae praesentis ad rempublicam terrenam, « et totius aeternitatis ad societatem beatorum qui ultimo « fine aeternaliter potiuntur. Qui ergo contra ultimum « finem peccat, et contra charitatem per quam est societas « beatorum, in aeternum debet puniri (privatione huius « finis et societatis), quamvis aliqua brevi temporis mora « peccaverit ».

Tandem oportuit ut poenae damni poena etiam sensus inseparabiliter coniungeretur. Et prima ratio sumi potest

ex necessitate sanctionis quae sit sufficiens ad retrahendum homines a peccato. Etenim « nullus timet amittere id quod « non desiderat adipisci ; qui ergo habent voluntatem aversam « ab ultimo fine, non timent excludi ab illo. Non ergo per solam « exclusionem ab ultimo fine, a peccando revocarentur. « Oportet igitur peccantibus aliam poenam adhiberi, quam « timeant peccantes » (1). Verum, argumentum principale trahitur ex ipsa intrinseca indole peccati. Etenim poena debet proportionaliter culpae respondere. Per culpam autem non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebite convertitur in alia quasi in fines, et licet aversio realiter involvatur in conversione, ut dictum est supra, tamen haec duo ratione distinguuntur et duplicem important inordinationem, dum scilicet peccans perverse fruitur bono creato, et per hoc ipsum a Deo se avertit. Non solum ergo puniendus est ille qui peccat, per hoc quod excludatur a fine, sed etiam per hoc quod ex aliis rebus sentiat nocumentum iuxta illud Apoc. XVIII-7 : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.*

Obiicies tamen : *Secundum quantitatem culpae debet esse et quantitas poenae. Sed ille qui peccat, non peccat infinito tempore, quamvis in infinitum bonum peccet. Ergo non debet puniri poena aeterna, sed solum ad tempus privatione infiniti boni, vel etiam positiva castigatione propter abusum creaturae.*

Respondeo : *Dist. mai.* Secundum quantitatem culpae debet esse et quantitas poenae, hoc est, gravitati culpae respondeat necesse est poenae acerbitas, *conc. mai.* Hoc est, durationi culpae debet respondere duratio poenae, *subd.* Durationi culpae ex parte maculae vel reatus, iterum *conc. mai.* Ex parte actus, *neg.* — Ad minorem autem dico : Ille qui peccavit mortaliter, non peccavit infinito tempore, id est non fuit in actu peccandi per infinitum tempus, *conc. min.* Id est, non se deordinavit, quantum in ipso fuit, deordinatione irremediabili, nec se obligavit ut in peccati reatu

(1) S. Thom., l. 3 *c. Gent.*, c. 145.

aeternaliter permaneret, radicitus corrumpendo principium ordinis quo voluntas est habitualiter Deo subdita, id est charitatem, *nego*. Et ideo absolute negatur consequentia. — Caeterum ne in humano quidem iudicio assumitur ut mensura durationis poenae duratio delicti. Non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, inquit Angelicus in resp. ad 1^um^, propterea momentanea poena punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere vel exilio, quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius quod in perpetuum auferatur reus a societate viventium, et sic poena ista repraesentat suo modo aeternitatem poenae inflictae divini[illegible]. Porro, si duratio poenae nequaquam respondet durat[illegible] sceleris in legibus etiam humanis, quamvis ipsae non resp[illegible]ciant nisi forum externum, et nihil attendant praeter actionem transeuntem prout est nociva communitati, quanto minus in lege divina quae prohibet peccatum secundum quod perversivum est interioris ordinis iustitiae. Si quid igitur ex sese ordinem hunc irreparabiliter pervertat, consequens omnino est ut ei interminabilis poena in iudicio Dei debeatur (1).

(1) Considerandum etiam quod etsi voluntarius peccati actus in momento temporis exsistat, adhuc tamen ille qui peccat, tali modo peccato adhaeret, ut in actu peccandi perpetuo maneret, si posset; convertitur enim ad obiectum prohibitum ut ad summum diligibile. « Peccans mortaliter, inquit S. Thomas in II, D. 42, q. 1, a. 5, finem « delectationis suae in eo in quo mortaliter peccat, ponit, ut etiam « Deum pro illo contemnat. Constat autem quod quicumque summe « diligit aliquid sicut finem suae voluntatis, ex hoc ipso vellet semper « ei adhaerere; et ideo peccans mortaliter, illo actu voluntatis quo pec- « catum mortale eligit, eligit peccato semper adhaerere nisi per acci- « dens retrahatur, vel timore poenae, vel aliquo huiusmodi; sed si « infinite adhaerere posset, semper adhaereret, et ideo in suo aeterno « peccat, et propter hoc aeterna poena est dignus ». Considerandum denique quod gravitas peccati, propter infinitam offensi dignitatem, semper excedit quamlibet possibilem poenarum acerbitatem, et ideo oportet ut quod de aequalitate iustitiae necessario deest, recompensetur aliquo modo per infinitam durationem.

Dices iterum: *Peccatum mortale, quantumvis grave, est semper remissibile, ac per hoc, reparabile. Non ergo inducit aeternae poenae reatum, cuius causa non est nisi illud quod irreparabiliter pervertit ordinem.*

Respondeo: *Dist. antec.* Peccatum mortale est reparabile tempore praesentis vitae, quantum est ex virtute Dei, *conc. antec.* Quantum est ex facto peccantis, *nego antec.* Porro cum de reatu agitur, id est de obligatione ad poenam quae actum peccati naturaliter consequitur, nihil aliud attendi debet nisi irreparabilitas se tenens ex parte hominis delinquentis. Unde etiamsi per respectum ad potentiam Dei ordinatam peccatum foret tam in praesenti quam in futuro remissibile, adhuc vere ex actu peccati sequeretur aeternae poenae reatus, habens rationem sui in irreparabili subversione ordinis iustitiae quantum est ex facto peccatoris. Quippe considerare nunc oportet quid per se sequatur ex actu hominis, non autem quid valeat divina virtus efficere.

Caeterum virtus divina in gubernatione rerum sese accommodat earum conditioni, ideoque quamdiu liberum hominis arbitrium remanet naturaliter flexibile a malo ad bonum, tamdiu virtus Dei omnipotens ipsum movet per actualem gratiam ad reparationem habitualis gratiae et charitatis. Ubi vero in eo statu ponitur in quo amplius non est mutabile ab uno fine in alium finem, sicut de voluntate post separationem a corpore doctrina Sanctorum et Scripturae testimonia docent, tunc absolute subtrahitur motio gratiae, et sic, ordinis perversitate immobiliter perseverante ex quadam insita rerum necessitate, poena de facto infligitur in aeternum duratura.

Iterum ergo apparet distinctio inter poenae reatum et actualem punitionem. Sufficiens causa reatus est peccatum prout irreparabile per virtutem illius qui peccavit. Sed ad actualem interminabilis poenae inflictionem ulterior conditio requiritur, ut scilicet auferatur etiam id quod de reparabilitate adhuc remanebat *ex parte mobilitatis humanae voluntatis sub Dei operatione et gratia.* «Non enim, inquit Angelicus

« l. 4 *c. Gent.*, c. 94, esset perpetua poena animarum quae « damnantur, si possent voluntatem mutare in melius, quia « iniquum esset quod ex quo bonam voluntatem haberent, « perpetuo punirentur ». Et hoc sensu in thesi additum est, ultimam rationem punitionis aeternae esse aeternam permanentiam malitiae in humana voluntate, quae post mortem in eo fine cui ante mortem adhaerebat, immobiliter ac necessario firmatur.

§ 2.

Sed huius assertionis, quam ad completam quaestionis enodationem assumimus demonstrandam, bene in primis tenendus est sensus. Quod enim dicimus de aeterna permanentia perversae dispositionis in qua mors adveniens peccatricem animam invenerit, cave ne accipias tanquam dictum de obstinata adhaerentia ad illa eadem bona (puta luxuriae, avaritiae, mundanae superbiae), quorum amore in hac vita peccator tenebatur. Nam si is esset praesentis assertionis sensus, rem diceret quam Scriptura, quam recta ratio, imo simplex etiam sensus communis aperte reprobat ac rejicit. *Transit* enim *mundus et concupiscentia eius*, inquit Scriptura, 1 Ioan. II, 17. Unde in libro Sapientiae (II, 6 sqq. et V, 3 sqq.) audimus reprobos in inferno, irreparabilem errorem suum magna voce confitentes, dicentes intra se, poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes : *Ergo erravimus !* Caeterum, mutationem hanc per se consequi separationem a corpore cum omnibus sensuum stimulis seu incitamentis, evidentius sane est quam ut demonstratione indigeat. Non ergo sermo nunc esse potest de permanente adhaerentia post mortem ad bona mundana, quorum concupiscentia ex natura rei semel pro semper necessario cessat. Sed in considerationem nunc venit id quod, utpote amatum super omnia, totius inordinati affectus primum principium erat, et ratio motiva, scilicet ly *ego*. Ly *ego*, inquam, erectum in finem ultimum humanae vitae, loco veri ultimi finis qui

Deus est, ipseque solus. Et hic juvabit revocare in memoriam celebre dictum Augustini in suo opere de civitate Dei : « Fe-« cerunt duas civitates amores duo, terrenam scilicet amor « sui usque ad contemptum Dei, caelestem vero amor Dei « usque ad contemptum sui » (1). En duo amores supremi, contrarie inter se oppositi, et sibi respective subordinantes amores alios omnes. En duo fines ultimi, quos inter optio nobis datur quamdiu durat vita praesens : ex una parte DEUS in summitate affectus nostri positus, posthabitis aliis rebus omnibus, et ex adverso ly *ego*, posthabito Deo cum lege eius, praeceptis eius, promissis et comminationibus ejus. Porro manifestum est quod in praesenti statu unionis animae cum corpore, voluntas humana habet in sua potestate, non solum libere eligere inter duos fines supradictos, verum etiam recedere ab eo quem prius elegerat convertendo se ad oppositum, imo, alternis vicibus ab isto redire ad illum, et ab illo ad istum, in similitudinem arundinis vento agitatae. Nunc igitur considerandum venit id quod ad regulam vitae moralis suppeditat materiam cogitationum nusquam exhauriendam : videlicet, non ultra terminum vitae praesentis protendi huiusmodi fluctuationis facultatem, sed ex ipsa rerum natura provenire, quod anima in fine illo immobiliter jam fixa permaneat, cui contigerit eam in instanti separationis a corpore, actu vel habitu adhaerentem inveniri : ita scilicet ut definitiva inde consequatur liberi arbitrii, vel confirmatio in bono, vel obstinatio in malo, cum ex ultimo fine tota dependeat bonitas vel malitia voluntatis.

Et re quidem vera, iis omnibus quae progressive educuntur de potentia in actum videmus fuisse praefixum a natura terminum durationis sui motus in perfectionem ; perfectionem nunc sumendo juxta etymon vocabuli, pro statu cujusque rei in suo genere jam totaliter factae in actu. Ratio est quia mobilitas in perfectionem competit ei quod adhuc est quodammodo *in fieri*, nondum in *facto esse* com-

(1) De civit. l. 14, c. 28.

pleto ; natura autem nulli rei indefinitum fieri assignat. Ipsa ergo rerum natura postulat ut unicuique rei de potentia in actum motae duplex status assignetur : praecedens unus, quem dicere possumus statum viae, sive mobilitatis perfectionem versus : succedens alter, termini scilicet, a quo incipit sensim sine sensu motus inversus corruptionis, si res sit de genere eorum « quae oriendo esse incipiunt, et crescunt ut perficiantur, et perfecta senescunt et intereunt », vel *in quo* immobiliter jam permaneat, si ei, quemadmodum animae humanae, competit essendi perpetuitas. Nunc autem, animae humanae, pro libertate sui arbitrii, duplex offertur terminus perventionis ad esse totaliter factum in actu, juxta illud Eccli. XV, 14 : *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu sui consilii. Apposuit tibi aquam* (refrigerantem) *et ignem* (urentem) : *ad quod volueris appone manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi.* Ad animam igitur humanam quod attinet, dicendum est quod esse debuit, primo quidem, status certo ac definito temporis spatio interclusus, in quo libere se moveat ad finem vel virtutis vel vitii ; tum deinde, status definitivus necessariae immobilisationis in fine quem sibi praestituerit, quicumque ille sit. Et quia anima unitur corpori ut in eo exsistens perficiatur quasi ad perfectionem mota, status ille prior durat toto tempore praesentis vitae ; incipit hic posterior statim ac fit separatio a corpore. « Anima « igitur, quemcumque finem sibi ultimum praestituisse in- « venitur in statu mortis, in eo fine perpetuo manebit... Sic « igitur, post hanc vitam qui boni in morte invenientur, « habebunt perpetuo voluntatem firmatam in bono ; qui vero « mali tunc invenientur, erunt perpetuo obstinati in malo ». (1).

Huic conclusioni nullus unquam theologus, quod sciam, directe saltem contradixit, praeter unum Origenem in famoso illo libro Περι αρχων, toties a Patribus et conciliis quinti et sexti saeculi reprobato. Et fundamentum opinionis

(1) S. Thom. Comp. theol. c. 174.

ejus fuit in falso de libero arbitrio conceptu. Non enim concipiebat posse liberum, arbitrium definitive figi in uno fine ultimo determinato, sive virtutis ille sit, sive vitii, sed essentiam ejus reponebat in potestate eligendi inter bonum et malum, ac per hoc, faciendi bonum, retenta semper potestate conversionis ad malum, et faciendi malum, semper etiam retenta potestate conversionis ad bonum. Unde, ex hoc quod creaturae rationales remanent semper in possessione sui liberi arbitrii, deducebat spiritus angelicos et animas humanas fuisse et fore in perpetuum capaces, decidendi a summis etiam fastigiis virtutis ad profundissima malitiae, et e contrario, reascendendi ab imis malitiae gradibus ad summa virtutis culmina. Hinc ulterius asserebat mundos innumerabiles, « non juxta Epicurum uno tempore plurimos, « ut dicit Hieronymus in epistola ad Avitum cap. 2, sed « post alterius finem, alterius principium ; et ante hunc « nostrum mundum, alium fuisse mundum, et post hunc, « alium futurum, et post illum, alium, rursumque caeteros « post caeteros » : ita scilicet, ut pro contingentibus variationibus liberi arbitrii et respectiva meritorum diversitate, debeat etiam contingere ut qui in uno mundo (puta, mundo A) erant coelestes angeli, fiant in mundo insequenti (puta, mundo B) daemones inferni, et daemones facti in mundo B, rursus assumantur in mundo alio (puta, mundo C) ad angelorum lucis fastigia, et sic in indefinitum secundum alternas vices cadendi et resurgendi, de quibus Augustinus, l. 21 de civ. Dei, c. 17 ait : « Origenem.... maxime propter « alternantes sine cessatione beatitudines et miserias, et sta- « tutis saeculorum intervallis ab istis ad illas et ab illis ad « istas itus et reditus interminabiles, non immerito repro- « bavit Ecclesia ». Porro, ex hac Origenis insana positione deducitur egregia confirmatio superioris argumenti, si quis consideret *primo*, quod positio ista est logica consequentia principii de perpetua versatilitate liberi arbitrii a bono in malum et a malo in bonum, uti vel primo intuitu per se satis patet ; *secundo*, quod est in se perabsurda, maxime quia

praecludit omnem possibilem aditum ad beatitudinem veram, cuius prima conditio est, post indefectibilem voluntatis rectitudinem, omnimoda inamissibilitatis ejus securitas; et *tertio*, quod absurditas consequentis evidenter ostendit falsitatem principii super quo systema fundatur, ac per hoc, veritatem conclusionis quae ei contradictorie opponitur.

Longe ergo a vero aberrat conceptus ille liberi arbitrii, ex quo tot enormia non modo verae fidei, sed naturali etiam rationi repugnantia consequuntur. Ideoque firmiter tenendum est quod essentialis ratio liberi arbitrii non residet in libertate indifferentiae circa finem ultimum, sed solum circa ea quae sunt *ad finem*, uti sat evidenter apparet ex hoc quod in Deo est perfectissima libertas cum voluntate erga finem prorsus determinata ad unum. Tenendum proinde quod libero arbitrio minime repugnat immobilitas voluntatis in uno vel altero e duobus finibus ultimis supradictis, utpote quae aufert solum facultatem claudicandi in duas partes oppositas, et relinquit liberam mobilitatem in proprio ac definito alterutrius finis campo. Considerandum denique, quod nisi asserere placeat, fuisse nobis a natura datum liberum arbitrium, non ut per meritoriam exercitationem virtutis pervenire possimus ad beatitudinem veram, sed potius ut nobis fieret vera beatitudo adeptu in sempiternum impossibilis, oportet de necessitate admittere tanquam naturae liberi nostri arbitrii plane consentaneum, duplicem statum de quo supra: primum, durante curriculo vitae praesentis, in quo flexibile estad utrumque oppositum; alterum in quo, superveniente separatione a corpore, immobiliter fixum jam remanet in fine illo, sive debito sive indebito, cui adhaerebat in instanti separationis, juxta illud Eccles. XI, 3: *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.*

Sed et ad eamdem conclusionem ducet attenta consideratio de eo quod importat adhaesio ad aliquod bonum tanquam ad finem ultimum. Etenim amor quo aliquid amatur ut finis ultimus, hoc est, ut dilectum super omnia, semper

est *per se* definitivus et irrevocabilis, eo quod amor summi diligibilis revocari non potest per aliquod amatum magis, sicut nec error circa principia per aliqua certiora. Sicubi ergo contingat mobilitas circa finem ultimum, hoc non est nisi *per accidens*, videlicet ratione conjunctionis intellectus et voluntatis cum corpore eis deserviente ad proprias operationes. Ex mobilitate enim corporis movetur et dispositio animae, fitque ut recedat ab eo in quo prius fixa permanebat, et convertatur ad id quod prius respuebat. At puri spiritus nequaquam retrahibiles sunt a fine ultimo quem primo amplexi sunt, nec animae humanae ab eo cui vel actualiter vel habitualiter inhaerebant in instanti illo in quo, pro novo modo essendi, incipiunt participare modum intelligendi et volendi qui puris spiritibus proprius est. « Di-« sposition manente qua aliquid desideratur ut ultimus « finis, non potest illius finis desiderium moveri, quia ultimus « finis maxime desideratur ; unde non potest aliquis a desi-« derio ultimi finis revocari per aliquid desiderabile magis. « Anima autem est in statu mutabili quamdiu corpori unitur, « non autem postquam fuerit a corpore separata. Dispositio « enim animae movetur per accidens secundum aliquem « motum corporis ; cum enim corpus deserviat animae ad « proprias operationes, ad hoc ei naturaliter datum est, ut « in ipso existens perficiatur quasi ad perfectionem mota ; « quando igitur erit a corpore separata, non erit in statu ut « moveatur ad finem, sed ut in fine adepto semper quiescat. « Immobilis igitur erit voluntas eius quantum ad desiderium « ultimi finis ; ex ultimo autem fine dependet tota bonitas « vel malitia voluntatis, quia bona quaecumque aliquis « vult in ordine ad bonum finem, bene vult, male autem « quaecumque in ordine ad malum finem. *Non est igitur « voluntas animae separatae mutabilis de bono in malum, « licet sit mutabilis de uno volito in aliud volitum, servato « tamen ordine ad eumdem ultimum finem. Ex quo apparet « quod talis immobilitas voluntatis libero arbitrio non repu-« gnat, cuius actus est eligere ; electio enim est eorum quae*

« *sunt ad finem, non autem ultimi finis. Sicut igitur non re-*
« *pugnat libero arbitrio quod immobili voluntate desideramus*
« *beatitudinem et miseriam fugimus in communi, ita non*
« *erit contrarium libero arbitrio quod voluntas feratur in*
« *aliquid determinatum sicut in ultimum finem, quia sicut*
« *nunc immobiliter nobis inhaeret natura communis per quam*
« *beatitudinem appetimus in communi, ita etiam immobiliter*
« *manebit illa specialis dispositio per quam hoc vel illud*
« *desideratur ut ultimus finis.* Substantiae autem separatae,
« scilicet angeli, propinquiores sunt secundum naturam in
« qua creantur ultimae perfectioni quam animae, quia non
« indigent acquirere scientiam ex sensibus, neque pervenire
« ratiocinando de principiis ad conclusiones, sed per species
« inditas statim possunt in contemplationem veriratis per-
« venire, et ideo, statim quod debito fini vel indebito adhae-
« serunt, immobiliter in eo permanserunt. Non est tamen
« aestimandum quod animae, postquam resument corpora
« in resurrectione, immobilitatem voluntatis amittant, quia
« ut supra dictum est, corpora in resurrectione disponentur
« secundum exigentiam animae, non autem animae immu-
« tabuntur per corpora, sed immobiliter perseverabunt » (1).

Et hucusque quidem argumenta ex dictamine rectae rationis, ut videtur, desumpta. Nunc autem certiorem habemus propheticum sermonem, cui bene faciemus attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco. Revelationi autem inhaerentes, tria haec inconcussa persuasione tenebimus : **Primo,** obstinatio voluntatis in fine cui ultimo adhaesit dum esset in via, res est extra omnem dubitationem posita ; comnectitur enim logice cum dogmate quo credimus malos dare de facto *poenas in interitu aeternas* (2). Si enim unquam posset voluntas rectificari circa verum finem ultimum qui Deus est, non posset amplius esse poena perpetua, quia iniquum foret perpetuo puniri eos qui iam bonam vo-

(1) S. Thom. l. 4. *c. Gent.* c. 95.
(2) 2 Thessal. 1-9.

luntatem haberent, ut supra cum Angelico Doctore notatum est. **Secundo,** obstinatio ista non procedit a Deo qui neminem a se avertit, neminem in affectu peccati confirmat. Quin imo non est effectus aeternitatis poenae, sed magis ratio eius vel conditio sine qua non. Damnati enim non ideo obstinantur quia aeternis poenis addicuntur, sed e converso, ideo addicuntur poenis aeternis quia, voluntate eorum in malo confirmata, moralis deordinatio quam mortale peccatum induxit, semper duret necesse est. **Tertio** igitur dicendum remanet obstinationem hanc esse ex natura rei, id est sequelam necessariam liberae determinationis in qua mors invenit voluntatem ; sic olim Iahel uxor Haber Sisaram clavo confixit in eo ipso situ et loco in quo oppressus somno ceciderat.

Ergo, *superbia eorum qui te oderunt ascendit semper* (1), *et* propterea, *fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum* (2).

Nec obstat illud quod de impiis in novissimo die legitur Sap. V-2 : *Videntes turbabuntur timore horribili, dicentes intra se, poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii.... Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis,* etc. Non enim ea poenirentia hic signatur, qua quis ab affectu peccati, adeoque a pravo fine ultimo retrahit voluntatem, quia iniqui in inferno non hoc refugiunt in peccatis quod prius appetiverunt, *puta proprium suum ac privatum bonum tanquam summum ac principale,* sed aliquid aliud, videlicet poenam. Sciendum quippe est quod poenitere de peccato dicitur dupliciter : « Uno modo per se, et alio modo per accidens. Per se quidem « de peccato poenitet quis, qui peccatum, eo quod est pec- « catum, abominatur ; per accidens vero qui illud odit ra- « tione adiuncti, utpote poenae, vel alicuius huiusmodi mali.

(1) Psalm. LXIII-23.
(2) Apoc. XIV-11.

« Igitur non poenitebunt per se loquendo de peccato, quia « voluntas malitiae peccati in eis remanet ; poenitebunt autem « per accidens, in quantum affligentur de poena quam pro « peccato sustinent » (1). Nec iterum opponas quod timor vel odium poenae apud nos corrigit voluntatem. Nam primo, etiam apud nos, hunc effectum non semper nec necessario habet, ut patet in Antiocho, 2 Machab. IX, et in aliis plurimis quos videmus quandoque scienter in infernum descendere, et licet in timore horribili constitutos, tamen usque ad extremum contra Deum insurgere hac blasphemia : *non flectar*. In quo quidem adumbrationem quamdam obstinationis damnatorum medias inter gehennae poenas nobis exhibent. Praeterea, odium poenae vel timor potest quidem esse principium rectificandi affectus quamdiu homo est in statu praesenti, in quo propter specialem modum operandi tam intellectus quam voluntatis adhuc mutabilis exsistit ab uno fine in alium, non autem postquam in termino erit constitutus. Et universim loquendo, cavendum maxime est ne ea quae nunc in corpore corruptibili experimur, inconsulto transferamus ad futuram vitam, quasi esset univoca utrobique cognitionis et exercitii libertatis ratio.

COROLLARIUM

(Art. 6).

Licet in iustificatione impii, remissio culpae necessario inferat remissionem reatus poenae aeternae, nihil tamen prohibet quominus post iustiffcationem adhuc remaneat reatus poenae temporalis.

Non assumitur hic demonstrandum, permanere de facto huiusmodi reatum, nam opportunior huic quaestioni locus reservatur, ubi de effectu poenitentiae quoad mortalium

(1) S. Thom., in IV, D. 50, q. 2, a. 1, q. 2.

remissionem (1). Sed facto interim supposito, propositum intentionis est ostendere qualiter sit explicanda res ; multum enim hoc iuvat ad penitiorem cognitionem naturae peccati, necnon et habitudinis qua poena se habet ad culpam.

Mortale peccatum, ut ex superioribus iam abunde constat, duplicem continet inordinationem (2). Est enim primo, *extra* ordinem veri ultimi finis, secundum quod indebite quis commutabili bono fruitur, assumens sibi id quod sibi non competit. Est etiam *contra* verum ultimum finem, secundum quod in appetitu indebiti boni includitur contemptus Dei et eius amicitiae. Hinc homo mortaliter peccans proportionalitate quadam se habet sicut qui in humanis violaret amicitiae foedus, aliquid ab amico auferendo (3). Quod quidem scelus si quando admittitur, iure meritoque offensus amicitiam subtrahit cum omnibus eam consequentibus ; iure etiam compensationem repetit pro ablato, et haec duo duplicem poenam damni et sensus suo modo reprae-

(1) Vide *Commentarium in tertiam partem*, Quaest. 86, a. 4.

(2) Vide supra, ubi de definitione peccati.

(3) « Dicendum quod tam iustitia quam amicitia in aequalitate « quadam consistat. Qui ergo aliquem offendit, contra aequalitatem « amicitiae peccat, in quantum affectu debitum non impedit, et con- « tra aequalitatem iustitiae, in quantum rem debitam subtrahit. Et « sicut haec duo in offensa quandoque dividuntur, ita etiam in recom- « pensatione separantur, sicut quando poena per violentiam offendenti « infertur, fit recompensatio quantum ad iustitiam, sed non quantum « ad amicitiam. Similiter quando offendens offensum verbis placat, « nondum re subtracta restituta, fit recompensatio amicitiae, sed non « iustitiae. Peccator ergo per affectum peccati amicitiam Dei violavit, « et per inobedientiam divinae legis honorem debitum Deo subtraxit; « et ex primo amittit gratiam et incurrit offensam; ex secundo meretur « poenam (sensus), ut ab eo qui per inobedientiam subtraxit, subtra- « hatur per poenam. Et ideo per poenitentiam qua homo se Deo sup- « ponit, peccata praeterita detestando, remittitur quidem peccatum « quantum ad offensam, sed non oportet quod remittatur quantum ad « ad totum reatum, nisi poena iam soluta, et sic per poenitentiam « non simul cum culpae dimissione totus etiam reatus dimittitur ». S. Thom. in IV. D. 14, q. 2, a. 1, q. 2.

sentant. Aut si forte excusatione offensoris commotus veniam concedere non renuit, cum offensam condonat resarciendo amicitiam, non est consequens ut ipso facto remittat obligationem restituendi, nam simul cum statu recuperatae amicitiae componi potest debitum compensationis. — Haec nunc applica proposito.

In foro Dei inducitur reatus poenae damni pro violatione amicitiae, reatus vero poenae sensus pro indebita fruitione creaturae, quia omnino iustum est « ut qui voluntati suae plus indulsit quam debuit (id quod suum non « erat sibi attribuendo), contra voluntatem suam aliquid « patiatur : sic enim erit aequalitas » (1). Cum autem Deus movens hominem ad poenitentiam gratis remittit culpam restituendo gratiam (2), consequens equidem est ut ipso facto remittatur poena damni violationi amicitiae correspondens, non tamen poena sensus quae respondet indebitae conversioni ad bonum delectabile, et se habet sicut restitutio ablati in exemplo supra memorato. Unde ex natura rei tantummodo est ut non maneat poena sensus *qua aeterna*, tum quia causa aeternitatis poenae, id est perversio ordinis iustitiae per destructionem charitatis, amplius non exsistit ; tum quia inordinatio conversionis secundum se nullam infinitatem habet ; tum denique quia reatus poenae aeternae est evidenter incompossibilis cum charitate et gratia ex qua homo iam habet ius ad caelestem beatitudinem. Ad haec, necesse est ut non maneat poena residua secundum eamdem omnino rationem intrinsecam, quia ut dicit S. Thomas in praesenti, « macula peccati ab homine tolli non potest, « nisi voluntas hominis ordinem divinae iustitiae acceptet, « ut scilicet vel ipse sibi poenam spontaneus assumat in re- « compensationem culpae praeteritae, vel etiam a Deo illatam « patienter sustineat », et utroque modo, ut iam superius

(1) S. Thom. 3, Quaest 86, a. 4.

(2) Remissio culpae semper est gratuita, quia pro formali peccato nulla est possibilis satisfactio de condigno.

dictum est, diminuitur de ratione poenae pro quanto diminuitur de ratione involuntarii. Superest ergo concludendum quod « remota macula culpae, potest quidem remanere « reatus, non poenae simpliciter, sed satisfactoriae » (1).

Dices : *Remota causa, removetur effectus. Sed culpa est causa reatus poenae. Ergo remota culpa, necessario debet omnis reatus cessare.*

Respondeo : *Dist. mai.* Remota causa, removetur effectus: hoc est, causa nunquam exsistente, nunquam exsistit effectus, *conc. mai.* Hoc est, causa cessante, cessat etiam effectus, *subdist.* Si effectus pendeat a causa tam in fieri quam in esse, *conc.* Si solum in fieri, *neg.* Non enim est consequens, si desinat architectus, ut desinat etiam domus ab eo aedificata.

Ad minorem vero dico : Causa a qua reatus poenae pendet *in fieri*, est culpa, intelligendo per culpam, actum peccati, *conc. min.* Causa, vel melius conditio a qua reatus poenae pendet *in esse*, est macula permanens, *subdist.* Sensu affirmante, quatenus manente macula, necesse est remanere poenae reatum, *conc.* Sensu negante, quatenus ablata macula, necesse est et poenae reatum auferri, iterum *subdist.* Auferri necesse est quoad ea omnia quae sunt incompossibilia cum statu charitatis et gratiae, iterum iterumque *conc. min.* Quoad caetera quae incompossibilia non sunt, *neg. min.* Et quia reatus poenae temporalis sive poenae purgatoriae supra declaratae, minime opponitur restitutae cum Deo amicitiae, non oportet ut remissa culpa, omni etiam ex parte poena exstinguatur.

Et haec quidem de reatu poenae generaliter dicta sufficiant ; cum enim doctrina duorum posteriorum articulorum partim quidem obvia sit, partim vero non respiciat directe peccatum personale, non est in his nunc specialiter insistendum. Si quis tamen de poenalitatibus praesentis vitae, prout consequuntur peccatum originale et manent etiam post baptismum, ampliora desideret, videat S. Thomam *de Malo.* Quaest. 5, a. 4-5, et praesertim in II, D. 32, Quaest. 1.

(1) S. Thom. 1-2, q. 87, a. 6, in corp.

PARS SECUNDA

DE PECCATO VENIALI

QUAEST. LXXXVIII-LXXXIX

Fides catholica docet dari peccata venialia, id est, quae suapte natura ita levia sunt, ut non separent hominem a Deo, nec sint per se aeterna damnatione digna. Haeretici autem Calvinistae hanc Ecclesiae doctrinam improbant; improbavit et Baius, cuius propositio vigesima ex octoginta sex damnatis a S. Pio V, sic habet: « Nullum est pecca-« tum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur « poenam aeternam » (1). Prae primis igitur tractanda quaestio *an sit*, pro qua statuitur sequens assertio:

THESIS VIII.

(Quaest. 89 — Art. 2).

Per lignum, fenum, et stipulam, quae 1 Cor. III-12, dicuntur iuxtaponi fundamento spiritualis aedificii, intelligi debent venialia peccata. Quapropter recte damnata est in Baio propositio asserens nullum esse peccatum ex natura sua veniale, sed omnem culpam mereri poenam aeternam.

De venialibus peccatis plura equidem exstant Scripturae testimonia, puta Prov. XXIV-16: *Septies cadet iustus et*

(1) Enchirid. n. 900.

resurget, et Eccl. VII-21 : *Non est homo iustus in terra qui faciat bonum et non peccet*, et 1 Ioan. 1-8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Ubique enim insinuatur peccatum quo quis a statu iustitiae non decidit, et ex consequenti, reatum poenae aeternae non incurrit ; et hoc est sine dubio veniale peccatum.

His tamen praetermissis, unus principalis et vere classicus locus est, in quo simul cum veritate venialium peccatorum proponitur dogma purgatorii (1). Habetur autem in 1 Cor. III, 11-15 : *Fundamentum aliud*, inquit, *nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniusciusque opus manifestum erit ; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superaedificavit* (2), *mercedem accipiet. Si cuius opus arserit* (3), *detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Qua in re considerandum est quid sit fundamentum et qui sint superaedificantes, itemque quid aurum, ar-

(1) Obiter hic observabis, qua ratione cum venialium peccatorum existentia, connectatur dogma purgatorii. Non quod, ut multi de vulgo existimant, sola venialia in igne purgatorio puniantur; quin imo, puniuntur *vel maxime* mortalia quae ante terminum viae in gratuita iustificatione fuerunt iam remissa, nondum tamen exstincto remanente temporalis poenae reatu de quo supra in corollario. At vero transitoria purgatorii poena non competit mortali peccato nisi sit iam ablata eius macula per poenitentiam et Dei misericordiam; peccato autem veniali debetur quantum est ex natura ejus. Recte ergo Scriptura connectit dogma purgatorii cum reatu venialium peccatorum, sicut connectit dogma inferni cum reatu mortalium, utrobique respiciens id quod est per se, sive id quod propriam consequitur utriusque peccati rationem et naturam.

(2) Huiusmodi est qui superaedificavit aurum, argentum, et lapides pretiosos.

(3) Huiusmodi est qui superaedificavit lignum, fenum et stipulam.

gentum, cum caeteris hic recensitis ; quis demum dies Domini, quis ignis ,et quae per ignem salvatio.

Porro concordi sententia statuunt interpretes, graeci pariter et latini, fundamentum de quo loquitur Apostolus esse fundamentum fidei in Christum ; superaedificantes vero esse fideles huic fundamento imponentes vel opera bona et viva, aeterna mercede remuneranda, quae per aurum et argentum et lapides pretiosos significantur, vel opera quaedam mala, nomine ligni et feni et stipulae designata. Nunc autem Chrysostomus et qui ipsum sequuntur, volunt haec mala opera esse peccata mortalia, fundamento *fidei mortuae* supervenientia, eademque aeterno igne punienda. Sed huic intellectui *evidenter* obstat illud quod postea sequitur, cum superaedificans ligna et fenum et stipulam, dicitur fore salvus quasi per ignem. Quod enim Graeci illi censent talem dici salvum per ignem, quia quamvis in gehennam mittendus, nunquam tamen consumetur, sed perpetuo in igne servabitur, vel, ut aiunt, superstes erit recens semper ad poenam (1) : haec, inquam ,interpretatio praeter

(1) « *Detrimentum patietur*, ecce unum supplicium; *Ipse autem « salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, ecce secundum. Hoc autem « vult significare: non sic ille peribit ut opera, ad nihilum redactus, « sed manebit in igne. Salutem itaque hanc rem vocat, sed non sim- « pliciter; adiecit enim, *quasi per ignem*. Nam nos quoque solemus « dicere, in igne salvus est, de iis quae non comburuntur, nec statim « in cinerem abeunt. Ne ergo quia ignem audisti, putes eos qui com- « buruntur, in nihilum redigi. Si vero tale supplicium salutem vocat, « ne mireris; solet enim etiam in iis quae male sonant, pulchris uti « nominibus, et in bonis, contrariis. Verbi gratia, captivitatis nomen « malae rei nomen esse videtur, sed in re bona illo usus est Paulus « dicens: *In captivitatem redigentes omnem intelligentiam ad obedien- « tiam Christi*. Et in re mala, bene sonante nomine usus est dicens: « *Regnavit peccatum*, quamquam nomen regni potius bene sonet. Sic « et hoc loco cum dicit, *salvus erit*, nihil aliud quam augmentum suppli- « cii indicavit, ac si dixisset: Ipse autem manebit in aeternum crucia- « tus ». Ita Chrysostomus, Hom. 9 in epist 1 ad Cor. — Quanto melius Augustinus, Enarr. in Psalm. 37, n. 3, orat Deum: « Ut in hac vita purges me, et talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus

omnem fidem est, et omnem probabilitatem. Sane vero usus loquendi id non habet, « nec unquam Scriptura sic loquitur, « ut salvus dicatur qui superstes est in malis, quin potius « tales et vulgo et more Scripturae periisse dicuntur : quo « genere argumenti commentarium hunc Graecorum, Patres « Latini in Concilio Florentino refutarunt » (1).

Manifesta igitur cogit nos necessitas ut per lignum et fenum et stipulam intelligamus peccata quae cum fundamentum charitatis sive *fidei vivae* non destruant, ex sese poenam merentur, non aeternam, sed temporalem, et pro tanto venialia appellantur. « Sicut enim, inquit S. Thomas, « huiusmodi congregantur in domo (videlicet lignum, fenum, « etc.), et non pertinent ad substantiam aedificii, et possunt « comburi aedificio remanente : ita etiam peccata venialia « multiplicantur in homine, manente spirituali aedificio, « et pro istis patitur ignem vel temporalis tribulationis in « hac vita, vel purgatorii post hanc vitam, et tamen sa- « lutem consequitur aeternam ». Rationem vero convenientis distributionis in ternarium ligni, feni, et stipulae, assignans idem Angelicus in IV, D. 21, q. 1, a 2 : « Dicendum, ait, « quod venialia charitati adiuncta possunt per aliquam « poenam consumi, et ideo convenienter secundum meta- « phoram signantur illa quae per ignem consumuntur. Et « quia quanto aliquod peccatum est gravius, tanto diffi- « cilius purgatur, in peccatis autem venialibus invenitur « alterum altero gravius, ideo convenienter eorum diversitas

« sit, propter illos qui *salvi erunt, sic tamen quasi per ignem*. Quare, « nisi quia hi aedificant supra fundamentum ligna, fenum, stipulam? « Aedificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, et de utro- « que igne securi essent; non solum de illo qui in aeternum cruciaturus « est impios, sed etiam de illo qui emendabit eos qui per ignem salvi « erunt. Dicitur enim: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. « Et quia dicitur, *salvus erit*, contemnitur ille ignis. Ita plane, quamvis « salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis quam quidquid potest « homo pati in hac vita, etc. ». — Cf. etiam Enarrat, in Psalm. 80, n. 20 et seq.

(1) Estius, in cap. 3, ep. 1 ad Cor.

« signatur per diversitatem eorum quae facilius et tardius « consumuntur ab igne. Et quia perfectio cuiuslibet quan- « titatis ternario comprehenditur, propter principium, me- « dium, et finem, ideo triplex differentia ponitur, quia « quaedam sunt gravissima in genere venialium, et diffi- « cillime purgabilia, et haec per *lignum* signantur ; quaedam « minima, quae per *stipulam ;* quaedam media, quae per « *fenum* signantur ». Habes itaque legitimam huius loci expo- sitionem, quae etiam egregie confirmatur, praescindendo a quacumque opinione particulari tam circa personas vel opera quae directe in praesenti respicit Apostolus, quam circa ignem vel diem Domini de quo terret Corinthios.

In primis nil refert an *directe* agatur de omnibus indi- scriminatim culpis quae superveniunt fundamento fidei per charitatem formatae (non destruendo illud), an specialiter, magis inhaerendo contextui, de defectibus qui a praedica- toribus admittuntur in ipso praedicandi ministerio: veluti si doctrina eorum sit, non quidem haeretica aut perniciosa, sed minus sincera minusque solida, humanis ac philosophicis opinionibus admixta plus satis, si curiosa magis quam utilis, si vana quadam oblectatione mentes christianas occupans, ut contingit in iis qui studio placendi plus aequo indulgent. Nihil, inquam, hoc ad propositum refert, cum sit par atque eadem de uno genere venialium ratio, ac de aliis quibuslibet. Caeterum, omnino dicendum videtur quod Paulus, occasione accepta a praedicatoribus de quibus ab initio epistolae sermo fuit, tradidit generalem doctrinam circa peccata quae substantiae charitatis non opponuntur, adeoque sa- lutem non impediunt, sed transitorii sive purgatorii ignis reum hominem efficiunt. Quippe inter eos magistros de quibus Corinthii inter se contendebant, inveniebantur non- nulli qui pro humana fragilitate affectus minus bene ordi- natos miscebant zelo annuntiandi Christum.

Multo minus scire interest de die Domini de quo vers. 13 dicitur : *uniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Do- mini declarabit,* etc., an scilicet hoc vocabulo designetur par-

ticulare iudicium, vel potius universale. Quamquam rectius ad litteram intelliges ultimum adventum et extremae conflagrationis ignem, iuxta illud 2 Petr. III-12 : *Expectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem caeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent.* Ubique enim in Scriptura dies Domini pro universali iudicio accipitur, quando nimirum apparebit Dominus in gloria et maiestate et supremo suo posse. Et nunc quidem dies hominis peragitur, quandiu homini permittitur praevalere adversus Christum. Tunc autem non amplius hominis, sed Domini erit dies, cum ipse venerit ponere inimicos suos scabellum pedum suorum, et adimplere figuram Melchisedech : primum quidem qui interpretatur rex iustitiae, deinde rex pacis, imo vero, ideo rex pacis, quia ut verus iustitiae rex, sub immobili lege regni caelorum tranquillitatem ordinis in toto universo instaurabit, unumquemque componendo in loco et gradu suo. Sed dicet aliquis, si dies Domini in igne revelandus significat ad litteram ultimum iudicis adventum, *et qui ante ipsum praecedet conflagrationis ignem*, quid tandem pro dogmate purgatorii praesens facit testimonium, cum iuxta Ecclesiae fidem, purgatorium animarum nunc exsistat, et in consummatione saeculi debeat desinere ? Ad hoc respondeo morem esse Scripturae ut de hominibus loquatur, quasi viventes eos omnes deprehensurus esset dies Domini : itemque ut futuram vindictam recapitulet in igne quo tamquam instrumento iustitiae suae, Christus iudex tunc utetur. Et ille quidem ignis cunctos probabit qui tunc vivi erunt super terram, sed eos tantum purgabit quos quadantenus impuros inveniet. Si quos autem omnino puros et antea purgatos, hos illaesos transmittet ad regnum ; impios vero et Dei inimicos corripiet, inflammabit, cruciabitque in aeternum, sicut post Psalmistam expressius de eo scribit Apostolus, 2 Thessal. I, 7–10 : *In revelatione Domini Iesu de caelo cum angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt evangelio Domini Iesu Christi, qui poenas dabunt in interitu aeternas*

a facie Domini, et a gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri omnibus qui crediderunt. Iam vero, ut bene ratiocinatur Estius in c. 3 epist. 1 ad Cor.: « Sicut Scriptura saepe ex generali iudicio vult intelligi « particulare, et ex die novissimo quo omnes iudicabuntur, « vult intelligi diem mortis uniuscuiusque quo singuli iudi- « cantur, ita ex igne qui faciem Christi iudicis antecessurus « est ad universale iudicium, et purgaturus quidquid illo « tempore purgandum restabit, intelligendum relinquit ignem « aliquem quo statim post hanc vitam ad purgandas animas « particulare iudicium exerceatur. Itaque hac ratione, poena « purgatoria animarum ex hoc Pauli loco bene et solide « colligitur. Sed cur Apostolus, omissa mentione purgationis « animarum quae fit medio tempore, loquitur tantum de « igne extremi iudicii? *Primum,* quia non de animabus « solis, sed de hominibus anima et corpore constantibus « sermo erat. Unde et universalis iudicii multo saepius men- « tionem habemus in Scripturis, quam particularis, quod « nimirum de iudicio quo iudicabuntur homines agant « Scripturae. *Deinde,* quia solet Apostolus de se et aliis vi- « ventibus sic loqui, tamquam adventus Domini ad iudicium « ipsos viventes esset occupaturus. Unde dicit cap. 15 huius « epistolae: *Mortui resurgent incorrupti, et nos,* id est qui « viventes reperiemur, *immutabimur;* et 1 Thessal. IV, « semel et iterum, *nos qui vivimus, qui residui sumus,* etc. ». Uno igitur verbo, cum eiusdem conditionis sint in ordine ad divinam iustitiam, tam ii qui nunc moriuntur, quam illi quos vivos deprehendet ultimus adventus, quemadmodum ii qui iuxtaposita habebunt fundamento fidei vivae lignum et fenum et stipulam, tunc salvabuntur, sic tamen quasi per ignem, ita et nunc. Unde etsi sermo Apostoli non respiciat directe ignem purgatorium qui nunc est, indirecte tamen et ex consequenti ipsum adstruit, aut verius ex concomitanti. Intendit enim instruere fideles de poena quae propter leves culpas eos manet, transfigurando omnes in

personam eorum quibus non communis mors, sed ipsa saeculi consummatio finem viae afferet.

Haec tamen de purgatorio animarum velut obiter dicta accipiantur, cum disputatio ista non sit huius loci ; sufficit enim si de veniali peccato sententia Scripturae dubitare nos non sinat. Sed nunc, post quaestionem *an sit*, exponendum superest *quid sit*, ut sequitur.

THESIS IX.

(QUAEST, 88. ART. 1-2).

Peccatum veniale, si etymon vocis attendatur, nihil aliud est quam peccatum ex sese condonabile. Si autem consideretur ratio impositionis nominis, est actio moraliter mala quae non tollit principium ordinis per aversionem a Deo fine ultimo, et pro tanto dici potius debet praeter quam contra legem aeternam, sive sit venialis ex genere suo, sive ex imperfectione actus tantum.

§ 1.

Quoad etymon vocis, evidens est quod veniale dicitur a venia. Tripliciter autem, ut docet S. Thomas, potest aliquod peccatum a venia denominari. — Uno quidem modo, quia iam consecutum est veniam, sicut cum Ambrosius dicit quod mortale peccatum fit per poenitentiam veniale, sed haec est denominatio pure extrinseca quae sumitur ab eventu. — Alio modo peccatum potest denominari veniale, quia habet in se causam minoris punitionis propter circumstantias attenuantes quae in eo considerantur, et sic peccata mortalia quae ex infirmitate sive passione fiunt, quandoque dicuntur venialia, non quidem simpliciter, sed secundum quid, et comparative ad ea quae ex certa malitia procedunt. — Tertio tandem modo peccatum denominatur veniale, quia *quantum est de se*, habet causam veniae totalis,

utpote non aeterna, sed temporaria tantum poena dignum, et hoc est peccatum veniale simpliciter, condivisum contra mortale, de quo in praesenti loquimur.

§ 2.

Verum *venialis* nomen desumptum est ab aliqua proprietate quae consequitur essentiam talis peccati, et non constituit eam. Non enim ideo est tale peccatum quia transitoria tantum poena ei debetur, sed omnino e converso. Inquirendum igitur superest quid speciale habeat peccatum hoc secundum suam essentiam consideratum, ut ex sese poenae aeternae reatum non inducat. Quaestio autem facile solvitur ex principiis superius traditis de peccato mortali. Etenim : « Cum peccatum sit quaedam infirmitas animae, « inquit Angelicus in praesenti, peccatum aliquod mortale « dicitur ad similitudinem morbi qui dicitur mortalis, ex « eo quod inducit defectum irreparabilem, per destitutionem « alicuius principii. Principium autem spiritualis vitae « quae est secundum virtutem, est ordo ad ultimum finem, « qui quidem si destitutus fuerit, reparari non potest per « aliquod principium intrinsecum, sed solum per virtutem « divinam... Defectus ergo ordinis ultimi finis non potest « per aliquid aliud reparari quod sit principalius, sicut nec « error qui est circa principia, et ideo huiusmodi peccata « dicuntur mortalia, quasi irreparabilia. *Peccata autem quae « habent inordinationem, conservato ordine ad ultimum finem, « reparabilia sunt* (per principium interius), *et haec dicuntur « venialia.* Tunc enim peccatum veniam habet, quando « reatus poenae tollitur, qui cessat cessante peccato » (1). Et eadem habet S. Thomas, *de Malo*, Quaest. 7, a. 1.

Est igitur de essentiali ratione venialis peccati, ut

(1) *Qui cessat, cessante peccato :* id est, qui aliquando saltem cessare debet, cessante culpae reatu; nam ut dictum est, necessaria conditio aeternitatis poenae est aeterna permanentia perversionis ordinis quam peccati actus induxit.

deordinationem moralem habeat citra aversionem a Deo. Quod autem actio aliqua, etsi irreferibilis in Deum, nihilominus aversionem a Deo non contineat, contingit dupliciter. – Uno modo ex parte subiecti, id est ratione imperfectae voluntarietatis, quando actus ex plena deliberatione non procedit. Et re quidem vera voluntas non avertitur a Deo nisi creaturae adhaerendo, vel signate vel exercite, ut fini ultimo. Atqui conversio ad aliquid ut ad finem, nusquam esse potest per actum non plene deliberatum. Finis enim ultimus se habet in operabilibus sicut primum principium in intelligibilibus. Sed in intelligibilibus non tenetur aliquid ut primum principium, quamdiu non habetur de eo nisi formidolosa vel opinativa aestimatio, et similiter in operabilibus, quisquis non fertur in aliquid nisi actu imperfecte voluntario, nondum ei adhaeret tamquam supremo diligibili quod sit ratio caetera diligendi. Impossibile igitur est ut motus voluntatis semideliberatus vim unquam habeat destruendi subiectionem ad Deum ut ad finem, de qua subiectione dicitur : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. — Alio autem modo contingit peccatum esse absque aversione a Deo, ratione scilicet obiecti, quod tantummodo *praeter*, et *non contra* ordinem finis ultimi est, omnia intelligendo iuxta ea quae superius in Prolegomeno declarata sunt (1). Qui enim aliquid vult quod est solum praeter aliquem finem, et aliunde non ordinat illud ad finem ei oppositum, nequaquam se a praedicto fine avertit, tametsi aliquid faciat quod nequit ad ipsum referri, ac per hoc, verissimam continet deordinationem, si de eo fine sermo sit ad quem nos et omnia nostra referre tenemur. — Ast :

Contra praedicta obiicitur primo: *Peccatum veniale in iis etiam esse potest qui sunt gratia et charitate destituti. Ergo propria eius ratio non in hoc consistit, quod deordinationem habeat, conservato ordine ad ultimum finem.*

(1) Vide supra, de ratione seu definitione peccati, § 5.

Respondeo quod cum dicitur *conservato ordine ad ultimum finem*, intelligendum est ordinem illum non destrui ex vi peccati venialis, quo non obstante, semper permanet et conservatur quando est. Si autem aliunde destructus supponatur, non ideo variatur intrinseca levis culpae ratio; nam etsi haec culpa de facto non componatur cum manente fundamento charitatis, ex sese tamen cum eo componi potest. Hinc peccatum veniale tam in iustis quam in peccatoribus est, quamquam in peccatoribus sit *per accidens* ab intrinseco irreparabile, et *per accidens* etiam in inferno puniatur poena aeterna, ut in sequenti propositione dicetur; quippe, ex mortalis peccati coexistentia impeditur, aut verius ligatur quodammodo venialitatis proprietas. Quare, ut distinctiva venialis peccati ratio epurata appareat ab eo quod in ipso non est nisi per accidens, seu propter aliud cui coniunctum invenitur, solet veniale considerari ut *de facto* coexsistens cum fundamento charitatis, iuxta illud Apostoli: *Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc... ligna, fenum, stipulam..., detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Unde etiam vides doctrinam S. Thomae circa differentiam qua mortale a veniali distinguitur, ex purissimis Scripturae fontibus fuisse depromptam.

Obiicitur secundo: *Quisquis quacumque ratione, actu saltem deliberato peccat, praefert voluntatem suam voluntati Dei, adeoque amat aliquid supra Deum. Sed amare aliquid supra Deum, est adhaerere creaturae ut summo diligibili, ac per hoc, non amplius subiici Deo ut ultimo fini. Ergo omne peccatum ex natura sua continet aversionem a Deo.*

Respondeo: *Dist. mai.* Quisquis quacumque ratione peccat, praefert voluntatem suam voluntati Dei, id est, praefert voluntatem suam creatam voluntati increatae quae est ipse Deus, *neg. mai.* Id est, praefert rem a se concupitam rei a Deo praeceptae, *subdist.* Ita tamen ut res praecepta, vel sit de genere eorum sine quibus recte servatis principium ordinis quod est charitas super omnia Deo

adhaerens, amplius non stat, vel e contra adhuc consistere potest (prout scilicet transgressionis obiectum aut contra, aut tantum praeter ordinem finis exsistit), iterum *conc. mai.* Alio modo, *neg.*, et concessa minore, nego consequentiam.

Sane vero, cum homo peccans dicitur voluntatem suam voluntati Dei praeferre, voluntas Dei evidenter hic sumitur pro re quam praecipit Deus. Videndum igitur est, cuiusmodi praeceptum imponatur, ut si quidem sit sub aversione a Deo, ponatur homo in necessitate eligendi inter Deum et rem prohibitam, unumque alteri praeferendi, ac per consequens, vel abstinendi ab eo quod prohibetur, vel adhaerendi commutabili bono ut fini, Deo derelicto. Si autem praeceptum sub aversione a Deo non sit, tunc nequaquam ponitur homo in necessitate eligendi inter unum et alterum finem. Imo vero, adhuc potest Deum diligere super hanc ipsam rem quam inordinate appetit, quia actio eius talem compatitur animi dispositionem, qua, si res prohiberetur ut contra ordinem veri ultimi finis exsistens, illam non vellet, sed magis eligeret eius emolumento carere, quam Dei amittere amicitiam. Et sic etiam contingit in humanis quod aliquis nollet pro ulla re mundi offendere amicum offensione separativa ac per se dissolvente foedus amicitiae, tametsi quandoque faciat ea quae amico vere displicent. Tunc enim non praefert amico id quod appetit praeter amicitiae ordinem, sed paratus esset illud relinquere, si aliter retineri amicitia non posset ; in huiusmodi ergo offenditur amicus, non simpliciter, sed secundum quid. Haec nunc applica proposito, et cum proportione ratiocinare. — Ast, nondum omnino quiescit animus, nam :

Obiicitur tertio: *Necesse est ut omnia quae appetit homo, appetat propter ultimum finem qui est consummatum bonum eius, ut dicitur in* I–2, *q.* 1, *a.* 6. *Ergo et obiectum venialis peccati propter ultimum finem semper appetitur. Sed non potest appeti propter ultimum finem qui Deus est, cum sit ad Deum irreferibile ; ergo propter ultimum finem qui est creatura. Si autem propter ultimum finem qui est creatura, statim conse-*

quitur quod in omni peccato inducitur finis Deo oppositus, vel aliis verbis, quod nullo pacto aliquis possit peccare, conservato ordine ad Deum sub ratione ultimi finis.

Respondeo quod de ultimo fine loqui possumus dupliciter : uno modo secundum rationem abstractam ultimi finis, alio modo secundum id in quo ratio ultimi finis invenitur. Quantum igitur ad rationem abstractam ultimi finis, sicut in ultimo fine omnes conveniunt, ita in omnibus illum appetunt, ad eumque referunt omnes actus suos ; hoc enim nihil aliud dictu est nisi quod semper appetimus nostram perfectionem adimpleri. At quantum ad id in quo praedicta ratio ultimi finis reponitur, non est necesse ut omnis actio nostra *ad aliquid determinatum* referatur, sed potest esse quod aliquid velimus, non ut summum appetibile, ex solo desiderio boni in genere, parati interim illud relinquere potius quam aliud principalius amatum amittere. Et hoc ex duobus provenit. Primo ex hoc quod in obiecto apparet aliqua bonitas absoluta, ratione cuius potest terminare appetitum voluntatis ut finis intermedius. Secundo ex hoc quod intellectus noster in praesenti statu unionis ad corpus, modum habet cognoscendi abstractivum et discursivum, quem consequitur proprius modus operandi per voluntatem. — Et re quidem vera, in hac vita accipit mens nostra cognitiones suas a rebus sensibilibus per abstractionis viam, habetque per prius generalem et confusam notionem boni et beatitudinis in communi, praescindentem ab omni determinatione entis realis in quo ratio ista sit reponenda. Insuper, cum apprehendit bona concreta in quibus pro suo arbitrio finem sibi praestituat, non uno eodemque actu intelligit finem et ea quae sunt ad finem, sed seorsum utrumque considerat. Cum autem voluntas sequatur intellectum, potest adhaerere alicui determinato medio tamquam medio, (id est non ut summo diligibili) quin appetat *aliquid determinatum* ut finem ultimum sibi praestitutum, sed solum *finem in communi, sive bonum in genere.* Quocirca, sicut homo in statu peccati mortalis manens potest coniungere

habitualem conversionem ad finem pravum cum quibusdam actibus bonis qui nondum includunt conversionem ad Deum ut ad finem cui super omnia adhaereat : ita ex adverso, homo exsistens in statu gratiae potest coniungere habitualem conversionem ad Deum cum actibus venialiter malis, qui etsi ad Deum irreferibiles, non ideo referuntur ad creaturam ut ad ultimum finem Deo oppositum. — Et per hoc patet solutio rationis inductae, quae quidem valeret pro angelo vel anima separata, ut in corollario mox dicetur, sed nullam vim habet quoad hominem in praesenti statu, quia eius voluntas non semper fertur in media secundum quod stant sub ordine *determinati* finis. Unde nihil prohibet quominus, conservato ordine ad unum finem ultimum determinatum, velit aliquid quod sit praeter ordinem huius finis, *in vi solius appetitus boni in genere.*

Manet igitur peccati venialis ratio ab Angelico tradita : « Secundum habitum, inquit (1), avertitur a fine « incommutabili, qui sibi alium finem contrarium ponit, « et hoc est in peccato mortali ; unde qui peccat mortaliter, « est sicut recedens a via. In actu vero tantum aliquis aver- « titur, quando aliquis actum aliquem facit quo in Deum « non tendit, ex eo quod inordinate ei quod est ad finem « inhaeret, non tamen ita ut illud quod est ad finem quasi « finem constituat, et hoc est in peccato veniali. Unde pec- « cans venialiter similatur ei qui nimis moratur in via, et « hoc non est averti nisi secundum quid ; sicut etiam quod « retardat motum corporis gravis non aufert gravitatem « et inclinationem in finem ; auferret autem si contrarium « sibi motum daret, ut quando ex gravi leve generatur ». Hinc peccatum veniale, ex parte substantiae actus definiri potest : *Dictum vel factum vel concupitum praeter legem aeternam* (2). Ex parte vero privationis seu defectus : *Mo-*

(1) S. Thom. in II, D. 42, q. 1, a. 3, ad 5^{um}.

(2) Iterum animadverte peccatum veniale dici *praeter* legem Dei, quatenus est praeter et non contra finem ultimum quem respicit lex, atque ideo, praeter et non contra id quod primario ac principaliter

ralis deordinatio consistens, vel in indeliberata conversione ad quodlibet obiectum per legem aeternam prohibitum, vel in deliberata inhaesione ad medium quod finem Deo oppositum non inducit, et tamen ad Deum non est referibile. Sicut autem in mortali, ita in veniali aliquid consideratur ut materiale et aliquid ut formale : materiale est conversio ad obiectum extra ordinem finis exsistens, formale est conversio eadem prout privat motum in finem et repugnat fervori charitatis.

COROLLARIUM

(Art. 3-4).

In angelo peccatum veniale omnino esse non potest. Sed nec potuit esse in homine, quandiu per gratuitum originalis iustitiae donum, inferiora sub superioribus infallibili ordine continebantur.

Haec conclusio, si modo de substantiis separatis et de originalis iustitiae statu recte sentiamus, ultro sequitur ex praemissis, sed et multum confert ad hoc ut natura venialis peccati penitius inspiciatur. Ideo, maioris claritatis gratia, distincte est exponenda, primo quoad angelum, deinde vero quoad hominem in statu innocentiae.

§ 1.

« In angelo bono vel malo, inquit Angelicus (1), pec-« catum veniale esse non potest. Ratio est quia angelus « non habet intellectum discursivum, sicut nos habemus.

in regula legis continetur. Ad rem Caietanus, in 1-2, q. 88, a. 1: « Ve-« nialia quidem ex imperfectione actus, sunt secundum quid, id est « secundum imperfectum motum contra legem Dei, ut primus motus « infidelitatis et adulterii testantur. Venialia autem ex genere sunt « cundum quid, id est secundum imperfectam materiam, contra legem, « Dei, ut mendacium iocosum et risus superfluus testantur ».

(1) *De Malo*, quaest. 7, a. 9, in corp.

« Hoc autem pertinet ad rationem intellectus discursivi, ut « principia seorsum interdum consideret, et conclusiones « seorsum, et sic contingit quod ab uno in alterum discurrat, « nunc hoc, nunc illud considerans. Hoc autem in intellectu « deiformi non discursivo esse non potest, sed semper con- « clusiones considerat in ipsis principiis absque omni discursu. « Dictum est autem quod sic se habet finis ad ea quae sunt « ad finem in appetibilibus et operativis, sicut se habet prin- « cipium indemonstrabile ad conclusiones in demonstra- « tivis. Unde in nobis contingit quandoque quod cogitamus « vel afficimur circa ea quae sunt ad finem tantum, et quando- « que solum circa finem, quod in angelis esse non potest, sed « semper motus mentis angelicae simul fertur in finem et « in ea quae sunt ad finem ; unde nunquam in eis potest « esse deordinatio circa ea quae sunt ad finem, nisi simul « exsistente deordinatione circa finem ipsum. In nobis autem « contingit esse deordinationem circa ea quae sunt ad finem « per peccatum veniale, mente hominis habitualiter exsi- « stente fixa in fine, et idcirco in hominibus contingit « esse peccatum veniale sine mortali, non autem in angelis, « sed omnis inordinatio est in eis per aversionem a fine « ultimo, quod facit peccatum mortale. Ex hoc enim angelus « peccat, quod inhaeret alicui bono creato, avertendo « se a bono increato ». Hactenus doctrina S. Thomae, ad cuius meliorem intelligentiam suppone hominem qui mendacium officiosum ordinaret ad finem adulterii ; talis profecto peccaret mortaliter, et non venialiter tantum, quia etsi mendacium ex genere suo in venialibus debeat recenseri, ex quo tamen refertur ad finem mortalis peccati, sine dubio mortale efficitur. Proinde mendacium officiosum apud nos, ideo veniale peccatum plerumque est, quia potest homo mentiri quin ordinet mendacium suum ad malum ultimum finem, multoque minus ei ut fini inhaereat. Sed hoc non potest homo nisi propter modum abstractivum et discursivum suae cognitionis, sicut paulo supra ostensum est in responsione ad 3^{um}. Nunc igitur

cum talis modus in angelo non sit, fit ut voluntas eius nunquam feratur in ea quae sunt ad finem, nisi secundum quod stant sub ordine *determinati* cuiusdam finis ultimi, qui vel Deus est vel creatura : « Propter hoc ex natura sua « habent (angeli), quod non possit in eis esse deordinatio..., nisi « simul sit circa finem ipsum. Sed angeli boni non moventur « in ea quae sunt ad finem, nisi in ordine ad finem debitum, « qui est Deus, et propter hoc omnes eorum actus sunt actus « charitatis, et sic in eis non potest esse peccatum veniale. « Angeli vero mali in nihil moventur nisi in ordine ad finem « peccati superbiae ipsorum, et ideo in omnibus peccant « mortaliter, quaecunque propria voluntate agunt » (1).

Haec si bene consideres, videbis sensum huius doctrinae minime assecutos eos fuisse, qui conclusionem S. Thomae impugnant quasi ipse doceret materiam venialem in homine evadere mortalem in angelo, aut naturam peccati immutari secundum solam diversitatem subiectorum : quae omnia facile falsa demonstrantur. Sed docet Angelicus, duo ad veniale peccatum requiri (2) : primo ut voluntas tendat in aliquid quod est de se *praeter* ordinem finis legis aeternae, secundo ut illud non ordinet ad finem contrarium, quia alias, sicut constat ex terminis, *contra* finem ipso facto evaderet. In quocumque ergo operante hae conditiones verificantur,

(1) S. Thom., hic, q. 89, a. 4, in corp. — Ea autem quae de angelo dicuntur, propter paritatem rationis dici etiam debent de animabus separatis, et de homine integro postquam corruptibile hoc induerit incorruptionem. Quo fit ut animae sanctae in charitate decedetes non sint amplius capaces ullius actus etiam venialiter mali, animae vero damnatae in malo obstinatae, ullius affectus moraliter boni. Ad finem enim in quo immobiliter figuntur necessario cuncta referunt, non valentes amplius operari *praeter* finem illum. Propterea in purgatorio est pulchritudo pacis, in inferno autem nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

(2) In his semper agitur de veniali quod tale est ex obiecto, non autem ex imperfectione actus. Quod enim in angelo non possit esse actus semideliberatus, nimis evidens est quam ut demonstratione indigeat.

non mortale, sed veniale peccatum est. Nunc autem in angelo postrema conditio verificari nequit, quia angelus non potest aliquid velle sicut nos ex appetitu boni *in abstracto*, sed quidquid vult infra finem, vult propter aliquem ultimum finem *in concreto*, et ideo, si quid appetat quod ad Deum referibile non sit, illud appetit propter finem contrarium Deo, ac per hoc, vel agit ex charitate, vel mortaliter peccat.

§ 2.

Ex dictis hactenus satis superque apparet quod *prima radix* unde in nobis provenit possibilitas venialiter peccandi, consistit in modo intelligendi qui huius vitae proprius est. Sed nunc ulterius considerandum venit quod *radix proxima* invenitur in insubordinatione partis inferioris ad superiorem; qui defectus, etsi naturaliter consequatur praesentem modum unionis animae cum corpore, potuit tamen impediri et de facto fuit aliquando per donum gratuitum impeditus. Et re quidem vera, si sub ratione superiori omnes nostrae potentiae et vires infallibili lege continerentur, nusquam posset homo operari praeter ordinem illius finis in quo eius mens habitualiter fixa exsistit. Nusquam enim ratio inferior quae occupatur circa media, subtraheret se ab imperio superioris quae inhaeret ultimo fini. Unde in sensu composito habitualis conversionis ad Deum, omnes hominis actus essent necessario ad Deum relati, nec relinqueretur locus *illogicitati practicae* (si liceat dicere), qua quis uni summo ac supremo fini affectu coniungitur, et tamen multa facit quae sub ordine huius finis non stant. — Quia igitur in statu innocentiae originalis cunctae hominis vires perfecte rationi subdebantur, veniale peccatum tunc possibile omnino non fuit, quamdiu scilicet permansit ille status, hoc est, antequam per peccatum mortale ratio superior sese a Deo averteret.

« Communiter ponitur, inquit Angelicus (1), quod homo « in statu innocentiae non potuit venialiter peccare. Hoc « autem non est sic intelligendum, quasi id quod nobis est « veniale si ipse committeret, esset sibi mortale propter « altitudinem sui status. Dignitas enim personae est quaedam « circumstantia aggravans peccatum, non tamen transfert « in aliam speciem, nisi forte superveniente deformitate « inobedientiae, vel voti, vel alicuius huiusmodi, quod in « proposito dici non potest. Unde id quod est de se veniale, « non potuit transferri in mortale propter dignitatem primi « status. Sic ergo intelligendum est quod non potuit peccare « venialiter, quia non potuit esse ut committeret aliquid « quod esset de se peccatum veniale, antequam integritatem « primi status amitteret, peccando mortaliter. Cuius ratio « est, quia peccatum veniale in nobis contingit, vel propter « imperfectionem actus, sicut subiti motus in genere pecca- « torum mortalium, vel propter inordinationem exsistentem « circa ea quae sunt ad finem, servato debito ordine ad « finem. Utrumque autem horum contingit propter quemdam « defectum ordinis, ex eo quod inferius non continetur fir- « miter sub superiori. Quod enim in nobis insurgat subitus « motus sensualitatis, contingit ex hoc quod sensualitas non « est omnino subdita rationi ; quod vero insurgat subitus « motus in ratione ipsa, provenit in nobis ex hoc quod « ipsa exsecutio actus rationis non subditur deliberationi « quae est ex altiori bono. Quod vero humanus animus inor- « dinetur circa ea quae sunt ad finem, servato debito ordine « ad finem, provenit ex hoc quod ea quae sunt ad finem non « ordinantur infallibiliter sub fine qui tenet summum locum, « quasi principium in appetibilibus, In statu autem innocen- « tiae erat infallibilis ordinis firmitas, ut semper inferius « contineretur sub superiori quamdiu summum hominis « contineretur sub Deo, et ideo oportebat quod inordinatio « in homine non esset, nisi inciperet ab hoc quod summum

(1) S. Thom., hic, q. 89, art. 3, in corp.

« hominis non subderetur Deo, quod fit per peccatum mortale. « Ex quo patet quod homo in statu innocentiae non potuit « peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter » (1).

Hinc consequitur B. Virginem nullius unquam venialis noxae ream exstitisse, ut catholica tenet sententia. Ipsa enim in sua conceptione accepit donum orginalis iustitiae quantum ad omnia quae animae perfectionem spectant, et in hoc Adae innocenti comparatur. Nunc autem, ne peccaret mortaliter, supra Adam habuit confirmationem in gratia per ea Spiritus Sancti adiutoria sub quibus praevidebatur semper inhaesura Deo ut fini ultimo. Ergo tota pulchra fuit, in omnibus immaculata.

(1) Hanc rationem quae est ex natura rei, recentiores theologi post Suarezium non recipiunt, sed dicunt quod venialia a statu innocentiae abfuissent propter specialem Dei providentiam, quae a peccato veniali hominem avertisset. Nituntur autem hoc argumento: *Qui potest plus, potest et minus ; atqui homo in statu innocentiae potuit plus, id est, peccare mortaliter ; ergo potuit et minus, id est peccare venialiter*. Verum argumentum in aequivoco laborat. Transmissa enim maiore, negabis suppositum minoris. Nam cum de peccato agatur quod integritati primi status coexsistat, vel comparatio inter veniale et mortale peccatum omnino extra quaestionem versatur, vel supponitur in minore, hominem potuisse componere mortalem culpam simul cum iustitia originali, quod profecto falsum atque contradictorium est. — Dicendum igitur, et melius, quod homo innocens, sicut potuit peccare mortaliter, sed amittendo *ipso facto* originalem iustitiam, ita potuit peccare et venialiter, sed amittendo *per prius* hanc eamdem originalem integritatem. Unde in sensu composito status innocentiae nullum peccatum esse potuit, nec mortale, nec veniale. Fuit tamen in potestate hominis ut hunc statum destrueret per mortalem culpam, qua semel admissa, ablatoque ordine quo sub ratione superiori cuncta continebantur, incepit etiam venialis peccati capax existere.

THESIS X.

(Quaest. 89, a. 1. – De Malo. Quaest. 7, a. 11).

Peccatum veniale habituale est ipse peccati actus, prout imputabiliter permanens denominat hominen reum cuiusdem deviationis extra et praeter ordinem veri ultimi finis. Coniunctum cum mortali participat eius irreparabilitatem, et per accidens habet in inferno poenam aeternam. In iusto autem est simpliciter et absolute ab intrinseco reparabile, poena expiandum temporali tantum.

§ 1.

Quoad *peccatum veniale habituale*, proportionaliter applicanda sunt principia de mortali peccato superius tradita (1). Sed duplex attendi debet differentia quantum ad id in quo habitualis culpae ratio salvatur.

Prima differentia est quod reatus culpae mortalis privat sanctificantem gratiam, qua sola homo habitualiter convertitur ad Deum finem supernaturalem. Hoc autem in venialibus non est, quia veniale peccatum non excludit nec diminuit habitum charitatis aliarumve infusarum virtutum, et non causat proprie loquendo maculam in anima (2). Qua-

(1) Vide supra, Thes. 4.

(2) « Macula importat detrimentum nitoris ex aliquo contactu, « sicut in corporalibus patet, ex quibus per similitudinem nomen ma- « culae ad animam transfertur. Sicut autem in corpore est duplex « nitor, unus quidem ex intrinseca dispositione membrorum et coloris, « alius autem ex exteriori claritate superveniente: ita etiam in anima « est duplex nitor, unus quidem habitualis quasi intrinsecus, alius au- « tem actualis quasi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit « quidem nitorem actualem, non tamen habitualem, quia non excludit « neque diminuit habitum charitatis et aliarum virtutum. Macula au-

propter, cum veniale dicitur contrariari fervori charitatis sicut mortale contrariatur substantiae ipsiusmet, sensus non est quod culpa venialis habitualis consistat in aliqua privatione fervoris quae sit cogitanda ad modum privationis habitus in mortali. Sed sensus est quod inordinatio cuius venialiter peccans reus efficitur, opponitur tantum perfectae dominationi charitatis in homine, pro quanto fervidae charitatis est nihil permittere in conversatione nostra quod non referatur ad Deum super omnia amicabiliter dilectum. Caeterum charitatis fervor aliquid actuale est, in cuius defectu physice considerato habituale peccatum reponi omnino nequit. Nec obstat quod S. Thomas passim dicat venialia haud aliter quam per fervorem charitatis remitti. Per hoc enim non intendit quod ipse fervor sit causa formalis remissionis, sicut in mortalibus infusio gratiae, sed vult quod imputatio sive reitas venialis culpae non auferatur ex opere operantis, nisi mediante actu qui compenset perversionem ordinis per venialem actum inductum. « Aliter ergo, inquit « *de Malo*, Quaest. 7, a. 11 in corp., remittitur peccatum « veniale, et aliter mortale. Nam quantum ad culpam, ad « hoc quod peccatum mortale non imputetur, oportet quod « tollatur impedimentum quod erat ex corruptione principii per « novam charitatis et gratiae infusionem. Hoc autem non requi- « ritur in peccato veniali, quia charitas manebat; sed oportet « quod tollatur impedimentum per aliquem fortem impulsum « repugnantem impedimento quod erat appositum ex obice « veniali. Sicut impedimentum quod contingit ex gravis « corruptione, non potest tolli nisi per iteratam eiusdem « generationem; impedimentum vero quod esset ex aliquo « obice apposito, tollitur per aliquem violentum motum

« tem importat aliquid manens in re maculata; unde magis videtur « pertinere ad detrimentum habitualis nitoris quam actualis. Unde, « *proprie loquendo*, peccatum veniale non causat maculam in anima. « Et si alicubi dicatur maculam inducere, hoc est secundum quid, in « quantum impedit nitorem qui est ex actibus virtutum » S. Thom. hic, q. 89, a. 1.

« removentem ipsum obicem. Sic ergo et veniale quantum « ad culpam remittitur per fervorem charitatis, mortale « per gratiae infusionem ». Ubi vides quod in exemplo proposito violentus motus non se habet ut causa formalis remotionis obicis, sed magis ut causa efficiens. At contra, impedimentum quod in ipsius gravitatis corruptione consistebat, per iteratam eiusdem generationem formaliter aufertur. Et haec quidem maxime notata velim quoad primam differentiam inter habitualem venialem culpam et mortalem.

Sed et alia differentia sequitur ex prima. Dum enim remissio mortalis culpae in duobus consistit, tum scilicet in hoc quod Deus offensam condonando destruit, ut non valeat amplius ad imputationem reatus, tum in hoc quod tollit aversionem infundendo gratiam : remissio culpae venialis reponitur tantum in uno, id est in ablatione reitatis, quamvis ad eam essentialiter requiratur praesentia gratiae in anima, sicut ex iam dicendis evidentius apparebit.

§ 2.

Quod enim peccatum veniale coniunctum cum mortali, participet eius irreparabilitatem (1), facile constat ex causa irreparabilitatis superius assignata. Nam mortale peccatum in tantum est per se irreparabile, in quantum tollit ipsum principium ordinis quo voluntas hominis subditur Deo ut fini ultimo. Sed impossibile est reparari id quod est post principium, antequam reparetur principium ipsum, et repugnat ut sanetur defectus per se oppositus fervori charitatis, nondum reparata charitate quoad sui substantiam. Quare, si quis in statu aversionis a fine ultimo exsistat, praecedens vel superveniens venialis noxae reatus profecto auferibilis non est, nisi praesupposita reparatione principii quod est gratia habitualis. Quo fit ut adventante termino viae, maneat in perpetuum, interminabilem poenam

(1) Vide supra, Thes. 7.

secum trahens, nam : « Aeternitas poenae, ut dictum est, conco-
« mitatur carentiam gratiae, ex qua provenit aeternitas culpae.
« Et inde est quod peccatum veniale in eo qui decedit cum
« mortali, quia nunquam remittitur, aeterna poena punitur
« propter gratiae carentiam » (1).

Hanc conclusionem communius recipiunt theologi (2), negat tamen Scotus cum sua schola, et ratio controversiae altius est repetenda. Quisquis enim intelligit quod in foro Dei taxantur poenae eodem omnino modo ac in foro iustitiae humanae, ita scilicet ut nihil aliud consideretur nisi transiens actus culpae, praeciso omni respectu ad perversionem interioris ordinis quam post se relinquit, iste necessario debebit Scoto consentire. Sic enim poena tam quoad durationem quam quoad acerbitatem, haberet mensuram a sola gravitate transeuntis actus, et veniale peccatum, quamvis in aeternum manens secundum culpae reatum, temporaliter tantum in inferno puniretur. Quamquam nescio quomodo in his principiis recte adhuc explicare possent ea quae de peccato mortali omnes pariter confitemur. Scimus enim peccato mortali reddi poenam aeternam tum damni tum sensus ; scimus etiam poenam damni esse propter aversionem a Deo ,et poenam sensus propter conversionem ad commutabile bonum, iuxta illud Scripturae : *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Nunc autem, etsi in gravitate aversionis a Deo sit quaedam infinitas, cui adhuc responderet poena duratione infinita : non tamen in gravitate conversionis ad bonum creatum, si secundum se consideretur. Sequeretur ergo solam poenam damni debere esse sine fine, contra verbum Domini dicentis : *Ite in ignem aeternum.* — Quanto igitur melius dices cum S. Thoma, quod in foro Dei duratio poenae non potest esse minor duratione perversionis ordinis moralis quam peccati actus induxit.

(1) S. Thom., *de Malo*, q. 5, a. 2, ad 8^{um}. — Et idem docet in 1-2 q. 87, a. 5, ad 3^{um}. — In II, D. 33, q. 2, a. 1, ad 2^{um}. — In IV, D. 21, q. 1, a. 2, q. 3, etc.

(2) Cf. Gregorium de Valentia, Disp. 6, q. 17, Punct. 4.

Hoc enim vel maxime interest inter iudicem Deum et iudicem hominem, quod iudex homo curam habet ordinis particularis et mere exterioris, ideoque dum iudicat de actibus prout laedunt exteriorem ordinem communitatis, debet sistere in solo actu transeunte cum suis exterioribus consequentiis, minime attendendo ad perversionem ordinis quae forte manet vel non manet intus in corde. Sed Deus universalis ordinis iustitiae princeps est, et propter hoc in foro eius eadem norma eademque mensura non tenet. — Sciendum itaque, quod quisquis peccat, meretur in aeternum puniri, si perversitas ordinis per actum peccaminosum inducta in aeternum manet. Nunc autem, quia peccatum mortale habet ex natura sua et quantum est ex parte peccantis, ut irreparabiliter pervertat interiorem ordinem, ideo *per se* inducit aeternae poenae reatum. Quia vero peccatum veniale ratione sui id non habet, ideo *per se* inducit poenam temporalem. Verumtamen, quia veniale coniunctum cum mortali, in sensu composito huius coniunctionis reparabile non est, ideo *per accidens*, seu ratione irreparabilitatis quam ab alio participat, punitur in gehenna poena nusquam finienda.

In iustis autem veniale non invenitur nisi secundum ea quae sibi conveniunt *per se*, et est reparabile per principium interius charitatis quod remansit. Non tamen statim ac culpa tollitur, necessario etiam consumitur totus poenae reatus, quia pro materiali culpae remanere potest debitum cuiusdam restitutionis in igne purgatorio. Imo sic necesse est accidere quoties iustus decedit cum venialibus ante mortem non retractatis. « Oportet dicere, inquit Angelicus, « *de Malo*, Quaest. 7, a. 11, quod venialia remittuntur eis « post hanc vitam, etiam quantum ad culpam, eo modo « quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis « in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis. « Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille « dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum ve- « nialis culpae, non tamen meretur absolutionem vel diminu- « tionem poenae sicut in hac vita ».

PARS TERTIA

DE PECCATO ORIGINALI

QUAEST. LXXXI-LXXXIII

Peccatum orginale pro distinctiva nota habet quod sit peccatum, non personae, sed naturae. « Non est pec-« catum huius personae, inquit S. Thomas, Q. 81, a. 1, « nisi in quantum haec persona recipit naturam a primo « parente. Unde et vocatur peccatum naturae, secundum « illud Eph. II–3 : *Eramus natura filii irae* ». Et in II, D. 20, Q. 2, a. 3 ad 1^{um} : « Peccatun originale est primo et per « se peccatum naturae, et per posterius personae ; actuale « autem est proprie peccatum personae quod per personalem « actum incurritur ». Et *de Pot.* Q. 3, a. 9 ad 3^{um} : « Peccatum « originale dicitur peccatum totius naturae, sicut peccatum « actuale dicitur peccatum personale. Unde, quae est com-« paratio peccati actualis ad unam personam singularem, « eadem est comparatio peccati originalis ad totam naturam « humanam traditam a primo parente ». Et *de Malo*, Q. 4, a. 1 : « Dicitur esse peccatum totius naturae, nec ad per-« sonam pertinet, nisi in quantum natura inficit personam ». Et sic in aliis locis sine numero, nec ullus theologus est, qui in hoc non consentiat.

Nunc autem de peccato naturae, in ipso limine disputationis statim occurrit quaestio, quid sibi velit tale peccati genus. Constat enim, peccatum naturae nunc non accipi

in eodem sensu in quo accipiebatur in prooemio tractatus, quando sermo erat de peccato seu operatione defectuosa in triplici ordine naturae, artis, et moris. Constat, inquam, agi omnino de peccato ordinis moralis, id est theologico, quod eatenus naturae dicitur, quatenus non a persona particulari qua tali ortum habuit, nec personam particularem qua talem infecit, sed communem naturam quae generatione propagatur. De tali ergo peccato quaeritur quae sit notio eius, quis verus ac legitimus conceptus. Nam si huic quaesito per prius satisfiat, recte et intelligibiliter procedet doctrina de peccato originali. Sin autem minus, in perpetuo versabitur aequivoco. Et inde enascitur necessitas praeambulae disquisitionis, quae ad tria sequentia capita commode revocari potest.

§ 1.

Peccatum naturae, quid?

Peccatum, ut ex praecedentibus liquet, duobus modis accipi solet : primo ut actus, secundo ut habitualis defectus consequens actum. Et utroque modo sumitur, sive de personae, sive de naturae peccato sermo sit. Sed, ut differentia inter unum et alterum appareat, per prius videre oportet, quis sit habitualis defectus rectae habitudinis ad Deum, cuius natura est capax, reduplicative in quantum natura est.

Defectus quippe rectitudinis, in materia de peccato, concipitur dupliciter. Uno modo, ut positiva aversio a Deo per positivam conversionem ad oppositum, id est, ad creaturam ut ad ultimum finem. Alio modo, ut aversio pure privativa, per solam negationem debitae ad Deum ordinationis.

Si quis autem bene consideret, vel primo intuitu videbit quod natura ut talis, id est natura specifica quae per generationem communicatur, incapax est defectus rectitudinis primo modo intellecti. In natura enim communi nihil omnino excogitabile est, per quod sit conversa ad ultimum finem Deo contrarium ; sed ubicumque talis deordinatio invenitur,

id quidem nonnisi ratione eius quod ultra naturalia in origine accepta, persona superinduxit per liberam electionem sui proprii arbitrii. Quidquid ergo ad eiusmodi defectum pertinet, sive in statu habituali, sive in actu quo status inducitur, totum hoc exclusive proprium est peccato personali, de cuius ratione et natura satis est disputatum in superioribus.

Consideratio itaque restringitur ad defectum rectitudinis secundo loco positum, consistentem nempe in simplici destitutione principii quo deberet natura perfici, et ad Deum ordinari. Et quaeritur utrum hoc saltem modo, natura communis quae a parente in prolem, et de generatione in generationem traducitur, possit esse debita rectitudine carens. In quo quidem opus est distinctione. Nam si cogitetur natura per Deum conditorem instituta in puris naturalibus, iterum impossibile erit concipere in ea quamlibet privationem debitae rectitudinis. Non enim potest communis natura usquequaque destitui aliquo quod ad eam pertineat secundum seipsam, id est ut causatum ex propriis principiis eius. Aliunde vero, uti per hypothesim supponitur, creata a Deo fuisset tanquam in proprio ordine circumscripta, seclusa quacumque elevatione ad ordinem superiorem. Quare, si quo forte rectitudinis modo carere inveniretur, non esset ille modus debitus, sed modus cuius carentia pertineret ad defectum mere naturalem, ad puram negationem perfectionis transcendentis, ac per hoc, non haberet rationem destitutionis, nec privationis, nec deordinationis ab ultimo fine Deo.

At longe aliter dicendum si natura nunc cogitetur instituta in quodam elevationis statu. Si, exempli causa, supponatur primitus aucta ea perfectione quae nomine iustitiae originalis apud theologos venit. Si perfectio illa, etsi in se undequaque gratuita, collata tamen fuisset *velut accidens naturae speciei* (1): non equidem eo sensu quo accidens

(1) S. Thom. 1ª Part. 100, a. 1 – Et supra, Q. 95, a. 1.

speciei dicitur quasi ex speciei principiis causatum, sed hoc sensu quo illud etiam non immerito per modum accidentis speciei acciperetur, quod gratis datum esset toti naturae tamquam quaedam eius proprietas, eo scilicet tenore, ut quantum esset ex parte ordinationis Dei, deberet non modo naturam perpetuo comitari, verum etiam simul cum natura a parente in prolem traduci, non secus ac caetera ad speciem pertinentia in quibus generans genitum sibi assimilat. Tunc ergo esse non posset quod natura careret eiusmodi perfectione (quae in rectitudine ad Deum finem supernaturalem supponeretur consistere), quin eo ipso carentia ista indueret rationem privationis, imo et aversionis ab ultimo fine Deo : intelligendo iterum aversionem, non per modum conversionis ad contrarium finem, sed per modum destitutionis a gratuita et intenta a Deo iustitia, iuxta declarationes prius factas.

Sed iam ulterius procedendo in eadem semper suppositione, facile quoque apparebit, destitutionem eiusmodi nequaquam possibilem fore nisi ex aliqua actuali culpa. Quidquid enim quocumque modo rationem habet habitualis aversionis a Deo, nonnisi per voluntariam culpam inducitur, ut per se evidentissime constat. Et ideo statim quaeritur utrum culpa aliqua excogitari queat proportionata huic effectui, tollendi nimirum a communi natura gratuitam rectitudinem, faciendique ut natura ipsa, ad quoscumque ex traduce propagata perveniret, secum ferret privationis debitum, simul cum eo qui in privatione involveretur, culpae reatu. Et ratio dubitandi vel prima fronte occurrit, quia natura communis nec exsistit, nec agit, nec peccat, sed culpa nusquam est nisi a determinata et singulari persona. Verumtamen, etiam atque etiam considerandum est quod natura communis de qua nunc sermo, non est natura in abstracto, sumpta cum intentione universalitatis : quo quidem modo, utique non exsistit nisi in solo intellectu. Sed est natura prout et in quantum traducibilis ad posteros ; natura secundum quod forma, in qua, per naturalem generationem progenitor

sibi assimilat prolem. Atqui natura communis sic intellecta, revera est a parte rei, utpote communitatem non habens nisi secundum rationem communicabilitatis ad alia possibilia individua ; revera est in singulari persona a qua tamquam ab activo principio esse potest naturae propagatio ; revera est in Titio, in Caio, in Socrate, sicut erat in Adamo, in unoquoque eorum communis exsistens per ordinem ad respectivam singulorum progeniem vel futuram vel futuribilem.

Hoc ergo semel posito, et ut par est rite intellecto, dico duplicem hypothesim hic considerandam occurrere. Prima est secundum quam natura communis singularem personam informans, iam supponeretur *praecorrupta* eo corruptionis modo, quo solo communis natura corruptibilis intelligitur, videlicet per destitutionem *gratuitae*, et tamen *quasi specificae* perfectionis de qua supra. Et tunc manifestum per se est quod culpa personae nullatenus afficeret communem naturam in persona exsistentem, sed relinqueret eam sicut antea erat, plane invariatam, absque defectu vel reatu novo in ea inducto : siquidem iam completam inveniret corruptionem illam, praeter quam non est alia possibilis in natura. Foret igitur culpa personae ut personae, non autem ut fontis naturae, eo quod, in dicta hypothesi caput naturae qua tale, culpae capax amplius non exsisteret ; ac per hoc, actio peccaminosa haberet pure et exclusive rationem peccati personalis cum omnibus et solis consequentiis quae eidem propriae sunt.

Nunc autem aliter omnino se res haberet in hypothesi opposita, secundum quam natura communis in Titio exsistens ut in activo propagationis principio, *adhuc integra* praesupponeretur. Tunc enim, superveniens culpa Titii duplicem haberet aspectum : culpae individui, et culpae capitis seu fontis naturae. Et haec eadem culpa, tum in persona, tum in natura reatum induceret, diversi tamen generis pro diversa capacitate utriusque. Ut culpa individui, induceret personalem reatum *positivae* a Deo aversionis, tollendo

simul gratiam secundum quod gratia huic particulari personae principium erat rectae habitudinis ad Deum. Ut culpa fontis naturae, induceret in natura reatum destitutionis a supernaturali illa justitia qua eam ornaverat Deus, tollendo gratiam secundum quod gratia erat proprietas quasi specifica, instar caeterarum proprietatum naturalium a parente ad posteros propaganda. Et hoc ipsum aptissime posset illustrari exemplo desumpto e re in se quidem impossibili, sed impossibilitate proveniente e sola conditione materiae, quae idcirco non impedit quin, suppositione semel facta, consequentiae recte deducantur. Simile nimirum esset, si homo quispiam *radicitus* a se exstirparet facultatem aliquam naturalem, puta visivam vel auditivam. Nam, hoc faciendo corrumperet homo ille et personam et naturam : personam quidem, referendo ad se individuum : naturam vero, referendo ad suam progeniem, eo quod post radicalem dictae facultatis exstirpationem, generaret filios eadem facultate orbatos, et illi alios, et sic in indefinitum. Et adhuc magis simile esset, si iterum per impossibile, eiusmodi radicalis exstirpatio dependeret a violatione legis, et involveret in se rationem deordinationis a regula legis. Tunc enim delictum huius hominis, non modo mancam, sed et ream communem naturam efficeret, et rei nascerentur filii, non quidem reatu personali inferente debitum poenae positivae, sed reatu naturali inferente debitum poenae negativae, id est subtractionis omnium beneficiorum quae usum visus, vel auditus, vel cuiuspiam alius talis facultatis, consequuntur.

Haec nunc applica in casu Adae et generis humani, et conceptum habebis peccati naturae, qualis in doctrina S. Thomae ubique proponitur. Vide illum in 1–2, Q, 81, a. 2, et in II, D. 31, a. 1, et in 4 *c. Gent.* c. 52, etc. Verum, idem ille conceptus clarior adhuc fiet ex responsione ad quaesitum quod sequitur.

§ 2.

Actus peccati naturae, a capite iuridico, an a capite naturae simpliciter et sine addito?

Hic tangitur radicale discrimen inter conceptionem S. Thomae de peccato originali, et conceptionem apud theologos recentiores vulgatam. Ipsi enim non concipiunt peccatum mundi, seu peccatum naturae, nisi in quantum fuisset a protoparente tanquam ab eo qui per positivum decretum Dei institutus esset *caput morale sive iuridicum* totius generis humani: habens nimirum translatas in se voluntates posterorum, non physice quidem, sed veluti legaliter, quatenus quidquid faceret ipse quoad observationem vel violationem praecepti de non comedendo fructu vetito, facere censerentur et posteri.

« Suppono tertio, inquit Billuart, *de actibus humanis*, « Diss. 6, a. 2, Adamum fuisse a Deo constitutum caput « non solum naturale, sed morale omnium hominum quantum « ad conservationem aut amissionem iustitiae originalis, « ita ut ipse Adam et omnes eius posteri censeri debeant « tanquam unum corpus cuius ipse Adam sit caput, atque « gerat personam omnium in eo in quo est caput, et voluntas « ipsius in ratione capitis sit voluntas omnium posterorum, « sicque quidquid vellet in ratione capitis, ipsi etiam vellent, « non voluntate propria et personali, sed communi voluntate « capitis... Ad hoc autem ut Adam esset caput nostrum « morale, et voluntates nostrae includerentur in eius volun- « tate quoad conservationem aut amissionem iustitiae ori- « ginalis, duo fuerunt necessaria, unum ex parte Dei, alterum « ex parte Adami. Ex parte Dei fuit necessarium decretum « quo Deus statuerat voluntatem Adae esse habendam pro « voluntate nostra. Ex parte Adae, fuit necessarium ut istud « decretum illi manifestaretur ». Similiter Wirceburgenses, *de Pecc.* n. 95: « Est communior sententia recentiorum, qui

« volunt posterorum voluntates moraliter fuisse translatas « in voluntatem Adae per pactum initum, quatenus Deus « Adamum caput posterorum morale instituit, ita ut velut « omnium nomine praeceptum Dei servaret vel pro lubitu « violaret, et eo quidem in iustitia et obedientia persistente, « eius posteri gratiam et iustitiam orginalem obtinerent, « eo autem peccante, posteri peccato inficerentur, fierentque « inimici et invisi Deo ». Porro ad eamdem sententiam, velint nolint, satis *accedunt* illi etiam moderni qui etsi pactum initum inter Deum et Adam ad fabulam amandantes, et inclusionem nostrarum voluntatum in Adami voluntate verbo tenus reiicientes, adhuc tamen in medium adducunt *legem positivam qua Deus statuisset nexum moralem inter voluntatem Adami et universam familiam humanam ;* qui dicunt Adam constitutum fuisse *repraesentantem genus humanum*, et *generis humani vicarium* in eo quod spectabat observationem vel transgressionem praecepti, et in summa, Adae posteros assimilant *pupillis qui priusquam possunt proprium actum ponere, iam per caput suum volunt et agunt.* Haec enim et similia nihil aliud sonant quam quod aliis verbis aiebant auctores praecitati : voluntatem nempe Adami ex divina ordinatione continuisse voluntates posterorum, non quidem physice, sed iuridice, *ut quod ipse Adam faceret, censerentur posteri etiam moraliter et imputabiliter facere* (1). Caeterum, si quis bene consideret, videbit omnino evidenter, nullum alium esse possibilem dicendi modum, ad substantiam quod attinet, semel ac in Adamo, *praeter rationem capitis naturae*, ponitur *ratio capitis moralis seu iuridici*, ut ex qua peccati originalis explicatio foret desumenda.

Nunc autem, si de hac conceptione iudicium ferre oporteret, in primis dici forsitan posset quod absolute accepta, continet nescio quid fictitium, imo et iustitiae veritatique contrarium, quod sensui morali repugnat. Ad fictionem enim

(1) Wircerburg . *de Pecc.* n. 99.

pertinet, quod ego censear fecisse id quod non feci, sed fecit meus parens quando nondum exsistebam ego. Iustitiae pariter et veritati contarium videtur, quod mihi imputetur actio quae mihi imputabilis non est, cum nullas in ea, nec directe nec indirecte, nec immediate nec mediate, habuerim partes. Sed et frustra sunt exempla rerum humanarum in medium adducta. Tutor nomine pupilli agit, sed pure et simpliciter in ordine ad administrationem bonorum quam ei lex bona et iusta commisit. Paterfamilias nomine familiae in obligationem aliquam consentit, sed ita ut singulum quodque familiae membrum subiectum attributionis esse possit, quantum ad obligationem quae est effectus consensus capitis, non quantum ad consensum ipsum qui causa obligationis fuit. Censetur populus vel natio fecisse id quod fecit eius gubernium, sed utique populus ut populus, collectio ut collectio, cuius scilicet possibile organum non est praeter eos qui summo potiuntur imperio. At neque hic, neque alibi occurrit exemplum alicuius capitis communitatis, cuius libera determinatio sit moraliter imputabilis vel imputata cunctis de communitate exsistentibus, et tam omnibus collective, quam singulis etiam distributive. Neque igitur exempla aliquid probant, neque rationes intrinsecae tales sunt, quae ab institutione capitis iuridici maxima inconvenientia superius memorata procul pellere queant.

Verumtamen, ne a subiecta materia divertere videamur, id pro nunc animadvertere satis sit, videlicet: Quod cum conceptione capitis iuridici, perit omnino propria ratio, propriusque conceptus *peccati naturae*, et fit reductio ad nescio quod genus peccati personalis, id est, directe et immediate personam afficientis. Certe personae sunt, quae ut tales in capite iuridico transferuntur. Personae sunt, quae moraliter censentur facere quod facit caput iuridicum. Personae etiam esse debent, quae ut personae, primo et per se reatum contraherent. Unde non remanet sensus possibilis in quo adhuc communi naturae peccatum attribuatur. Neque enim esset a capite et fonte naturae in quantum huiusmodi;

nec haberet reatum in communi natura subiectatum ; imo nec per naturalem generationem, formaliter loquendo, posset propagari, cum naturalis generatio nullam per se habitudinem dicat ad iuridicam corporationem cuius vices protoparens egisset in paradiso. Relinquitur ergo peccatum personale, quod tamen simul esset non personale : personale, quia personis qua talibus imputatum ; non personale, quia non propter personalem actum ; in omni autem modo, non ideo non personale, quia naturae proprium, secundum quod communis natura a singularibus personis in ea exsistentibus, contradistinguitur. Propterea dico necesse esse, aut valedicere conceptioni capitis iuridici, aut non insistere amplius rationi peccati naturae, cum de originali sermo est, quaerendo aliam interpretationem verbis apostoli : *eramus natura filii irae.*

Sane vero, S. Thomas qui omnem explicationem ipsius originalis peccati e formali ratione peccati naturae derivat, de capite iuridico nihil scit, nihil novit, et non solum de eo altum silentium servat, verum etiam illud evidentissime excludit in omnibus et singulis suae doctrinae punctis. Excludit, cum docet quod si Adam non peccasset, peccasset autem quilibet e posteris eius, iste induxisset originale peccatum in suam propriam posteritatem, sicut de facto Adam illud induxit in totum genus humanum: « In quocumque « homine fuisset inventa humana natura integra, per peccatum « ipsius poterat corrumpi in eo et in his qui ab eo descen- « derent (1). Si ergo aliquis ex posteris Adae peccasset, eo « (Adam) non peccante, moreretur quidem propter suum « peccatum actuale sicut Adam mortuus fuit, sed posteri « eius morerentur propter peccatum originale » (2). Excludit, ubicumque rationem reddit cur peccata proximorum parentum, vel alia peccata Adae praeter primum, in posteros non traducantur. Non enim allata ab eo ratio est, quia nec proximi parentes, nec ipse Adam quoad praecepta alia a

(1) In II, Dist. 33, Q. 1, a. 1 ad 3^{um}.
(2) *De Malo*, Q. 5, a. 4. ad 8^{um}.

praecepto de non comedendo fructu arboris scientiae boni et mali, constituti sunt capita iuridica suae posteritatis. Sed ratio una, constans, invariabilis assignatur : quia peccata illa invenerunt et inveniunt naturam iam corruptam, quantum corrumpi poterat, et ideo ex natura rei est quod in filios transire nequeant : « In Adam fuit natura integra, « dotata munere quod Deus naturae humanae gratis contu- « tulerat; unde per peccatum ipsius potuit natura corrumpi « in ipso, et per consequens in omnibus qui naturam humanam « ab eo acciperent... In aliis autem hominibus invenitur « natura iam corrupta; unde illius corruptionis ulterius istud « peccatum causa esse non potest, sicut quod semel mor- « tuum est, iterum non occiditur (1). Peccata proximorum « parentum nihil in naturam corruptionis inducunt, in quan- « tum natura est, quia natura iam corrupta est secundum « quod corrumpi potuit, per peccatum primi hominis, et « ideo natura cum illa corruptione pervenit ad proximos « parentes, et cum illa corruptione naturam traducunt..., « et ita patet, quod ex solo peccato primi parentis originale « contrahitur » (2). Excludit, ubicumque docet quod peccatum quo infectum est genus humanum, fuit esus pomi vetiti, non praecise quia fuit violatio talis determinati praecepti, in ordine ad quod fuisset Adam institutus tamquam repraesentans genus humanum; sed pure et simpliciter quia et in quantum fuit de facto peccatum *primum*. Semper enim ad peccatum primum, ut primum, nos revocat Angelicus : « Defectum ad naturam pertinentem solum primum peccatum « induxit ; ipsum enim discontinuavit adhaesionem hominis « ad Deum... Intercisa autem prima obedientia per hoc quod « ratio primi hominis a Deo aversa est per peccatum, conse- « cuta est disturbatio ordinis... Sequentia autem peccata « non sunt causa huius intercisionis..., et ideo peccata actualia « proximorum parentum nullo modo ad filios transeunt (3).

(1) In II, Dist. 33, Q. 1, ad 3^{um}.
(2) Ibid. ad 1^{um}. – Cf. 1-2, Q. 81, a. 2. Et *De Malo*, Q. 4 a. 8.
(3) Ibid. in corp.

« Impossibile est quod aliqua peccata proximorum parentum, « vel etiam primi parentis praeter primum, per originem « traducantur (1). Primum peccatum corrupit naturam hu- « manam corruptione ad naturam pertinente ; alia vero pec- « cata corrumpunt eam corruptione pertinente ad solam « personam » (2). Excludit denique, cum explicans unitatem secundum quam multi homines ex Adam derivati se habent ut multa unius corporis membra, ait : « Omnes homines qui « nascuntur ex Adam, considerari possunt ut unus homo, « in quantum conveniunt in natura quam a primo parente « accipiunt... Et sicut peccatum actuale quod per membrum « aliquod committitur, non est peccatum illius membri, « nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, « propter quod vocatur peccatum humanum : ita peccatum « originale non est peccatum huius personae nisi in quantum « haec persona recipit naturam a primo parente; unde et « vocatur peccatum naturae » (3).

Ex his igitur et aliis multis locis quae adduci possent, manifestissimum est quod S. Thomas institutionem positivam Dei, quae ibi aliqua necessario agnoscenda est, non eam esse sentit, quam posuerunt posteriores illi theologi, quorum opinio nunc vulgatur. Hi positivam institutionem referunt *ad personam Adae*, quam constituisset Deus loco generis humani, quantum ad imputationem servati vel violati specialis praecepti circa lignum scientiae boni et mali. At S. Thomas eam *unice* refert *ad naturam humanam*, cui addiderat Deus *per modum accidentis specifici*, iustitiam originalem. « Ad naturam, inquit in 1–2, Q. 81, a. 2, potest « aliquid pertinere secundum seipsam, scilicet quod cau- « satur ex principiis eius, et aliquid ex dono gratiae. Et « hoc modo iustitia originalis erat quoddam donum gratiae « toti naturae humanae divinitus collatum ». Et rursus, in

(1) In 1^{a}-2^{ae}, Q. 81, a. 2 in corp.
(2) Ibid. ad 3^{um}.
(3) Ibid. a. 1. in corp.

1ª Part. Q. 100, a. 1 : « Iustitia originalis fuit accidens « naturae speciei, non quasi ex principiis speciei causatum, « sed tantum sicut quoddam donum divinitus datum toti « naturae ». Haec est sola institutio positiva quam agnoscit, quae etiam sola solide demonstratur ex Scriptura, et ex qua una, cum summa simplicitate et absque deviatione ulla a formali ratione peccati naturae, explicantur ea omnia quae originalem culpam spectant.

Certe, per primum peccatum amissa est gratia cum omnibus donis quae ex gratia dependebant. Et semel amissa, semel pro semper amittebatur ut dos quasi specifica naturae humanae. Neque enim, ut talis recuperari poterat per poenitentiam vel meritum Adae aut alicuius posterorum eius, quia gratia ut accidens speciei, id est, ut bonum totius naturae, evidenter excedit proportionem personalis meriti cuiuscumque puri hominis, seu condigni seu etiam mere congrui. Sed nec erat de facto restituenda ex pura Dei liberalitate. Cuius signum est, quod gratia initio data ut accidens speciei, inseparabilis erat a dono integritatis, caeterisque praeternaturalibus donis, quae nullo modo erant in nobis unquam instauranda. Sic igitur, amissio erat definitiva. Adhuc quidem poterat in praesenti ordine providentiae ex divina misericordia, in singulis individuis, et tam in Adam quam in caeteris, gratia instaurari, sed iam ut dos mere personalis. Atqui, ut dicitur in 1-2, Q. 81, a. 2, ea quae sunt pure personalia, per originem non traducuntur : « Cuius « ratio est quia homo generat sibi idem in specie, non autem « secundum individuum, et ideo ea quae directe pertinent « ad individuum non traducuntur a parentibus in filios..., « sed ea quae pertinent ad naturam speciei traducuntur a « parentibus in filios, etc. ». Quidquid ergo deinceps futurum esset de personali sanctitate progenitorum, natura speciei in quantum huiusmodi, originali gratia et iustitia remanebat orbata. Quapropter debitum erat ut a parente in prolem cum tali privatione semper traduceretur, adeoque cum reatu illo cuius communis natura est capax : reatu, inquam, culpae

voluntariae voluntate capitis in quo ut in fonte ipsa continebatur.

Hinc igitur explicatam habes veram rationem peccati naturae, quin personis ut personis imputare oporteat id quod non commiserunt. Explicatam habes universalem derivationem huius peccati in totum genus humanum, quin necesse sit recurrere ad fictionem iuris secundum quam voluntas Adae reputata fuisset voluntas posterorum. Explicatum denique habes proprium medium propagationis huius peccati, quod est naturalis generatio, quin deducaris ad anomaliam illam in qua peccatum a capite iuridico esset, transmissio vero peccati a capite naturali. Et dico anomaliam, quia sunt duo ordines ex toto disparati, imo inter se oppositi, ordo naturalis et ordo iuridicus.

Sed remanet forte aliqua adhuc obscuritas, ad quam removendam iuvabit discussio tertii et ultimi quaesiti, ut sequitur.

§ 3.

In capite naturae, quo sensu omnes posteri peccasse dici possint?

Ponitur haec quaestio propter verba Apostoli, Rom. V-12 : Εφ' ᾧ παντες ἡμαρτον. Ubi primum dico, retinendam omnino esse, meo quidem iudicio, versionem vulgatae : *In quo* (Adamo) *omnes peccaverunt*. Erasmus quidem vertit : ἐφ' ᾧ, *eo quod*, seu *quia* omnes peccaverunt. Quae tamen versio nullo solido nititur fundamento, et habet contra se auctoritatem omnium vetustorum interpretum, excepto haeretico Pelagio inter Latinos, et Theodoreto necnon et schismatico Photio inter Graecos. Argumentum Erasmi est, quod praepositio ἐπὶ constructa cum dativo sensum causalem reddit. Quod forte est semper verum secundum proprietatem attici sermonis, non autem secundum graecitatem N. T., ut apparet per exempla quae affert Estius

in commentario. « Constat enim apostolum Paulum in epi-
« stolis, et Lucam in Actis, indifferenter uti interdum tribus
« hisce praepositionibus ἐπὶ, εν, et εις, pro una latina
« praepositione *in*. Quanquam etiam hic causa significatur,
« cum dicitur *in quo* Adam. Certe paulo post, ubi nos legimus,
« *in similitudinem praevaricationis Adae*, graece est ἐπὶ τῷ
« ὁμοιώματι, *in similitudine*, sicut hic, *in quo*, licet alias
« dicere soleat ἐν ὁμοιώματι, ut supra cap. 1, et infra cap. 8,
« et ad Philipp. cap. 2. Sic, Act. II : *Baptizetur unusquisque*
« *vestrum in nomine I. C.*, graece ἐπι τῷ ὀνόματι, quod
« passim dicitur ἓν τῷ ὀνόματι, et interdum εἰς τὸ ὄνομα,
« ut Matth. 10 et 28. Sic etiam, Heb. IX : *In cibis et potibus*,
« ac rursum : *Testamentum in mortuis confirmatum est*. Utro-
« bique, graece ἐπὶ. Quae loca nec Erasmus aliter vertit » (1).

(1) Quatuor argumentis demonstrat Bossuetius contra Richardum Simon, legitimitatem versionis *in quo*.

Primum argumentum est, quia est versio Ecclesiae.

« Pour l' Ecriture, le principal fondement (de la foi du péché
« originel) est dans ce passage de S. Paul: *Le péché est entré dans le*
« *monde par un seul homme... en qui tous ont péché*. Il y a deux versions
« de ce passage: l' une au lieu de ces mots: *en qui, in quo*, met *parce-*
« *que, quatenus, quia, eo quod*. C' est celle qui favorise le plus les pé-
« lagiens, et qui leur donne lieu de dire que le péché est entré dans le
« monde par Adam, à cause seulement que tous ont péché à son exem-
« ple, de laquelle explication Pélage est constamment le premier auteur.
« La seconde version est celle de toute l' Eglise, selon laquelle il faut
« lire: *Que le péché est entré dans le monde par un seul homme en qui*
« *tous ont péché*, ce qui ne laisse aucune ressource à ceux qui nient
« le péché originel. C' est un fait constant, que cette dernière version,
« qui est celle de notre Vulgate, l' est aussi de la Vulgate ancienne,
« comme il paraît, non seulement par S. Augustin, mais encore par
« le diacre Hilaire, par S. Ambroise, par Pélage même qui lit comme les
« autres, *in quo*, dans son Commentaire, encore que dans sa note il
« détourne le sens naturel de ce passage, de la manière qu' on vient de
« voir. M. Simon convient aussi que selon l' explication de S. Chry-
« sostôme, il faut traduire *in quo*, et on en peut dire autant d' Ori-
« gène, de sorte que les anciens Grecs ne diffèrent point des Latins.
« La suite fera paraître quel est parmi eux l' auteur de l' innovation.
« Quoi qu' il en soit, il est bien certain que depuis le temps de Pélage,

Caeterum, lectio *in quo*, etsi non in littera, adhuc tamen esset in sensu Apostoli, ut omnes catholici fatentur. Unde iam quaeritur quo modo intelligi possit et debeat, omnes

« tous les docteurs qui ont disputé contre lui: tous, dis-je, sans exce-
« ption, lui ont opposé ce passage, et ont suivi en cela S. Jérôme et
« S. Augustin. Après un consentement si universel et si manifeste de
« tout l' Occident à traduire *in quo*, il n' est pas permis de douter qu' il
« ne faille tourner ainsi ce célèbre ἐφ' ᾧ de S. Paul, puisque tous les
« Latins l' ont pris naturellement de cette sorte » (Défense de la tra-
dition et des SS. Pères, l. 7, c. 12).

Secundum argumentum est, quia quatuor Concilia, inter quae Tridentinum, pro fundamento suae definitionis habent: *In quo omnes peccaverunt*, **et declarant sic esse intelligendum textum Apostoli, quemadmodum Ecclesia toto orbe diffusa semper intellexit.**

« Le premier Concile est celui de Milève où 60 évêques rapportent
« ce passage selon la Vulgate, et n' allèguent que celui-là dans leur
« lettre synodique à S. Innocent, avec un autre de même sens du même
« S. Paul, ce qui montre qu' ils en faisaient le principal fondement
« de la condamnation des pélagiens. Le second concile est celui de
« de Carthage ou d' Afrique, de 214 évêques, qui dans le chapitre 2,
« après avoir établi la foi du péché originel sur le baptême des enfants,
« anathématise les contredisants: « *à cause*, dit-il *qu' il ne faut pas en-*
« *tendre autrement ce que dit l' apôtre : le péché est entré dans le monde*
« *par un seul homme en qui tous ont péché, que comme l' Eglise catholi-*
« *que répandue par toute la terre l' a toujours entendu*. Où le concile
« en suivant la version qu' on veut contester, dit deux choses. Premiè-
« rement , que le sens qu' il donne à ce passage n' est pas seulement
« le véritable, mais encore celui qui a toujours été reçu dans l' Eglise
« universelle. Secondement, que pour cela même il n' est pas permis
« de ne pas le suivre, à moins qu' on ne dise en même temps qu' il
« est permis de s' opposer à l' intelligence constante et perpétuelle
« de toute l' Eglise. Le troisième concile est celui d' Orange, qui, dans
« une semblable décision, allègue pour tout fondement le même pas-
« sage entendu de la même sorte, traduit de la même sorte. Le qua-
« trième est le concile oecuménique de Trente, qui répète de mot à
« mot les décrets de ces deux derniers conciles, et par deux fois le
« passage dont il s' agit, comme le fondement de sa décision; en dé-
« clarant dans les mêmes termes du concile d' Afrique, que l' Eglise
« catholique l' a toujours entendu ainsi, et qu' il ne faut pas, c' est-à-
« dire qu' il n' est pas permis de l' entendre autrement. Mais M. Simon

Adae posteros in Adam peccasse. Sed post praemissa, responsio fere obvia est.

Et nota in primis, quod verbum activum *peccare* im-

« ne craint pas d' éluder cette explication, et formellement l' autorité « de ces conciles sur ces mots: *in quo omnes peccaverunt*...

« Je vois bien qu' il aura ouï dire qu' en obligeant à recevoir les « définitions des conciles, à peine d' être hérétique, les théologiens « n' obligent pas ordinairement, sous la même peine, à recevoir toutes « les preuves dont les conciles se servent. Mais premièrement, les « théologiens qui parlent ainsi, ne permettent pas pour cela d' af- « faiblir ces preuves. Une si étrange témérité est-elle exempte de cen- « sure? En matière de religion ne faut-il craindre précisément que « d' être hérétique? N' est-ce rien de favoriser l' hérésie, et désarmer « l' Eglise, en lui ôtant ses fondements principaux? Que deviendra « la saine doctrine, s' il est permis d' en renverser les remparts l' un « après l' autre?... Mais secondement, ce n' est pas le cas où les théo- « logiens excusent ceux qui ne veulent pas recevoir toutes les preuves « des conciles. Lorsque les conciles déclarent en termes formels, « comme ceux de Trente et de Carthage font ici, que le sens qu' ils don- « nent à un passage est *celui que l' Eglise catholique répandue par toute « la terre, a touiours reçu*, l' Eglise veut astreindre les fidèles à la preuve « comme au dogme, et n' écoute plus ceux qui la rejettent » (Ibid. c. 13-14).

Tertium argumentum est, quia versio *eo quod, quia, quatenus* **a Pelagianis primum introducta, nullum unquam habuit consentientem inter Patres, si unus excipiatur Theodoretus, cuius nulla est in hac parte auctoritas.**

« Sans prétendre en aucune sorte que les sentiments de S. Augu- « stin soient une décision de foi, on peut bien dire que l' interpréta- « tion qu' il a rejetée, celle qui met *quatenus* pour *in quo*, était nouvelle « et fausse. Nouvelle, parce qu' elle était contraire à toutes les versions « dont l' Eglise se servait; nouvelle encore, *parce que tous les Pères « latins, qui sont les seuls qu' il faut consulter sur une version latine*, « avaient constamment traduit *in quo*, comme tout le monde en est « d' accord. Mais fausse de plus parce que, sans parler encore de la « suite du discours de l' apôtre, qui détermine manifestement à l' expli- « cation de S. Augustin, il est certain, de l' aveu de M. Simon, qu' elle « ôtait à la preuve de l' Eglise contre les pélagiens ce qu' elle avait « de plus fort et de principal...

« Pour ce qui est de Théodoret dont (M. Simon) fait valoir l' au-

portat duo: hoc quod est agere male, et hoc quod est incidere in reatum peccati. Quorum primum est causa et ratio secundi. Sicut etiam verbum activum *se dedere* importat hoc

« torité... comme constamment il est le premier des orthodoxes qui « ait donné lieu de changer l' *in quo* en *quatenus*, il est d' abord fâ- « cheux pour lui qu' il ait suivi en cela une explication dont Pélage « l' hérétique a été l' auteur. Je ne veux pas dire pour cela qu' il ait « été pélagien. C' est assez qu' il ait été peu attentif, aussi bien que « quelques autres Grecs, à l' hérésie pélagienne, comme M. Simon le « remarque lui-même, pour conclure que ce n' est pas de lui qu' il « faut apprendre les moyens de la combattre. On sait d' ailleurs com- « bien il est attaché à Théodore de Mopsueste, qui a écrit contre S. Au- « gustin, qui s' est déclaré le défenseur de Pélage , qui en a suivi les « faux préjugés sur le péché originel, et s' est comme mis après lui, à « la tête de ce parti réprouvé, en protégeant Julien. Ajoutons que « l' étroit commerce qu' eut Théodoret à Ephèse, dans le faux concile « d' Orient, avec les évêques pélagiens intéressés comme lui dans la « cause de Nestorius, aura fait peut-être, que trop favorable aux per- « sonnes des héretiques, il aura pris quelque teinture de leurs inter- « prétations, avec d' autant plus de facilité, qu' elles étaient du génie « de Théodore, un de ses maîtres » (Ibid. l 7, c. 16. Et l. 9, c. 18).

Quartum argumentum est, quia versio *in quo* ita est consentanea textui et consequentiae sermonis apostoli, ut ab iis ipsis exercite restituatur, qui eam signate reiiciunt.

« S. Augustin remarque qu' il est ridicule d' attribuer tous les « péchés des hommes au mauvais exemple d' Adam, que les hommes, « pour la plupart, n' ont pas connu. Il leur nuisait donc autrement « que par son exemple, comme un père qui les engendre, et non point « comme un modèle dont l' exemple les induisait à faire mal; d' autant « plus que visiblement S. Paul comprenait dans sa sentence tout ce « qui était sorti d' Adam, et tout ce qui était sujet à la mort. Il y com- « prenait par conséquent les petits enfants, à qui l' exemple d' Adam, « non plus que celui de J. C., ne pouvait ni nuire ni servir. Enfin il s' a- « gissait de montrer dans le genre humain la cause de la mort et de « la vie; l' une dans le péché d'Adam, l' autre dans la justice de J. C. « Tous mouraient, et les enfants mêmes, Si par les paroles de S. Paul « le péché était introduit dans le monde par Adam, et la mort par le « péché, les enfants qui participaient à la mort d' Adam, devaient aussi « participer à son péché. Autrement, dit S. Augustin..., vous faites pas- « ser l' effet sans la cause, le supplice sans la faute... Chicanez, M. Si-

quod est ponere deditionis actum, et ex consequenti, hoc quod est contrahere subiectionem erga eum cui deditio fit. Et utrumque per modum unius significatur, ubi simplex est, et sine addito diminuente, vocabuli usurpatio. Sed si esset additum diminuens, ut si qui *in suis antenatis* sese dedidisse dicerentur, (puta, veteris Delphinatus cives *sese in maioribus suis* dedidisse coronae Franciae, ea conditione ut coronae haeres, Delphini nomine semper insigniretur) : constat quod per additum *in suis antenatis*, restringeretur

« mon, tant qu' il vous plaira: ni vous, ni les pélagiens ne pouvez pas « reculer. Laissez à part pour un moment les noms de Théodoret, de « Photius si vous voulez, et des scoliastes grecs; traduisez comme vous « voudrez le passage de S. Paul. Voulez-vous traduire par *en qui ?* « C' est la bonne, c' est la naturelle version où l' Eglise de votre aveu « gagne sa cause, parce qu' on y trouve celui en qui tous étaient un seul « homme, comme dans le principe commun de leur naissance, et en « qui aussi ils sont tous un seul pécheur dans le principe commun de « leur corruption. Voulez-vous, au lieu d' *en qui* mettre *parce que ?* « Vous n' échapperez pas pour cela à la vérité qui vous presse: la mort a « passé à tous, parce que tous ont péché. Il faut donc trouver le péché « partout où l' on trouvera la mort. Vous la trouvez dans les enfants; « trouvez-y donc le péché. S' ils sont du nombre de ceux qui meurent, « *par votre propre traduction*, ils sont du nombre de ceux qui pèchent. « Ils ne pèchent pas en eux-mêmes. C' est donc en Adam, et malgré « que vous en ayez, il faut ici de vous-même, rétablir l' *in quo* que vous « aviez voulu supprimer. On y est forcé par la seule suite des paroles « de S. Paul » (Ibid. l.7, c. 20).

Ex his ultimis verbis satis apparet, nos ita defendere legitimitatem versionis *in quo*, ut ultro concedamus posse adhuc demonstrari veritatem peccati originalis cum versione *eo quod*. Sed hoc ideo, quia adhuc demonstrari potest, istos *omnes* qui hic peccavisse dicuntur, esse etiam eos qui nullo modo peccare potuerunt actu proprio per imitationem praevaricationis Adae, et de quibus ex consequenti, ly *peccaverunt* aliter intelligi nequit quam cum addito subaudito: *In Adamo*. Atque hoc modo, ut mox citatus aiebat Bossuetius, lectio *in quo* quae a littera aufertur, in sensu restituitur. « Verba *in* (Adamo), inquit Cornely in c. 5 *ad Rom.*, ex contextu... sua sponte suppleri respondemus ». Ut quid tunc, tanta concertatio contra litteralem lectionem Vulgatae, quae tot validis rationibus firmatur ?

ex natura rei significatio verbi, ita scilicet ut accipi iam deberet pro hoc quod est contrahere subiectionem politicam, minime vero, pro hoc quod est actum deditionis exercere. Haec iam proportionaliter applica dicto Apostoli: Ἐφ' ᾧ παντες ἥμαρτον, *in quo omnes peccaverunt.*

Certe, quando peccavit Adam, ipse solus peccandi actionem exercuit, ipse solus male egit, solus quoque ipse fuit qui de actione mala respondere debuit Deo. Sed quia sua actione peccandi, ream fecit communem naturam sensu saepe in superioribus explicato : ideo in ipso peccante omnis eius posteritas incidit in necessitatem trahendi ex origine, simul cum communi natura, illum quoque reatum qui eam ex tunc coepit afficere, et non aliter quam per personale sanctificationis donum, unicuique individuo praeter vim originis, ex Christi meritis collatum, poterat deinceps auferri. Quare posteri Adae dicuntur peccasse in Adam, non quasi in Adam actum aliquem exercentes, non quasi per fictionem iuris censiti fecisse quod Adam fecit, non quasi responsabiles effecti de scelere admisso antequam nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali : sed pure et simpliciter, nec plus nec minus, quatenus in Adam incurrerunt debitum nascendi cum defectu per se naturali, habente tamen rationem deordinationis et culpae, per respectum ad originalem elevationis statum, et ad voluntarium actum illius qui fons et caput et principium naturae exsistens, ipsam naturam rectitudine privavit, qua gratuito eam dotaverat Deus. « Uno peccante, inquit S. Thomas 4 *c. Gent.* c. 52, omnes « peccaverunt in ipso..., non quod essent actu in ipso alii « homines, sed virtute, sicut in originali principio. Nec « dicuntur peccasse in eo, quasi aliquem actum exercentes, « sed in quantum pertinent ad naturam ipsius, quae per « peccatum corrupta est ».

His igitur ad claritatem conceptuum praemissis, dicendum est primo de exsistentia et traductione peccati originalis. Secundo de eius essentia. Tertio de poenis quae ipsum consequuntur.

THESIS XI.

Est peccatum originale, veram ac propriam peccati rationem habens, quod ab Adam in omnes traducitur, qui per viam seminis ex eo generantur.

Sensus terminorum iam fere sufficienter patet ex praemissis. **Dicitur primo:** *Peccatum originale,* hoc est, peccatum aliquod habituale, simul cum natura per originem propagatum. **Secundo:** *Veram ac propriam peccati rationem habens,* cui nimirum vere, et non metonymice tantum, culpae ratio convenit et nomen, salva interim subintellecta semper differentia qua a culpa personali peccatum naturae differt. **Tertio:** *Quod ab Adam traducitur,* seu ab eo qui totius naturae caput fuit, et ut tale, communem naturam per primum suum peccatum, debita ad Deum rectitudine privavit. **Quarto:** *In omnes qui per viam seminis ex eo generantur,* videlicet: In omnes absolute, si de traductione in debito sermo sit. Si autem de traductione in actu, nonnisi ita ut firma maneat exceptio, aliunde nobis per Scripturam et Traditionem notificata; a qua tamen, utpote in una tantum singulari persona inventa, omnino nunc abstrahitur.

§ 1.

Principalis locus Scripturae pro dogmate peccati originalis, ille est epistolae *ad Romanos,* V-12, adeo celebratus in Conciliis et praesertim in Tridentino, Sess. 5, can. 2 et 4, ubi non solum in argumentum affertur, verum etiam expresse definitur intelligendus de ipso originali peccato, *quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit.* Porro in hoc loco ostendit apostolus charitatem Iesu salvatoris erga homines, et beneficium redemptionis exponit, comparando primum hominem cum secundo: processum

peccati ab Adamo, cum processu gratiae destruentis peccatum a Christo; denique, unum illum per quem intravit peccatum et mors, opponendo illi uni per quem iustitia et vita.

Haec sunt verba apostoli: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.... Sicut* (inquam) *per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem iusti constituentur multi.* Haec dico verba apostoli secundum nexum consecutionemque sententiarum, quae unicuique attendenti generale capitis argumentum et totius seriem sermonis, evidens apparebit. Nec obstat omnino, quod inter unum et alterum comparationis membrum interiaceant omnia ea quae a vers. 13° ad 17^um^ inclusive continentur. Id enim frequens est apud apostolum, cuius stylus saepe impeditior, eo quod abreptus impetu spiritus, aut celeri nimium atque praecipiti transitione de uno in aliud prosilit argumentum, aut sermonem ex abrupto suspendens, parentheses interponit circa ea quae incidunt, donec filum resumendo, inceptam absolvat perficiatque sententiam. Et sic plane est in praesenti. Nam in priori membro comparationis ponebatur processus peccati in omnes omnino homines. Unde statim ex obliquo, pericopes de universalitate regni peccati inde ab Adam et praevaricatione eius: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.* Ecce tibi prima parenthesis, in qua sollicitus est ostendere ex universali dominatione mortis, quod peccatum vere in mundo fuit, eo etiam tempore quo ab hominibus vix cognoscebatur aut attendebatur, quando nondum existebat lex positiva, et aliunde lex naturalis erat multum obscurata. At rursus, cum incidisset sermo in Adam

formam futuri, novam parenthesim parenthesi superaddit, ad explicandum in Adam, hanc ipsam rationem formae s u typi futuri Christi. Quam iterum per comparationem a contrario, statim exponit ea addita consideratione, quod gratia Christi in bonum, prae peccato Adae in malum, multo potentior fuit, atque efficacior : *Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures* (multos) *abundavit. Et non sicut per unum, peccatum, ita et donum : nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum.* Et haec est secunda parenthesis, in qua explicat id quod dixerat de Adam forma futuri. Quo facto, resumit tandem suspensam prius orationem, apponendo alterum membrum comparationis inceptae in vers. 12 : *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam*, et reliqua quae superius transcripta sunt.

Porro, quaecumque in supradictis parenthesibus intercluduntur, confirmant quidem et illustrant praesentem demonstrationem. Interest tamen claritatis, ut praecisis iis quae ex obliquo sunt, substantiam argumenti desumamus ex directa textura sermonis. Quod quidem faciemus, ostendendo in verbis apostoli : *Primo*, peccatum proprie dictum. *Secundo*, ab Adam non imitatione, sed propagatione transfusum in universum genus humanum. *Tertio*, transfusum per viam originis ab eodem Adamo, tamquam ab activo principio communicationis naturae.

I. — Et primo quidem, peccatum de quo haec praesens Scriptura loquitur, **est peccatum proprie et non metonymice dictum.** Quod nempe non accipitur pro poena peccati, uti mors ; non pro eo quod tantum inclinat ad peccatum, uti concupiscentia ; sed pro eo quo vere constituitur homo in statu deordinationis a Deo fine ultimo, omnia

intelligendo iuxta ea quae saepius praemissa sunt. Et facile declaratur. Nam peccatum illud quod in mundum intravit, dicitur post se induxisse mortem ; ergo apprime distinguitur a morte, in qua omnes peccati poenae ac sequelae usu Scripturae recapitulantur. Deinde dicitur peccatores constituisse multos, idque in oppositione ad iustitiam qua iusti constituuntur multi. Sed nec poena peccati, nec concupiscentia, nec quidquam aliud propriam peccati rationem non habens, aut privat iustitiam, aut cum ea in oppositione est. Denique, de eius ingressu hic sermo est, ad quod destruendum venit Iesus Christus. Id autem esse principaliter peccatum, utique proprio sensu acceptum, nemo in doctrina Scripturarum vel leviter eruditus inficiabitur. Omnia ergo inculcant et demonstrant peccatum secundum veram ac propriam nominis acceptionem.

II. — Secundo, est peccatum ab Adam, non imitatione, sed propgatione transfusum in universum genus humanum. — Dico : **Ab Adam.** Nam, *per unum hominem*, inquit. Et paulo infra vers. 14, exponens quem hominem dixerit, bis nominat eum qui primus a Deo formatus est pater orbis terrarum, his verbis : *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* — Dico insuper: **In universum genus humanum.** Ait enim : *in hunc mundum intravit.* Et hoc idem valet ac : in omnes homines. Sic enim seipsum exponit, statim subiiciens quod processum peccati comitatus est processus mortis, et ita *in omnes homines* mors pertransiit. Et ne forte adhuc obscurum tibi esset, qua ratione universum genus mors invaserit, signanter addit quod in uno illo homine Adam *omnes* peccaverunt, id est, reatum peccati incurrerunt. — Dico praesertim : **Non imitatione, sed propagatione transfusum.** Non imitatione, ut dicebant Pelagiani volentes eludere vim praesentis testimonii, concedendo quidem quod peccatum per unum Adam in mundum intravit, sed forma tantum seu exemplo. « Hoc ibi sentiunt, ait Augustinus, « quod et mors ista quae illic commemorata est, non sit

« corporis, quam nolunt Adam peccando meruisse, sed ani-
« mae, quae in ipso peccato fit ; et ipsum peccatum, non
« propagatione in alios homines ex primo homine, sed imi-
« tatione transiisse » (1). Atqui huiusmodi expositio omnino non sustinetur. Nam in primis, si apostolus peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum, non propagatione, sed imitatione intravit : eius principem, non Adam, sed diabolum diceret, de quo scriptum est : *ab initio diabolus peccat.* De quo etiam legitur in libro Sapientiae, II, 24, quod *invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Et quoniam ista mors a diabolo venit in homines, non in quantum ab illo fuerunt propagati, sed in quantum fuerunt eum imitati, continuo subiunxit eadem Scriptura : *Imitantur autem eum qui sunt ex parte illius.* (2). — Deinde quod sequitur, *in quo omnes peccaverunt,* quam circumspecte, quam proprie, quam sine ambiguitate dictum est. Quis, quaeso, unquam dici potuit peccasse in eo a quo pravum peccandi exemplum accepit ? Imo, ille potius qui exemplum dedit, dici e converso deberet peccare in iis quos suo exemplo corrupit. Et ideo, illud quod legitur in psalmo : *et ab alienis parce servo tuo,* nemo sane intelliget de illis peccatis quae peccans imitatus est, sed e contra de illis quorum aliis se imitantibus causa exstitit et origo. Si ergo imitatio hic in causa esse posset, tolerabilius diceretur Adam peccasse in omnibus, quam omnes peccasse in Adam. Nunc autem ait : *in quo* (Adam) *omnes peccaverunt.* Quod eatenus tantum intelligibile est, quatenus peccati reatus quem incurrit Adam, non in eo solo remansit, sed ab eo transiit in mundum, ut concludamus cum Augustino : « Restat intelligenda, non imitatio, sed propagatio peccati » (3). — Idem evidenter suadebit oppositio Adae ad Christum. Nam si sola imitatio facit peccatores per unius inobedientiam, sola quoque imi-

(1) August. l. 1. *de peccatorum meritis et remissione,* c. 9, n. 9.
(2) Ibid.
(3) Ibid. c. 10-13.

tatio faceret iustos per unius obeditionem. *Sicut enim*, ait, *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi.* Proinde isti *unus* et *unus*, non Adam et Christus, sed Adam et Abel constitui potius debuissent. Quoniam si ideo Adam dictus est, in quo omnes imitatione peccaverint, quia primus hominum ipse peccavit, consequens erit, Abel debuisse dici, in quo omnes similiter imitatione iustificentur, quia ipse primus hominum iuste vixit (1). — Denique, cum apostolus tanta emphasi dicit, per unum hominem Adam peccatum in hunc mundum intrasse, aliquid profecto intendit quod sit commemoratione dignum, et non in solemnem resolvatur ineptiam. Intendit delictum cuius maximus fuit in genere humano influxus : inobedientiam cuius consequentiae in ordine ruinae, aequiparantur consequentiis obedientiae Christi in ordine instaurationis. Nunc autem, pone a parte id quod docet dogma catholicum ; fac sermonem revera hic esse de ingressu peccati tamquam in exemplo et forma quae totam Adami posteritatem ad peccandum induxisset. Quid iam absurdius sententia apostoli ? quid magis ridiculum ? Siquidem de eo peccato agitur, quod in iis praecise circumstantiis commissum est, in quibus nulli hominum exemplo esse, nullum hominum exemplo corrumpere valuit. Neque enim tunc erant qui exemplo traherentur. Aut si dicis, non ipso commissionis tempore incepisse influxum exempli, sed tantum postquam genuisset Adam filios et filias, et eis narrasset ea quae in paradiso acciderant : mirum sane erit, imo supra omnem admirationem et fidem, si in ea narratione per Scripturam usque in praesentem diem nobis conservata, peccati incentivum et non potius peccati horrorem accipere potuerit posteritas. Quid plura ? Si quispiam interrogatus unquam fuisset, quid causae ad peccandum sibi fuerit Adami exemplum, nonne interrogatorem suum, aut nugari putasset, aut insanire ? Rursus

(1) Ibid. c. 15, n. 19.

ergo, et evidentissime, intelligendum restat, non imitatione, sed propagatione transfusum peccatum in universum genus humanum.

III. — Tertio demum, est peccatum transfusum **per viam originis ab Adamo, tamquam ab activo naturalis generationis principio.** Et iterum demonstratur ex verbis illis : *In quo omnes peccaverunt*. Nam certe, non alia ratione in Adam omnes peccaverunt, quam qua ratione in Adam omnes continebantur. Atqui continebantur in eo ut in fonte totius naturae, ut in origine stirpis, ut in illo uno ex quo fecit Deus omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae (Act. XVII–26). Haec quippe ratio continentiae est, quae per se evidens est ac manifesta, quam ubique Scriptura assignat, et praeter quam nulla alia excogitabilis est, uti patet ex dictis in antecessum cum ratio capitis iuridici a recentioribus quibusdam theologis inventa confutabatur. Nunc autem, si peccati reatum omnes incurrerunt in Adam, formaliter qua contenti in eo ut in principio naturalis generationis : eo ipso per eiusdem naturalis generationis viam, idem peccati reatus actu transfundatur necesse est. Et hoc modo ex textu apostoli omnia constant, quae ad peccati originalis exsistentiam, rationem, et notas distinctivas pertinent. Quamquam ex solutione difficultatum iam nunc occurrentium, adhuc plenior totius argumenti intelligentia expectanda est.

§ 2.

Plures, inquam, difficultates iam occurrunt contra omnia et singula in thesi posita, sive ut in se absolute considerata, sive ut per textum apostoli demonstrabilia. Primo, contra rationem veri ac proprie dicti peccati, (*peccatum originale, veram et propriam peccati rationem habens*). Secundo, contra universalitatem propagationis, (*quod ab Adam in omnes traducitur*). Tertio contra propagationis modum, (*in omnes qui per viam seminis ex eo generantur*).

I. — Et primo quidem, contra rationem veri ac proprie dicti peccati obiicitur : *De ratione peccati est voluntarietas. Ubi ergo voluntarietas non est, neque peccatum poprie dictum. Sed in eo quod origine trahitur, nec est voluntarietas, nec esse potest. Ergo peccatum de quo agit apostolus, vel est imitatione et non origine transfusum, vel si origine transfusum, metonymice dictum intelligatur necesse est.*

Respondeo : **Dist. mai.** De ratione peccati est voluntarietas, quae tamen alio atque alio sensu accipiatur, prout sermo est de actuali peccato vel de habituali, et rursus, de habituali peccato personae, vel de habituali peccato naturae, **conc.** Quae semper eamdem voluntarii rationem prae se ferat in omnibus et singulis modis quibus peccatum accipitur, **neg.** Unde et distinguitur minor sic: In eo quod origine trahitur, nec est nec esse potest voluntarietas peccato actuali propria, **conc. min.** (Et nego suppositum, cum peccatum originale nequaquam sit actuale peccatum). Non est voluntarietas quae et prout inveniri debet in peccato habituali, **subdist.** In peccato habituali quod in persona est ratione personae, **conc.** In peccato habituali quod in persona non est nisi ratione naturae, **neg.** Et explicatio deducitur ex praemissis in antecessum, tam circa peccatum in communi, quam circa peccatum naturae in specie.

Peccatum namque theologicum in communi habet duas notas : *deordinationis a Deo fine ultimo*, et *voluntarietatis*. Rursus, deordinatio a fine ultimo dupliciter consideratur : ut actus, et ut status consequens actum. Si consideretur ut actus, tunc voluntarietas aliquid dicit quod formaliter in voluntate est. Nam actualis aversio a fine ultimo non aliter concipitur quam ut involuta in ipso actu libero voluntatis recedentis ab ordine finis. Sed si consideretur ut status, id est, ut permanens defectus rectae habitudinis ad Deum, sic voluntarietas non amplius aliquid dicit quod *formaliter* in voluntate sit, sed quod *inductive* tantum ab ea est. Neque enim existimandum, voluntarietatem quae est de ratione habitualis peccati, consistere unquam in per-

severantia etiam mere habituali voluntariae adhaesionis ad peccatum. Et patet evidenter exemplo eius qui adhuc in statu peccati manet, et quidem secundum plenam atque integram habitualis peccati rationem, etiamsi supponatur ita retractasse peccatum suum per attritionem appretiative summam, ut de voluntate peccaminosa nihil iam formaliter remaneat, neque in actu, neque in habitu. Ergo voluntarietas in peccato habituali nihil plus est, quam trascendentalis relatio status aversionis, ad causam per quam solam inductus est et induci potuit, nimirum ad voluntarium actum qui praecessit, et in ordine ad suam sequelam manet non abolitus. Nunc igitur, si sermo sit de peccato habituali personali, clarum est quod actus ille praecedens a quo derivat voluntarietatis denominatio, debet esse voluntarius actus huius personae. Si autem de habituali peccato naturae (*quod non comparatur ad peccatum personale sicut alia species sub eodem genere, sed sicut aliud analogatum sub communi analogo*), voluntarius ille actus nullus alius esse potest quam actus capitis, a quo in suo fonte natura fuit corrupta, ut explicatum est supra. Non ergo quaerenda ratio voluntarietatis orginali peccato propriae, in nostris personis; alias, confunderemus semper peccatum originale cum personali. Sed est quaerenda in Adamo, et in eo solo: quatenus nempe, defectus rectitudinis ad Deum, propagandae humanae naturae nunc inhaerens, prout et in quantum per liberam praevaricationem protoparentis inductus, eam habet voluntarietatis rationem, quae sufficit ad habitualem culpam, non quidem personalem, sed originalem. Unde a primo ad ultimum, nihil obstat quominus peccatum quod apostolus dicit per unum hominem in mundum intrasse, sit peccatum proprie et non metonymice sumptum, idemque origine transfusum.

Instabis: *Etsi nihil obstet, nihil tamen cogit ut sic accipiatur. Quia adhuc salvari possunt verba apostoli, quatenus per unum Adam peccatum intrasset in mundum, non quidem propagatione sui ipsius, sed propagatione eius quod inclinat ad peccandum, id est, concupiscentiae. Et hoc modo, id quod*

origine trahitur, esset quidem causa peccati in omnibus hominibus, non autem peccatum in se, verum ac proprie dictum.

Respondeo primo, negando assumptum et rationem eius. Directe enim agit apostolus de peccato proprie dicto, uti multis iam ostensum est, quod in eos omnes intravit, in quos mors pertransiit, adeoque tam in adultos quam in infantes. Concupiscentia autem, praeterquam quod neminem necessario et infallibiliter ad peccandum pertrahit, procul dubio in infantibus peccati causa nec est, nec esse potest. Non ergo ratione concupiscentiae dici potuit peccatum intrasse in homines universos, et nihil aliud relinquitur intelligendum, nisi propagatio reatus peccati secundum se.

Sed observandum praeterea, quod admissa semel propagatione concupiscentiae tamquam a peccato Adae ortae, eo ipso admittitur principium ex quo necessaria consequentia colligitur veritas originalis peccati sensu catholico intellecti. Iam enim admittitur, Adam peccato suo corrupisse totam naturam, eamque privavisse gratuita illa rectitudine in qua primitus a Deo condita fuerat. Porro haec rectitudo, iuxta doctrinam Scripturarum, non in sola immunitate a concupiscentia erat reposita, sed primario ac principaliter in ea sanctitate et iustitia quae per redemptionem Christi in nobis instauratur. Ideo propagatio concupiscentiae tamquam a peccato Adae ortae, adhuc argueret propagationem privationis iustitiae seu ordinis ad Deum finem ultimum, in qua formaliter habitualis culpae ratio consistit. Nihil ergo proficerent adversarii, reducendo ad concupiscentiam id quod ab Adam, iuxta apostolum, origine transfunditur ; et hoc ipsum apprime senserunt Pelagiani, qui ad huiusmodi explicationem nunquam recurrerunt.

Iterum dices: *Scriptura alibi docet, Sap. X-2, Adam fuisse a Deo eductum e delicto suo. Et nihil obstat quominus supponatur emundatus ac iustificatus statim post eiectionem e paradiso, antequam incepisset generare filios et filias. Si autem a grandi illo suo peccato iam erat immunis, non potuit transfundere illud in suam posteritatem, cum nemo alteri det*

id quod ipse non habet. Et haec eadem ratio adhuc evidentius valet de multis patribus post Adam, qui certissime creduntur fuisse ante generationem prolis gratiam iustificationis consecuti. Cogit igitur nos intelligere id quod dicit apostolus, non de proprie dicto peccato ab Adam origine transfuso, sed vel de propagatione peccati per modum imitationis, vel certe ,si per modum originis, quantum ad illud tantum quod a peccato est, et ad peccatum inclinat, id est, quoad concupiscentiam.

Respondeo, transmissionem peccati originalis esse omnino independentem a statu in quo contingebat versari Adam, et caeteros post ipsum, quando genuerunt filios et filias. Cuius conclusionis ratio est desumenda ex propria notione peccati naturae, in prooemio quaestionis declarata. Redi enim mecum ad praemissa. Cogita culpam Adae ut quae peccati reatum in natura induxisset, tollendo rectitudinem ordinis ad Deum finem supernaturalem, secundum quod proprietas erat quasi specifica, instar caeterarum naturalium proprietatun a parente in posteros propaganda. Cogita insuper gratiam Adae poenitenti, restitutam quidem ex meritis Christi redemptoris, sed iam ut dotem mere personalem, quae naturam speciei in quantum huiusmodi, spoliatam relinquebat iis omnibus donis quibus fuerat primitus aucta. Et statim videbis, nihil referre in ordine ad peccati originalis transfusionem, utrum generans fuerit, necne, personaliter emundatus a culpa, siquidem : « homo « generat sibi idem in specie non autem secundum indivi- « duum » (1).

(1) « Generans univocum naturam suae speciei communicat ge- « nerato, et per consequens omnia accidentia quae speciem conse- « quuntur... Si autem virtus generantis sit fortis, tradit similitudinem « suam genito, etiam quantum ad accidentia individualia. Sed hoc « verum est de accidentibus quae aliqualiter ad corpus pertinent, « non autem de accidentibus quae solum pertinent ad animam, maxime « intellectivam, quae non est virtus in organo corporali. Homo enim « albus plerumque generat filium album, et magnus magnum; nunquam « autem grammaticus grammaticum, aut physicus physicum, etc. ». *De Malo*, Q. 4, a. 8.

Unde in forma, ad hoc quod dicitur: Qui in peccato iam non erat, non potuit peccatum transfundere in suam posteritatem: **Dist.** Si traductio peccati originalis intelligi deberet esse a generante, tamquam in suo individuali ac personali statu considerato, **conc.** Si a generante tamquam a fonte communis naturae posteritati communicandae, **subdist.** Supposito quod ablatio maculae in ipso, affecisset naturam speciei in quantum huiusmodi, eamque in primitiva conditione restituisset, iterum **conc.** Supposito quod affecerit, non naturam communem qua talem, sed solum qua in hoc homine individuatam, id est, personam in quantum haec particularis persona erat, **neg.** Et explicatio patet ex praemissis.

Et ad hoc quod dicitur: nemo dat quod non habet: **Dist.** Si de re positiva sermo sit, **conc.,** et nego suppositum. Si de defectu annexo rei quae positive communicatur, **subdist.** Si defectus cogitetur annexus dependenter a personali statu communicantis, **conc.** Secus, **neg.** Et potest aliquali illustrari exemplo, quo iuvetur intellectus: Ut si, per impossibile, facultas visiva fuisset radicitus corrupta in humana natura, et nihilominus forent aliqui individui praeternaturaliter visu donati. Nam illi, non obstante sua personali praerogativa, adhuc communicarent filiis a se genitis naturam caecitate affectam. Exemplum nunc applica in proposito, et cum proportione ratiocinare.

Sic igitur apparet, nihil ex hac quoque parte obstare posse quominus, iuxta naturalem ac proprium sensum verborum, dicta apostoli de vero ac proprie dicto peccato, origine transfuso, accipiantur.

II. — Sed iam contra universalitatem propagationis obiicitur: *Non in plures transit peccatum Adae, quam iustitia Christi. Ait enim apostolus: «Sicut per unius delictum in «omnes homines in condemnationem, sic et per unius iusti-«tiam in omnes homines in iustificationem vitae». Sed iustitia Christi non transit in universum genus humanum. Ergo nec peccatum Adae.*

Respondeo, negando maiorem. Ad rationem additam dico, sensum apostoli esse, quod sicut peccatum Adae traducitur in omnes qui ab Adam corporaliter generantur, ita gratia Christi in omnes qui ex Christo spiritualiter nascuntur per fidem et baptismum. Et in hoc est absoluta aequiparatio. Nunc autem, corporalis generatio de Adam, ad totum humanum genus extenditur ; non ita spiritualis regeneratio in Christo, et ideo comparatio non tenet, quod attinet ad absolutam hominum universalitatem. « Ob hoc « dictum est *omnes* et *omnes*. Neque enim qui generantur « per Adam, iidem ipsi omnes per Christum regenerantur. « Sed hoc recte dictum est, quia sicut nullius carnalis ge- « neratio nisi per Adam, sic spiritualis nullius nisi per Chri- « stum. Nam si aliqui possent carne generari non per Adam, « et aliqui generari spiritu non per Christum, non liquide « *omnes* sive hic, sive ibi diceretur ». Ita recte Augustinus, l. 1 *de pecc. mer.* c. 15.

Nec quemquam moveat, quod vers. 15 in apostolo legitur : « Si unius delicto multi mortui sunt, multo magis « gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi « *in plures* abundavit ». Nam quod in vulgata vertitur, *in plures*, in graeco est, *in multos*, εἰς τοὺς πολλοὺς. Qui quidem *multi*, tum hic, tum infra vers. 19, iidem sunt ac quos vers. 18 *omnes* dicit apostolus. « Possunt quippe in aliqua re omnes « esse qui pauci sunt. Sed multos habet generatio carnalis, « multos et spiritualis, quamvis non tam multos haec spi- « tualis, quam illa carnalis. Verumtamen, quemadmodum « illa omnes habet homines, sic ista omnes iustos homines, « quia sicut nemo praeter illam hom , sic nemo praeter « istam iustus homo, et in utraque multi. *Sicut enim per ino-* « *bedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi,* « *ita per unius obeditionem iusti constituentur multi* ». Sic iterum Augustinus, ubi supra.

Nulla ergo de transfusione originalis peccati in universum genus humanum, remanet ratio dubitandi.

III. — Sed iam ultimo loco veniunt argumenta quae

contra propagationis modum fiunt: quibus confisi Pelagiani, tamquam contumelioso *traducianorum* cognomine, catholicos olim prosequebantur ut refert Augustinus, l. 1 *op. imperf. c. Iulian*, n. 75, et l. 3, n. 91.

Dices enim primo : *Illud quod per viam seminis propagatur, per originem carnis traducitur. Sed per originem carnis traduci peccatum verum ac proprie dictum, omnino non intelligitur.*

Respondeo in primis quod etiamsi non intelligeretur, adhuc adesset superius fidei lumen, a quo ita esse certissime edocemur. Ait enim apostolus quod per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit. Atqui non potuit ex uno homine humanum genus infici, nisi eo modo quo totum genus humanum ex uno homine processit. Hoc autem fuit per originem carnis. Ergo per originem carnis peccatum originale in nos transit a primo parente, in quo omnes peccavimus.

Respondeo secundo, quod peccatum originale non afficit singulares personas nisi ratione naturae communis in nativitate acceptae, uti saepe dictum est in superioribus. Oportet igitur intelligere propagationem eius ad modum propagationis naturae, quam utique necessario comitatur, usquedum personali iustificationis gratia in unoquoque purgetur. Nunc autem natura humana non aliter propagatur quam per seminis viam, effective quidem quantum ad corpus, dispositive autem quantum ad animam. Recte ergo, et consequenter, eadem haec via ea esse intelligitur, per quam traducitur originale peccatum.

Instabis : *Oporteret animam esse ex traduce. Nam accidens non potest traduci, nisi traducatur eius subiectum. Sed subiectum peccati est anima. Ergo.*

Respondeo negando assumptum. Ad rationem additam: **Dist. mai.** Nisi traducatur subiectum, vel effective, vel saltem dispositive **conc.** Solum effective. **neg.** Nam alias, eadem ratione dicendum foret naturam humanam non vere propagari, eo quod ex traduce non est forma per quam per-

ficitur. Sed hoc, quaeso, quis sapiens admittet ? Quia etsi virtute seminis forma humana non educatur de potentia in actum, educitur tamen corpus huic formae proportionatum, cum hac forma contemperatum, et hanc formam exigens. Et sicut hoc sufficit ad veram traductionem naturae humanae ab uno in alium ,sic etiam sufficit ad traductionem peccati quod afficit et comitatur naturam.

Intelligendum est ergo, propagari animam a semine, non quidem per effectivam productionem eius, sed per dispositionem materiae ei proportionatae et convenientis. Et ideo S. Thomas, 1-2, Q. 83, a. 1. ad 3^{um}, cum sibi obiecisset, peccatum originale ex primo parente a nobis contrahi, prout in eo fuimus secundum rationem seminalem, quo quidem modo non fuit ibi anima, sed sola caro, respondet: « Dicendum quod anima huius hominis « non fuit secundum seminalem rationem in Adam peccante « sicut in principio effectivo, sed sicut in principio disposi- « tivo : eo quod semen corporale, quod ex Adam traducitur, « sua virtute non efficit animam rationalem, sed ad eam « disponit ».

Rursus dices : *Si anima non est ex traduce, unum iam de duobus dicendum relinquitur : Quod scilicet peccato inquinetur, vel ex creatione sua, vel ex infusione in corpus. Atqui utrumque est impossibile, quia utroque modo esset causa peccati Deus, qui est auctor tum creationis, tum etiam infusionis.*

Respondeo eligendo secundum membrum cum distinctione. Inquinatur anima ex infusione in corpus, non tamen secundum quod infusio importat respectum ad Deum infundentem, sed solum secundum quod importat respectum ad carnem cui fit infusio. Et sic nego quod in Deum sicut in causam, inquinatio animae sit referenda. Nam Deus ut naturae auctor et conservator, animam creat, eamque infundit corpori tamquam materiae praeparatae et ultimo dispositae. Quod autem haec materia sit corpus seminatum ex fonte infecto, et quod ex consequenti, anima corpori

infusa efficiatur pars naturae iam privatae dote quasi specifica supernaturalis iustitiae qua primitus fuerat ornata, in causa profecto non est Deus, sed ille solus qui praevaricatione sua communem naturam corrupit, sensu multoties in superioribus explicato. Unde S. Thomas, ubi supra, in responsione ad 4^{um} : « Infectio originalis peccati nullo modo « causatur a Deo, sed ex solo peccato primi parentis per « carnalem generationem. Et ideo, cum creatio importet « respectum animae ad solum Deum, non potest dici quod « anima ex sua creatione inquinetur. Sed infusio importat « respectum et ad Deum infundentem, et ad carnem cui « infunditur anima. Et ideo, habito respectu ad Deum in- « fundentem, non potest dici quod anima per infusionem « maculetur, sed solum habito respectu ad corpus cui in- « funditur ».

§ 3.

Sic igitur, veritas peccati originalis ex apostolo, Rom. V-12, omnino constat. Constat quoque invaliditas argumentorum quibus Pelagiani, eorumque succedanei, conati sunt vim demonstrativam tam expressae auctoritatis eludere. Sed nec desunt pro eiusdem dogmatis confirmatione, alia etiam Scripturae loca, utputa Eph. II–3, et Psalm. L-7, ad quorum tamen expositionem non vacat nunc divertere.

Argumentum porro antiquae traditionis dabit tibi Augustinus, l. 1 *c. Iulian.* n. 5-20, ubi colligit testimonia Irenaei, Cypriani, Reticii, Olympii, Hilarii, Ambrosii, Innocentii, Nazianzeni, Basilii, et ipsius Chrysostomi, tamquam totidem attestationes simplicis fidei Ecclesiae, nullo adhuc in hac parte insurgente adversario, prorsus imperturbatae. Quod si in tanta copia testium, unus aut alter inveniatur qui aliquam difficultatem creet, in memoriam revocabis principia alias tradita pro interpretatione Patrum qui ante ortas haereses scripserunt, praesertim quando in confutandis contrariis erroribus suo tempore grassantibus oc-

cupabantur. Et haec principia maxime valent in praesenti materia, cum nulla alia sit quae omnis generis aequivocationibus ansam facilius praebeat. Est enim peccatum originale, peccatum quidem proprie dictum, sed longe alius rationis ac peccatum omnibus notissimum: peccatum naturae, non personae: peccatum voluntarium non voluntate propria, sed voluntate solius capitis humani generis: peccatum quod quodammodo dicitur alienum, et quodammodo nostrum, alienum proprietate actionis, nostrum contagione propaginis. Propterea infans recens natus aliquo sensu innocens est, et aliquo sensu peccator. Propterea grande illud Adae delictum quadantenus ad posteritatem transit, et quadantenus non transit: transit quantum ad reatum, non transit quantum ad actum. Propterea demum, si ante ortam haeresim Pelagianorum, loca sunt patristica in quibus coruscat peccati originalis veritas, alia quoque esse poterunt ubi videbitur doctrina confundi et aliqualiter obscurari: sicut videre est apud Chrysostomum in locis illis quos a Pelagianis sibi obiectos, luculenter tibi exponet et explicabit supracitatus Augustinus. Vide praesertim, l. 1. *contr. Iulian.* n. 22.

Sed iam dicendum nobis est de eo in quo reponitur essentia peccati originalis, ut in thesi quae sequitur.

THESIS XII.

Peccatum originale est essentialiter destitutio iustitiae originalis, prout dependens a voluntario actu protoparentis qui fons fuit et principium naturae. Et quia in iustitia originali aliquid se habebat ut formale, id est gratia radix charitatis, et aliquid ut materiale, id est, ipsi charitati annexum integritatis donum quo inferior pars sub dominio rationis continebatur, in peccato quoque originali eadem distinctio attenditur: hinc quidem formale, id est privatio gratiae et charitatis per quam voluntas subdebatur Deo,

inde vero materiale, id est concupiscentia sive privatio vigoris quo sub voluntate frenabantur aliae omnes animae vires.

§ 1.

Prior et principalis assertio aperte sequitur ex dictis, tum in propositione praecedenti, tum in thesi 4ª de ratione peccati habitualis in communi. Certe, peccatum habituale semper ponit privationem habitualis iustitiae cum ordine ad actum per quem inducta est, et a quo pendet haec ipsa iustitiae privatio. Si ergo peccatum originale, peccatum habituale est, et quidem inductum per actum capitis naturae formaliter in quantum huiusmodi : necesse est ut consistat in privatione illiusmet iustitiae qua natura ut natura fuerat primitus ornata, et de qua loquitur Tridentinum, can. 2, cum dicit : « Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non « eius propagini asserit nocuisse, *et acceptam a Deo sancti-* « *tatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam* « *eum perdidisse, anathema sit* ». Neque in hoc, quod sciam, aliquis est contradicens inter theologos hodiernos. Sed est residua controversia spectans ea quae in thesi addita sunt de formali et materiali peccati originalis. Sunt enim qui volunt peccatum originale in privatione gratiae ita consistere, ut ne materialiter quidem ad constitutivum eius pertineat concupiscentia.

Nostra autem assertio est constans assertio S. Thomae, praesertim in praesenti, Q. 82, a. 3, et *de Malo*, Q. 4, a. 2. Et videtur facile probari ex analysi perfectae illius rectitudinis moralis quam in sua creatione natura acceperat, quaeque, uti nunc demonstratum suppono in tractatu de Deo creatore, duobus absolvebatur : subiectione scilicet partis superioris ad Deum finem ultimum per charitatem, et partis inferioris ad superiorem per donum integritatis : quorum utrumque ab habituali gratia velut a radice dependebat, primum ex natura rei, alterum ex positiva ordinatione creatoris. Haec

sane moralis perfectio est, quam in Adam amisimus. Haec quoque sanctitas et iustitia, quae nobis per Christum restituitur, et abundantius restituitur, *quamquam nonnisi processu et ordine quodam:* nondum quidem formaliter, durante statu viae, quoad integritatis donum, sed tamen virtualiter : relicta interim concupiscentia ad agonem, ut cum gratiae adiutorio, vi et conatu quoad eius fieri poterit reassurgamus ad id unde decidimus, componendo omnes animi motus, eosque subiiciendo rationi, id est menti et spiritui, donec in termino viae consummatum effectum passionis Christi recipientes, plene et perfecte efficiamur regnum Dei : « In quo, inquit Augustinus, ita sunt ordinata omnia, ut id « quod est in homine praecipuum et excellens, hoc imperet, « caeteris non reluctantibus quae sunt nobis bestiisque « communia, atque idipsum quod excellit in homine, id est « mens et ratio, subiiciatur potiori quod est ipsa Veritas, « unigenitus Filius Dei » (1).

Duabus igitur exsistentibus partibus vel quasi partibus originalis iustitiae, statim intelligitur rectitudinem appetitus inferioris se habuisse in ea ut materiale, rectitudinem vero superioris animae partis ut formale. Semper enim formale est, a quo species sumitur ; iustitia autem de qua in praesenti, speciem suam tota quanta sortitur, secundum quod iustitiae nomine venit recta ad Deum finem ultimum habitudo. Porro, ordinatio inferiorum virium per immunitatem a concupiscentia, ut substans quidem ordinationi mentis per charitatem, hanc ipsam rectam ad Deum habitudinem omnino ingredi concipitur ; ut seiuncta vero a charitate, iam non importat quo ad Deum homo recte se habere dicatur. Si enim ratio praesupponatur subiecta Deo, tunc utique subiectio inferiorum virium ad ipsam rationem maximopere conferet ad perfectum ordinem, cuius finis et terminus Deus; sin autem minus, nihil. Itaque bona appetitus sensitivi habitudo, nonnisi a bona habitudine mentis habere poterat

(1) August. l. 1 *de serm. Domini in monte*, c. 2.

ut pars iustitiae et diceretur et esset : eodem plane modo quo nonnisi ab anima rationali habere potest corpus, ut humani corporis rationem obtineat. Quemadmodum igitur in humano composito anima est ut forma, corpus ut materia, ita quoque in iustitia originali aliquid erat ut formale, a quo tota huius iustitiae perfectio dependebat, scilicet gratia cum virtutibus, et aliquid ut materiale, quod a formali perfectionem iustitiae accipiebat, scilicet immunitas a concupiscentia. Nunc autem eadem est ratio privationum, quae est positivorum quorum sunt privationes. Et ideo, si peccatum originale essentialiter est iustitiae originalis privatio, sequitur manifeste quod privatio gratiae se habet in eo ut formale, ut materiale autem privatio doni integritatis, quae alio nomine concupiscentiae fomes appellatur (1).

§ 2.

Caeterum, satis superque constat peccatum originale esse tamquam in subiecto in animae essentia, cum essentia animae sedes sit privationis gratiae, a qua velut a radice

(1) « Concupiscentia secundum quod pertinet ad originale pec- « catum, non est concupiscentia actualis, sed habitualis. Sed intelli- « gendum est quod ex habitu efficimur habiles ad aliquid. Dupliciter « autem aliquod agens potest esse habile ad aliquid agendum. Uno « modo ex aliqua forma inclinante ad hoc, sicut corpus grave ex forma « sua quam habet a generante, inclinatur deorsum. Alio modo ex sub- « tractione eius quod impediebat, sicut vinum effunditur, fractis cir- « culis qui effusionem impediebant, et equus concitatus praecipitanter « vadit, rupto freno quo retinebatur. Sic ergo concupiscentia habi- « tualis potest dici dupliciter. Uno modo, aliqua dispositio vel habitus « inclinans ad concupiscendum, sicut si in aliquo ex frequenti actuali « concupiscentia causaretur concupiscentiae habitus, et sic concupi- « scentiam non dicimus originale peccatum. Alio modo potest intel- « ligi habitualis concupiscentia ipsa pronitas vel habilitas ad concupi- « scendum, quae est ex hoc quod vis concupiscibilis non perfecte sub- « ditur rationi, sublato freno originalis iustitiae. Et hoc modo « peccatum originale materialiter loquendo, est habitualis concupiscen- « tia ». *De Malo*, Q. 4, a. 2 ad 4^um.

tota de integro pendet inordinatio per Adami culpam inducta. Et inde derivatur ad potentias, quia defectus ex praevaricatione primi parentis ad totam animam pervenit, ut apparet ex dictis, et late declaratur in Quaest. 4 *de Malo*, art. 4-5.

De poenis autem quae originali culpae debentur, breviter dicendum, eas consistere, formaliter loquendo, pro praesenti vita in sola subtractione donorum praeternaturalium, pro vita vero futura in sola amissione supernaturalis beatitudinis, seclusa omni poena sensus et omni afflictione positiva. Ratio est quia peccatum originale est peccatum naturae, cui debetur poena afficiens naturam qua talem, non vero naturam ut individuatam in hac persona quae voluntate sua nihil contulit ad peccatum. Porro omnis poena quae per inflictionem alicuius contrarii infertur, immediate afficit personam qua haec singularis persona est, sicut cum quis flagellatur, vel occiditur, vel in ignem mittitur, etc. Tunc enim non est privatio inhaerens communi naturae quam ipse a progenitoribus accepit, sed aliquid directe afficiens individuum in quantum huiusmodi. Quapropter poena peccato originali debita non est nisi subtractio gratuitarum praerogativarum primitivae conditionis; sed et afflictiones positivae ad illam non pertinent nisi in quantum sunt naturales sequelae huius subtractionis. Atqui afflictiones positivae naturaliter consequentes originalium praerogativarum subtractionem, non sunt neque esse possunt nisi in statu huius vitae. Sunt, inquam, in statu huius vitae, quia remoto freno quo impediebatur naturalis corruptibilitas, sponte sua enascuntur omnia quae nunc patimur. At vero in futura vita corruptibilitas ex natura rei amplius non est: afflictio autem et tristitia interior ex privatione supernaturalis beatitudinis nequaquam esse potest in iis qui illam non cognoscunt, et aliunde fruuntur bonis quae per naturam habent, quales illi sunt qui decedunt in solo originali. Relinquitur ergo quod poena damni in eis condividatur ab omni tormento positivo.

Concludendum est ergo maximam esse differentiam

inter reatum peccati personalis et peccatum originale. Et personale quidem peccatum bene concipitur, quocumque naturae humanae statu praesupposito : sive enim sit homo ad supernaturalia elevatus, sive in puris naturalibus institutus, semper potest unusquisque proprio actu sese a Deo ita avertere, ut vel signate vel exercite in bono commutabili ultimum sibi constituat finem. Unde ex diversitate status minime immutari potest formalis ratio reatus culpae personalis, tametsi materialiter loquendo, non in eodem verificaretur, uti suo loco dictum est. At vero, peccatum originale nequit omnino concipi, seclusa hypothesi supernaturalis rectitudinis qua fuit humana natura primitus a Deo aucta. Est enim essentialiter originalis et gratuitae iustitiae destitutio, inducta per actum eius qui fons erat et principium naturae, aut cum supernaturali sanctitatis rectitudine propagandae, si in ipso fonte remansisset natura talis qualis a Deo erat instituta, aut cum illius privatione, si secus.

Haec itaque dicta sint ut reatum culpae mortalis in originali et personali peccato, non secundum univocitatem intelligas, sed secundum analogiam. Licet enim utrobique habeatur privatio gratiae tollens conversionem ad Deum finem supernaturalem, non tamen utrobique eadem exsistit privationis ratio. Hic reitas simplicis destitutionis ab ordine gratuitae iustitiae, ex capite naturae in omnia eius membra descendens : illic vero, personalis reitas positivae adhaesionis ad creaturam tamquam ad finem supremum, postposito Deo. Porro haec est radicalis differentia ex qua omnes aliae derivantur quoad utriusque peccati sequelas et effectus, ut ex hucusque disputatis satis constare videtur.

EPILOGUS

Ecce qui elongant se a te peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te, mihi autem adhaerere Deo bonum est (1). Haec ultima praesentis tractatus conclusio sit : in qua, post considerata tria suprema peccatorum genera, aequum est mentem reducere ad peccatum illud in quo perfecte et per prius generis ratio invenitur ; perfecte quoque et per prius continetur quidquid alia duo, vel perversitatis habent, vel poenalitatis causant. Et hoc est peccatum personale mortale, quod verbis praecitatis describitur, quantum ad deordinationem actus, quantum ad substantiam eius, et quantum ad irreparabilem miseriam quam inducit.

Deordinatio peccati mortalis designatur cum dicitur : *Qui elongant se a te*, siquidem ut ex praemissis constat, moralis perversitatis ratio in nullo alio esse vel concipi potest, praeterquam in deviatione a Deo vero fine ultimo humanae vitae. Est enim Deus, ipseque solus, totius moralitatis principium et terminus, ita ut tam repugnet concipere bonum vel malum morale, non intellecta convenientia vel disconvenientia cum lege Dei ad seipsum omnia necessario dirigentis, quam repugnat concipere hominem, nondum intellecta rationalitate. Quod si quandoque de bono vel malo morali loquimur secundum convenientiam vel disconvenientiam ad naturam rationalem, hoc ideo est quia ipsam ratio-

(1) Psalm. LXXII, 27.

nalem naturam apprehendimus secundum quod, sub ordine veri ultimi finis constituta, se tota involvit dependentiam ab eodem fine, necnon et a lege ipsum respiciente. Sed si talis fieret abstractio per quam totaliter et absolute removeretur divinae legis et proprii eius finis conceptus, nihil iam ex omnibus ad quae libido humana se extendit, apparere posset ut terminus deordinationis voluntariae, quia tunc liberum arbitrium inveniretur in apice et fastigio ordinis, sibique ipsi regula foret, ac pro tanto a rectitudine sui actus declinare amplius non valeret.

Vere igitur tota actus moralis malitia in elongatione seu aversione a Deo reponi dicenda est. Ast impossibile sane est ut homo moraliter agens omni modo se subtrahat ab appetitu ultimi finis, sed semper oportet ut de ordine moralitatis remaneat motus in bonum, quin possit unquam voluntas ipsam rationem mali in seipsa intendere. Et hac de causa, explicans Propheta modum quo anima voluntarie a Deo elongatur, addit : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Designat enim fornicatio ista substantiam actus peccati, qua homo contra debitum convertitur ad commutabile bonum, ac per hoc ipsum deviat a vero fine. « Si enim mens hominis « delectetur in spirituali coniunctione ad id cui debet con- « iungi, scilicet ad Deum, et abstineat se ne delectabiliter « aliis coniungatur contra debitum divini ordinis, dicetur « castitas spiritualis secundum illud 2 Cor. XI-2 : *Despondi « enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Si autem « delectabiliter contra debitum divini ordinis coniungatur « mens quibuscumque aliis rebus, dicetur fornicatio spiri- « tualis, secundum illud Ierem. III-1 : *Tu autem fornicata « es cum amatoribus multis* » (1).

Sed fornicatio ista ducit ad interitum et perditionem absque remedio, et ideo dicit : *Omnes qui elongant se a te peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Quomodo

(1) S. Thom., 2-2, Quaest. 151, a. 2.

peribunt, et quando perdentur ? Cum non dabitur amplius locus poenitentiae qua voluntas aberrans sese rectificat circa ultimum finem, quod erit in termino viae. Et hinc necesse erit consequi extremam miseriam hominum qui a prima Bonitate immobiliter aversi, et a vera vita perpetuo exclusi, obstinate adhaerebunt indebito fini a quo pendebat perditio eorum, et consequentes poenas desperato animo semper refugient. Haec est mors aeterna, hic remorsus pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, qui in Scripturis metaphorice vermis nominatur, secundum illud Isai. LXIV-24 : *Veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur et videbunt cadavera virorum qui praevaricati sunt in me : vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.*

E regione vero ponitur in prophetia illud in quo absoluta hominis felicitas consistit : *Mihi autem,* inquit, *adhaerere Deo bonum est.* Et ideo certe bonum adhaerere Deo, quia ipse solus est Bonum per essentiam, a quo omnia, per quem omnia, in quo et ad quem omnia. Ipse cuius voluntas, suprema et imparticipata regula honestatis est, a cuius etiam ordine nemo vel leviter absque iactura rectitudinis se subtrahere potest ; unde et scriptum est : *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* (1). Ipse demum altissimum obiectum circa quod in futura vita perfectissima erit operatio, eaque annexam habens ut connaturalem proprietatem delectationem purissimam, in qua nimirum nihil miscebitur quod a delectatione alienum sit, nihil turpitudinis, nihil perturbationis, nihil defatigationis. Et ratio est quia « delectatio « perficit operationem sicut pulchritudo iuventutem, est « enim quidam decor operationis ipsa delectatio... Ipsa autem « operatio perfecta, beatitudo est : obiectum autem altissi-

(1) Psalm. CXLII-10.

« mum, Deus est ; delectatio autem purissima est spiri-
« tualis delectatio, ut in decimo Ethicorum probatur. Et
« ideo in littera dicitur quod Deus rectarum voluntatum
« finis est, et charitas, et bona delectatio, et beatitudo :
« ita tamen quod Deus ultimus finis sit, et beatitudo cha-
« ritatem et delectationem complectens sit sicut finis sub
« fine, coniungens ultimo fini » (1).

Quae igitur cum ita sint, manifestissime apparet unum esse verum et summum hominis malum quod est peccatum, et post peccatum commissum, unum remedium quod est poenitentia, antequam veniat dies immobilitatis nostrae, in qua, *si cecideret lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.*

(1) S. Thom. in II, D. 37, q. 1, a. 2.

INDEX

PROOEMIUM . . . . . pag. 5

PARS PRIMA

DE PECCATO MORTALI

CAPUT PRIMUM. — De actu peccati . . . . . pag. 13

QUAEST. 71. — De ratione seu definitione eius . . .

Quod in moralibus bonum et malum contrarie opponuntur . . . . . » 14

Quod ad rationem peccati duo concurrunt; substantia actus, et defectus rectitudinis . . . » 18

Quod privatio debitae rectitudinis actui morali inest, in quantum caret commensuratione ad regulam legis aeternae per dictamen conscientiae voluntati applicatam . . . . . » 21

Quod malum morale nec esse nec concipi ullo modo potest, abstractione facta a lege Dei et fine quem respicit lex divina, et quod peccati philosophici notio est metaphysice repugnans . » 26

Quod lex Dei quaedam prohibet intentione primaria, quaedam vero intentione secundaria tantum; et quod ideo, quidam actus dicuntur mali in quantum sunt contra legem, alii in quantum sunt praeter . . . . . » 33

THESIS I. — Peccatum mortale ex parte substantiae actus convenienter definitur, dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam. Ex parte vero defectus seu privationis, aversio a Deo fine ultimo per voluntariam conversionem ad bonum commutabile. » 39

Corollarium. — *Ergo in mortali peccato aliquid considerari debet ut materiale, et aliquid ut formale. Ut materiale quidem, quatenus homo se convertit ad id quod est extra ordinem finis, indebito modo fruens creatura. Ut formale vero, quatenus ita ad creaturam convertitur ut a Deo sese avertat, in commutabili bono suum ultimum finem constituens* . . . . . pag. 43

Quaest. 72-73. — De distinctione peccatorum . . .

Thesis II. — Peccata specie distinguuntur ex parte actus voluntarii potius quam ex parte inordinationis in peccato exsistentis, secundum obiecta moraliter mala ad quae peccans convertitur . . . . . » 46

Thesis III. — Non omnia peccata mortalia sunt inter se paria, sed dantur alia aliis graviora, sive ex genere suo, sive ex circumstantiis intra eamdem speciem aggravantibus, sive demum ex maiori intensione voluntatis . » 56

Quaest. 74, sq. — De subiecto et causis peccatorum . . » 61

Caput Secundum. — De his quae actum peccati consequuntur. . . . . . .

Quaest. 85. — De corruptione boni naturae . . . . » 65

Quaest. 86. — De reatu culpae et macula peccati . . . » 67

Thesis IV. — Reatus culpae seu peccatum habituale, formali quidem significatione dicit statum culpabilitatis et aversionis a Deo, qui per actum peccandi inducitur. Significatione vero materiali in praesenti ordine naturae elevatae, dicit privationem gratiae sanctificantis prout dependentem ab actu voluntario qui praecessit et imputabiliter adhuc in esse perseverat . . . . . » 68

Thesis V. — Macula peccati est re idem cum culpa habituali, sed ratione differt, et ideo dupliciter potest peccatum auferri, vel per modum ablutionis maculae ut fit in baptismo, vel per modum remissionis culpae ut in sacramento poenitentiae . . . . . » 73

Quaest. 87. — De reatu poenae. . . . . » 74

De ratione poenae in generali . . . . . » 75

De poena concomitante et poena inflicta . . » 76

De poena quae infligitur in remedium salutis, et ea quae est ex pura iustitia in vindictam violationis ordinis . . . . . pag. 78
De poena inflicta futuri saeculi, prout in poenam damni et poenam sensus dividitur . . » 80
THESIS VI. — Omne peccatum inducit reatum poenae proportionatae pro futura vita in foro Dei . . . . . » 83
THESIS VII. — Omne et solum peccatum mortale per se inducit reatum poenae aeternae quae etiam est duplex: poena quidem damni respondens inordinationi aversionis a vero ultimo fine, et poena sensus respondens inordinationi conversionis ad indebitum finem. Porro aeternae punitionis ultima ratio est aeterna permanentia moralis inordinationis in humana voluntate, quae post mortem circa ultimum finem amplius flexibilis non est, sed in eo fine cui in instanti mortis adhaerebat, immobiliter ac necessario ex rei natura obfirmatur . . . . . » 85
COROLLARIUM. — *Licet in iustificatione impii remissio culpae necessario inferat remissionem reatus poenae aeternae, nihil tamen prohibet quin post iustificationem adhuc remaneat reatus poenae temporalis* . . . . . » 102

PARS SECUNDA

DE PECCATO VENIALI

QUAEST. 88-89 — **Introductio** . . . . . pag. 107
THESIS VIII. — Per lignum, fenum, et stipulam, quae 1 Cor. III-12 dicuntur iuxtaponi fundamento spiritualis aedificii, intelligi debent peccata venialia. Unde recte damnata est in Baio propositio asserens nullum peccatum esse ex natura sua veniale, sed omnem culpam mereri poenam aeternam . . . » 107
THESIS IX. — Peccatum veniale, si etymon vocis attendatur, nihil aliud est quam peccatum ex sese reparabile. Si autem attendatur

ultima ratio impositionis nominis, est actus moraliter malus qui non tollit principium ordinis per aversionem a Deo, et pro tanto dici debet *praeter* potius quam *contra* legem aeternam, sive sit venialis ex genere suo, sive ex imperfectione actus tantum . . . . pag. 114

Corollarium. — *In angelo peccatum veniale omnino esse non potest ; sed nec potuit esse in homine quamdiu per gratuitum originalis iustitiae donum inferiora sub superioribus infallibili ordine continebantur* . . . . . » 121

Thesis X. — Peccatum veniale habituale est ipse peccati actus, prout imputabiliter permanens denominat hominem reum cuiusdam deviationis extra et praeter ordinem veri ultimi finis. Coniunctum cum mortali participat eius irreparabilitatem, et *per accidens* habet in inferno poenam aeternam. In iusto autem est simpliciter et absolute ab intrinseco auferibile, poena expiandum temporali tantum . . . . . » 127

PARS TERTIA

DE PECCATO ORIGINALI

Quaest. 81-83. — **Introductio** . . . . . pag. 133

Peccatum naturae, quid ? . . . . . » 134

Actus peccati naturae, a capite iuridico, an a capite naturae simpliciter et sine addito ? . » 139

In capite naturae, quo sensu omnes posteri peccasse dici possint ? . . . . . » 146

Thesis XI. — Est peccatum originale, veram ac propriam peccati rationem habens, quod ab Adam in omnes traducitur, qui per viam seminis ex eo generantur. . . . . » 153

Thesis XII. — Peccatum originale est essentialiter destitutio iustitiae originalis, prout dependens a voluntario actu protoparentis qui fons fuit et principium naturae. Et quia in iustitia originali aliquid se habebat ut formale, i. e. gratia radix charitatis, et ali-

quid ut materiale, i. e. ipsi charitati annexum integritatis donum quo inferior pars sub dominio rationis continebatur, in peccato quoque originali eadem distinctio attenditur: hinc quidem formale, i. e. privatio gratiae et charitatis per quam voluntas subdebatur Deo; inde vero materiale, i. e. concupiscentia, sive privatio vigoris quo sub voluntate ipsa frenabantur aliae omnes animae vires . . . pag. 169
De subiecto peccati originalis . . . . . » 172
De poenis eius . . . . . » 173
EPILOGUS . . . . . » 175

IMPRIMI POTEST

Ariciae ad Vallem Auream - die XI Augusti 1930

ADULFUS MARIOTTI S. I.

Praepositus Provinciae Romanae

Nihil Obstat

Patavii - die XVI Augusti 1930

DOCT. IACOBUS DAL SASSO

Censor Eccl.

IMPRIMATUR

Patavii - die XVIII Augusti 1930

CAN.CUS DOCT. PRIMUS CARMIGNOTO

Vic. Gen.

220.15
B497

St/o Mist 613

BILLOT

AUTHOR
De Inspiratione, De Traditione

TITLE
De Peccato

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

220.15
B497

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

613